CONCIONES GROD



N. 31.

QVADRIPARTITÆ CONCIONES STANISLAI GRODICII SOCIETATIS IESV.

Quarum primæ, Timorem sanctum incutiunt; secundæ Fidem Catholicam confirmant; tertiæ Spem erigunt; postremæ diuinam in nobis Charitatem excitant.

Tomus 2dus


IN

DOMINICAS SEPTEM, QVÆ DECVRRVNT POST ADVENTVM AD SEPTVAGESIMAM.

Inscriptus catalogo librorum Collegij Sandomiriensis Societatis Jesu.



A[d] usu Iunioru[m]



CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Nicolai Lob,
Anno Domini 1606.

EPISTOLA

ILL^{MI} CARDINALIS ROBERTI BELLARMINI

Ad Stanislavm Grodi-
civm.



Dmodum Reuerende Pater. Non ſum oblitus iucundiſsimæ conſuetudinis, quã cum R.V. habui tempore Congregationis Generalis. ea cauſa eſt, vt gratiſsimæ fuerint literæ, quę memoriam illius temporis mihi renouarunt. Conciones R. V. ad menſam legi mihi iubeo, hoc præſertim Dominici Aduentus tempore

valdè

valdè opportunas, alioquin enim ob aſsiduas occupationes, quibus diſtineor, vix otium ad eas legendas haberem, placent omnia, tùm quòd ipſę in ſe conciones, & eruditæ, & vtiles ſint: tum quòd ſint valdè ſimiles iis, quas ego in Eccleſia mea Capuana dum Archiepiſcopi fungebar officio, habere ſolebam ad populum; & ſi ante duos vel tres annos conciones R. V. ad manus meas perueniſſent, multum me ſine dubio iuuiſſent. Hoc meũ iudiciũ de concionibus veſtris ſciet poſt vnũ vel alterũ diem Reuerendiſs. P. Ge-

P. Generalis. Sed tamen hanc meam ſententiam iudicio hominum doctiorum, & magis exercitatorum in munere cōcionandi libenter ſubiicio.

Valeat R. V. mei memor in Sanctis precibus & Sacrificiis ſuis. Romæ XXVI. Decēb. Anno Domini. M DC V.

R. V.

Frater in Chriſto

Robertus Card: Bellarminus.

FACVLTAS.

Ego Decius Striverius Præpositus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Poloniæ: potestate ad id mihi facta à Reuerēdo admodū Patre Nostro Clavdio Aqvaviva Præposito Generali Societatis Jesv, facultatem concedo, vt conciones P. Stanislai Grodicii Societatis nostræ, grauium doctorumq; virorum iudicio examinatæ & approbatæ typis excudantur. Jn quorum fidem has literas manu nostra subscriptas sigilloq; nostro munitas dedimus.

Posnaniæ 2. Maij 1606.

Decius Striuerius.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Euangelium Luc. 2.



N illo tempore: Erant Ioseph, & Maria mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixit cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de tēplo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autē crescebat, & confortabatur plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo.

PARTITIO.

Quæ in hoc Euangelio describuntur, acta sunt ipso die Purificationis beatissimæ virginis Mariæ, præsentationis verò ad templum Hierosolymitanũ Iesv Christi domini nostri. Continent autem quatuor: quæ memoriæ causa sic breuissimis verbis comprehendi possunt. Parentes Christi mirantur: Simeon benedicit: Anna prophetat: Iesvs educatur, crescit, confortatur. Nos circa quatuor hæc capita, more nostro, totidem hoc ordine formabimus conciones. Timorem sanctum benedictione sua excitabit in nobis Simeon. Fidem firmabit totum Euangelium. Spem eriget miranda parentum Christi admiratio. Charitatis deníque triumphum expedient, quatuor quæ in Euangelio nominantur personæ.

QVIBVS CHRISTVS SIT IN RVINAM.

CONCIO PRIMA.

Timor.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Exordium à natura animæ, & corporis nostri petitum.

Mirari nonnunquã solet vulgus, præsertim imperitum: quî fiat, quòd cùm omnibus hominibus à natura insitum sit idem alendi, conseruandiq; corporis desiderium, idemque edendi appetitus: nullus nihilominus aut cibus reperia-

tur.

tur, qui ſingulorum palato ſapiat; aut pharmacum, quo vniuerſæ curentur infirmitates: ſed multò profectò mirandum eſt magis, quo de fonte profluat, quòd cùm animus noſter, nonniſi bono nutriatur, nullum tamen non modò in mundo, ſed etiam extra mundum bonum inueniatur, quod omnes omnium hominum animi appetant, & à quo medicinam omnes ſuarum ægritudinum petant, etiamſi bonum illud naturâ ſuâ ad id præſtandum ſit efficaciſsimum. Nam quòd cibi non æque ſingulis ſapiant, complexionis varietas facit: quòd verò medicina quantumuis excellentiſsima, non omnibus pariter proſit, in cauſa ſunt, non modò diuerſa, ſed etiam contraria planè morborum genera: at verò cùm animus humanus nil norit appetere, niſi ſub ratione boni, nil æquè deſideret, quàm beatitudinem, quæ in ſummo bono conſiſtit; quî fit quæſo, quòd mentibus hominum oblatum hoc ipſum ſummum bonum, non tãtùm non rapiat in ſui amorem omnes, ſed etiam pleriſq; ſit faſtidio? Quinimmò quod ſtupendum eſt planè, inuenias innumeros, quibus illud ipſum, quod debuit eſſe cauſa ſalutis æternæ, ſit occaſio ruinæ ſempiternæ, quibus animorum medicina in venenum conuertitur, quibus ipſum denique ſummum bonum, extremi mali, & infelici-

tatis est origo. Vnde hæc obsecro tanta rerum disparitas, tanta causarum & effectuum pugna? Rem. n. ita se habere ex themate principio posito euidens est. Nunquid Deus optimus, maximus, nunquid filius eius vnicus, nunquid verbum incarnatum, non est summum bonum, beatitudo ac fælicitas perfecta? Est sanè. Nihilominus de illo audis in Euangelio: ECCE POSITVS EST HIC IN RVINAM, ET IN RESVRRECTIONEM. Positum esse in resurrectionem mirum non est: sed in ruinam positum, stupendum omninò. Memini, & vestrum aliquos meminisse non dubito, me hac de re disseruisse aliquando; verùm & hoc animaduertitis, verba quæ ex Euangelio in medium à me prolata sunt, cogere nos, vt tunc cæptam, nunc continuemus materiam, tantò diligentius, quantò hęc illis sunt difficiliora. Si. n. obscurum sensu esse iudicatur, reperiri posse homines, quibus scandalo sit Christus (hoc enim ibi excussimus.) quantæ difficultatis erit, intelligere quomodo POSITVS EST IN RVINAM? Et à quo positus, nisi ab eo, à quo & missus? A patre videlicet æterno, à Deo ipso, ab illo de quo Apostolus testatur, quod *omnes homines vult saluos fieri.* Quomodo ergò is, qui omnes cupit saluos fieri, filium suum posuit IN RVINAM MVLTORVM?

Difficultas thematis ostenditur.

In 1. cõci: Dom: 2. Adu:

1. Tim. 2. 4

Myste-

Myſterium hoc veſtris adiutus precibus in præſenti concione explicare, & tam in me, quàm in vobis ſanctum timorem excitare conſtitui. Quis enim non perhorreſcat audiés IESVM Chriſtũ filium Dei poſitũ eſſe in ruinam? Primùm itaque genuinum verborum iſtorum ſenſum perquiremus. Quo iacto fundamento, oſtendemus, quomodo hac breui ſentẽtia omnia hominum genera comprehendantur. Deinde quinam ſint iſti, quibus Chriſtus Dominus eſt in ruinam, & in ſignum contradictionis. Cauſam quoque & autorem tanti mali inueſtigabimus. Denique quàm id ſit vitioſum paucis perſtringemus & remedia in medium afferemus. Tu æterne Pater cæptis noſtris faue: vt eo cum fructu vniuerſa hęc cõſideremus, ne filium tuum Ieſum Chriſtum in ruinam, & ſignum contradictionis, ſed in auctorẽ ſalutis, & felicis noſtræ reſurrectionis conſummatorẽ habeamus. PROPOS: quinquepartita.

Paucis equidem verbis, & fortè illis tantùm duobus IN RESVRRECTIONEM exceptis, tot erunt in hac Simeonis tum benedictione, tum prophetia, aut difficultates, aut admirationis incitamenta; quot in ea verba reperientur. Nunquid non particula ECCE, quæ primo loco ponitur, idipſum denotat? Noſtis ſanè, quod tam in cõmuni ſermone, quàm in ſcriptura, verbum I. PARS. Thema explicatur. Quid ECCE denotet

hoc ECCE, demonſtrat, ea, quibus apponitur, vt plurimùm eſſe rara, inaudita, ſæpè etiam obſcuriora, ac proinde attentione, & admiratione digniſsima. Talia profectò ſunt, quæ hic Simeon in medium profert. Nam cùm de Chriſto inquit: ECCE POSITVS EST HIC IN RVINAM: duæ ſtatim difficultates occurrunt: altera, à quo poſitus fuerit? altera, qualemnã in RVINAM? Priorem iam inſinuauimus, poſterior tanta eſt, vt quidam ex antiquiſsimis doctoribus non dubitarint affirmare, bonam hic RVINAM notari. Abſurdum enim viſum eſt illis in RVINAM, ac interitum alicuius poſitum eſſe Chriſtum, idque à patre miſericordiarum Deo. Ac proinde aſſerebant per RVINAM hoc in loco, vel paſsionem Chriſti Domini, quæ cauſa fuit reſurrectionis noſtræ, vel illam, ſimilemuè felicem ruinam intelligendam eſſe, qua Saulus corruit perſequutor IESV, vt Paulus reſurgeret propugnator Eccleſiæ IESV. Pia declaratio: ſed verior altera, nempè & per RVINAM interitum ac perditionem cùm temporalem, tum verò æternam intelligendam: & ad hoc ipſum poſitum eſſe IESVM à patre ſuo æterno. Hæc expoſitio & communior eſt ſanctis Patribus Græcis, ac Latinis, & ſcripturæ conformior. Senex n. iſte Simeon in hac benedictione clarè aſpexiſſe videtur

A quo poſitus & in qualem RVINAM.

Act. 9.

videtur ad illam Isaiæ prophetiam, in qua Isaias de domino exercituum loquens, asserit inter alia, illum futurum *in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem.* Idipsum enim hîc penè totidem verbis expressum audis: At verò & princeps Apostolorum Petrus, & socius passionis ipsius Paulus, expressis verbis testantur, Isaiā hoc suo vaticinio incredulitatem Iudæorum notasse. Euincitur igitur scripturam per scripturam interpretando, & eum, à quo positus dicitur Christus, esse Deum: & ruinam istam, malam esse. Mala etenim fuit, & est incredulitas Iudæorum, quæ & ruinæ temporalis, ac excidii Hierosolymitani, & ruinæ ac perditionis eorum æternæ proxima causa extitit.

Is. 8. 14.
1. Pet. 2. 6.
Rom. 9. 33

Aliter tamen POSITVS EST à Deo patre, & à sanctissima Trinitate, HIC CHRISTVS IESVS IN RVINAM: ET aliter IN RESVRRECTIONEM MVLTORVM IN ISRAEL. Qua de re noua posset in his verbis suboriri difficultas: verùm non hoc loco, sed paulò post excutienda, quando causam, & autorem ruinæ huius inuestigabimus: ibidem. n. differentiam inter hæc assignabimus: nunc reliqua Simeonis dicta expendamus: ET IN SIGNVM iquit, CVI CONTRADICETVR. Idē videlicet Christus IESVS positus est à sanctissima Trinitate in si-

Differentia inter ruinā & resurrect.

in signum contradictionis. Quibus in verbis præcipuam parit difficultatem hęc vocula SIGNVM, ob variam sui in diuinis literis acceptionem: aliquando enim pro indicio quodam sumitur, ita panni illi, quibus inuolutus fuit infans IESVS, itemque præsepe, *signum* dicuntur: quia erant indicium, quod ab Angelis datum est pastoribus ad inueniendum Messiam. Nonnunquam pro miraculo & prodigio, quod frequens est in Euangelio. Aliquando pro signo militari, seu vexillo, ita inquit Isaias *Et leuabit signum in nationes.* Vbi pro signo, vexillum est in Hebræo. Interdum pro fœdere: sic Deus ad Abraham ait. *Hoc est signum fœderis.* Denique pro scopo. Et omnibus quidem istis modis potest intelligi & dici Christus positus IN SIGNVM. Fuit. n. & est Dominus noster IESVS Christus signum & indicium diuinæ iræ placatæ: est item fœderis inter nos, ac Deum initi, autor, ac consummator; sed & mysterium Incarnationis, passionis, nec non resurrectionis ipsius, maximum fuit miraculum, Porrò de vexillo crucis ita ipsemet apud *Mat: Tunc*, inquit, *parebit signum filij hominis:* Hinc clarum est igitur Christo Domino modis omnibus nomen SIGNI posse applicari. Et quamuis nonnullis Doctoribus, illa de miraculo, & cruce acceptio multum placeat: mihi tamē semper vltima, visa

[Margin notes: SIGNI varia acceptio. Luc. 2. 12. — Is: 11. 12. — Gen: 9. 12. — Matt. 24. 30.]

visa est accomodatissima: quam etiam nostrum P. Maldonatum aliis prætulisse animaduerto. Videtur. n. Simeon per signum præcipuè hoc in loco scopum intellexisse: Illud inquam signum, de quo propheta. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Tre:3.12. Nam secundum hanc acceptionẽ, & illud IN RVINAM, optimè explicatur: & venenata linguarum ac conuitiorum iacula, quæ Iudæi in Christum toties contorsère, conuenientissimè designantur.

Sequitur in prophetia Simeonis; ET TVAM IPSIVS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIVS. Quæ verba quamuis non careant difficultate propria, tamen quia (vt nũc communis Doctorum vult sententia) in parenthesi quasi dicta videntur; & hodierno nostro instituto tantoperè non seruiũt, omissa sunt in themate, erúntque in alia cõcione explicanda. Concluditur tandem Simeonis benedictio his verbis: VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES. Quæ triplicem pariunt difficultatem; primam, particula, VT; quidnam significet, causamne, an euentum, vel aliud quidpiam? secundam: vtrum verba ista ad immediatè præcedentia sint referenda, vt aliqui volunt, nec ne? tertiam, qualesnam COGITATIONES hic REVELANDAE dicuntur bonæ, an malæ? Plerique n. hæc

REVELARI quomodo hic sumetur.

verba in malam sumunt partem; Vt sit sensus, reuelatū iri eos, qui cōtradixerunt Christo: sed non video, cur etiam in bonam sumi non possint, cùm in hoc ipso Euangelio non desint exempla. Nam per aduentum Christi in mundum, REVELATAE sunt EX CORDIBVS Mariæ, Ioseph, Annæ, immò ipsius etiam Simeonis COGITATIONES pię, sanctę, Deo placentes, qui hunc ipsum Christum Iesum pro Messia susceperunt, crediderunt, adorauerunt. Quos deinde permulti alii sunt sequuti. Iam verò particula, VT, intelligi potest eo sensu quo cùm alibi, tum in illo psalmi. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra.* Vbi VT, sumitur pro ita enim: pari ratione hîc, VT REVELENTVR, id est. Ita enim reuelabuntur EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES.

VT, quid significet hoc loco.

Ps. 84. 10.

Summa dictorum.

Quare, vt quæ dicta sunt hactenus sūmatim concludamus, sensus sententiæ initio positæ hic erit. Benedicit Simeon, & benedicendo prophetat, prophetat autem admiranda: idcirco incipit à particula ECCE: ac si dicat: mirandum quid referam, nempe quòd hic, quem manibus meis gesto, Christus IESVS filius Dei, POSITVS EST à Deo patre suo; immò à SSa. Trinitate, positus est, inquam, & expositus, VT sit IN RVINAM, & in ruinam cùm temporalem, tùm verò

tùm verò spiritualem in interitum, ac perditionem æternam quibusdam, non omnibus tamen: si quidem expositus etiam est & datus IN RESVRRECTIONEM aliorum, ac in salutem MVLTORVM IN ISRAEL. Quæ verba de vtrisque intelligi possunt; sed magis de prioribus: quãuis enim non pauci fuerint ex Iudæis, qui per aduentum ipsius salui facti sunt, multò plures tamen illum non receperunt, ac proinde æternis sunt addicti suppliciis: & talibus fuit Christus, & est IN SIGNVM, ac scopum quendam, CVI CONTRADICETVR. Nam quòd ad Iudæos attinet, contradixerunt illi Christo, & tanquam in scopum collimarunt, venenatas sagittas linguarum suarum cùm in vita, tum in morte ipsius, id est, & quando pertransibat beneficia illis præstando; & quando in cruce pendebat salutem illorum operando. Hæc autem omnia, nempè quòd Christus expositus fuerit tum in interitum; tum in salutem plurimorum, facta sunt, VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES. Nam ista ratione reuelata sunt intima cordium, & apparuit, quid in cogitationibus Iudæorum latuerit: quando, qui ex illis fuerunt pii, IESVM receperunt, & in eum crediderunt, ac in pietate perseuerarunt: qui verò erant impii, impietatem suam euomuerunt, illum blasphemantes-

phemando, persequendo, cruci affigendo, ac tam discipulos, quàm doctrinam ipsius insectando.

II. PARS. Quatuor hominum genera in mundo

Iste est horum verborum sensus: quo iacto fundamento, considerandum iam venit aliud mysterium sanè non contemnendum. Notãtur etenim meo iudicio hac breui sententia omnia hominum genera: nam quotquot siue in Iudæa, siue alibi fuerunt, sunt, ac futuri erunt homines, in vno horum quatuor ordinum reperiantur necesse est. Aut n. stant, sed cadent; aut corruerunt sed erigentur: aut ceciderunt nec resurgent amplius: aut stant, firmique permanebunt. Plures ordines non dari vel ipsa partitio ex sufficienti combinatione facta demonstrat. Aperiamus iam, quonam modo hęc, & in prolata sententia habeantur, & in Iudæis qui Christi tempore vixerunt, impleta sint.

Primum eorum qui stant sed cadent.

Primum genus eorum est, qui cùm essent diuina præditi gratia, ex illa exciderunt. Hi notantur illis verbis IN RVINAM. Is. n. propriè corruere dicitur, qui antea stabat. Tales fuerunt quos ipse Saluator in illa sua post vltimam cœnam admirabili concione habita: taxare uidetur dicens, *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* (Io. 15. 22.) Quid enim vetat nos verba hæc vti sonant intelligere? Fuisse enim aliquos inter Iudæos, qui legem Dei obseruarent, ideòque stabant;

bant; adolescens ille clarum facit, qui Christo præcepta legis recensenti respondet: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.* Vera autẽ *Mat. 19. 20.* illum dixisse euidens est ex D. Marco duplici ex capite: tum ex illis verbis. *IESVS autem intuitus eum dilexit eum.* *Mar. 10. 21.* Christus. n. non diligit, sed abominatur mendaces, & extra gratiam Dei constitutos: tum ex sequentibus. Nam cùm subdit IESVS: *Vnum tibi deest*; profectò perspicuè approbat, alia illum habuisse. Nihilominus tam huic, quàm illis fuit IESVS in ruinam. Illis quidẽ quia *& viderunt, & oderunt, & me & patrem meum.* *Io: 15. 24.* ait Christus. Et cõprobat illo psalmi. *Quia oderunt me gratis.* *Ps: 34. 19.* Adolescenti verò: quia Christo præcipienti; *Vade quæcunque habes vende, & da pauperibus, & veni, sequere me,* *Mar. 10. 21.* non obediuit. Deo enim etiam ad sectanda consilia vocanti, parendum omninò est: ac proinde subiungit Christus verba interitum ipsius denotantia, quæ ipsos etiam Apostolos multùm terruerunt.

Alterum hominum genus est, qui corruerunt quidem, & aliqui etiam in peccatis volutantur, sed tamen postea ad cor redeunt, ac per pœnitentiam stare incipiunt. Talibus Christus est IN RESVRRECTIONEM, vt fuit Magdalenę in conuiuio: Zachæo domi suæ: Petro in atrio Pontificis: Latroni in cruce: Paulo in via, & infinitis aliis;

Secundum qui ceciderunt sed stabunt.



Luc. 15. 1. liis; de quibus teſtatur Euangeliſta. *Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum.* Id eſt vt obedirent ei. Nam Phariſæi & Scribæ licet adeſſent ſæpe diſſerenti, nunquā tamē dicuntur illi appropinquaſſe: quia nec credebant docenti, nec obediebāt præcipienti. Vtrumque iam dictum hominum genus videtur Christus Dominus di-
Ioa: 9. 39. lucidè expreſsiſſe illis verbis. *In iudicium ego in hunc mundū veni, vt qui non vidēt videāt, & qui vident cæci fiant.* His. n. in ruinam; illis verò in reſurrectionem verbum Patris fuit.

Tertium, qui corruūt & iacent

Tertius ordo eſt illorum, qui vel nunquam in gratia Dei fuerunt, vel citò ex illa excidentes in vitia ſe coniecerunt, in iiſque obſtinati permanſerunt. His propriè competit quod ſequitur; ET IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR. Sceleſti etenim iſti homines, nihil aliud norunt, quàm ſcelerum nefariorum et linguæ venenatæ iacula vibrare in Chriſtum, quàm contradicere IESV Saluatori. Ex quorum numero erant Sūmi Pontifices, Scribæ, & Phariſæi: qui & plurimis præter infidelitatem flagitiis aſtricti erant, & obſtinatè, ac pertinaciter in iiſdem perſiſtebant. De quibus Euangeli-
Luc. 16. 14. ſta. *Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant auari, & deridebant illum.* Et ipſe Chri-
Io. 5. 44. ſtus ad eos: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo*

Deo

Deo est non quæritis? Et alibi: *vos ex patre Diabolo estis.* Et iterum *Et in peccato vestro moriemini.* Io. 8. 44. Ibidem n. 21. & 24.

Postremus ordo est illorum, qui & pii iustique sunt, & in pietate sua perseuerant. De huiuscemodi rectè intelligitur, quod postremo loco dicitur: VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES. Nam licet de impiis quoque accipi hæc possint, vt dictum est: magis tamen propriè optimi hic denotantur. Talibus. n. proprium est virtutes celare, quas tamē ipse Christus IESVS manifestat, & in hac vita mortali reuelando, & in illa æterna remunerando. Quales præter eos, quorum fit mentio in hodierno Euangelio, fuerūt Christi tempore *Nathanael*; cuius virtutes ipse Christus prodit: *Ioseph* quoque ab *Arimathæa*: & infiniti alii. Quartum qui stant & stabunt. Ioa. 1. 47. Luc. 23. 50

Neque verò cogitandum est, Christum IESVM, dum in mundo conuersaretur in mortali suo corpore, hos effectus causasse, & quatuor istos hominum ordines constituisse: fuerūt enim illi ab initio mūdi, & vsque ad finē eiusdē sunt futuri; idque (quod stupendum planè) causa Christi. Et quia de duobus bonorum ordinibus, nec est tanta difficultas, nec ad hanc propriè concionem spectant; de aliis duobus tum malorum, quibus est IN RVINAM; tum pessimorū, III. PARS Quibus Christus sit in RVINAM & in SIGNVM

quibus

quibus est IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR disseramus. Itaque resumpto iterum (immò iam tertio) themate proposito, quærimus primùm, cur Simeon dicens ECCE POSITVS EST HIC IN RVINAM ET IN RESVRRECTIONEM MVLTORVM; prius ruinæ, quàm resurrectionis facit mentionem? Nunquid censuit magis illum esse positum ad interitũ, quàm ad salutem? Absit hoc vel cogitare: non ideò: sed iccirco (vt arbitror) quia plures & tunc fuerunt, qui perierunt IN ISRAEL, id est, ex Iudæis, & nunc pereunt. Quod etiam ante prædixerat Isaias prophetans de Christo: nam postquam *lapidem offensionis & petram scandali* illum vocasset, subiungit: *Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur.* Nonne auditis plurimos condemnandos? Nolite igitur vos quæso multitudine peccantium prout facere consueuistis, excusare, quinimmò hoc ipsum animis vestris iustissimum incutiat terrorem: Si enim suis non pepercit Christus, ex quorum sanguine processit, minus nobis parcet, qui tales non sumus. Audis. n. prophetam prædicere quod *& cadent & conterentur.* Loquitur autem de Israelitis.

[Margin: I. Quæritur cur RVINAE, prior mentio.]

[Margin: Is. 8. 14.]

[Margin: Ibidem 15]

[Margin: Quæritur cadere & conteri quomodo differant.]

Quòd si percõtatus fueris, num inter hæc duo aliqua sit differentia: dicam videre me quidem Auctores, vt plurimum, pro eodem

ea su-

ea sumere, attamen si ipsius saluatoris verba ponderemus, discrimen aliquod inter ista omnino statuamus necesse est. Sic. n. de seipso Christus Dominus (psalmi versiculum citans & ad hunc ipsum locum Isaiæ alludens) loquitur: *Omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.* Quod dictum Christi varii variè immò quidam contrario modo interpretantur: alii. n. per priores infideles, per posteriores verò fideles intelligunt: alii contra, alii aliter. Dicerem salua fide Catholica, & meliori iudicio, notari in his verbis duo ista hominum genera de quibus tractationem suscepimus. Qui. n. cadunt super lapidem istum, iis Christus est IN RVINAM: super illos verò cadit lapis iste quibus est IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR. Cōstat. n. apud omnes in prioribus verbis minus peccantes, in posterioribus magis Deum offendentes intelligi. Quod ipsa etiam metaphora à Christo assumpta euidenter docet. Ex pænæ enim magnitudine culpæ grauitatem colligimus: multò autem magis læditur is super quem lapis cadit (propterea dicitur *comminuet illum*) quàm si quis in eundem lapidem impingens corruat: tales verò sunt isti secundum nostram expositionem. Minus enim peccant, qui ex ignorantia, vel infirmitate:

Ps. 117. 22.
Luc. 20. 18

quàm qui ex malitia,&inuidia offendũt Deum; præſertim ſi in malitia ſua perſeuerant, quales hic intelligimus: proinde illis eſt Chriſtus in ruinam: his verò in ſignum contradictionis: illi nonnunquam ſtant, & iterum corruunt: hi verò obſtinati in peccatis hærent, & interdum etiam iuſtos malitioſè perſequuntur: ideòque illi aliquando miſericordiam conſequuntur: iſti prorſus à Deo abiiciuntur.

Exempla. Rem vt clarior fiat exemplis demonſtremus. Ex veteri inprimis teſtamento occurrunt primi duo Iudæorum Reges, nempè Saul & Dauid; quorum vterque quidem corruit, ſed diſpari ratione; Dauid ex infirmitate, tum adulterium, tum homicidium comittendo, tum populũ numerando: at verò Saul ex malitia & animi præſumptione, tum Deo non obediendo, tum innocentem Dauid impiè perſequendo. Iccirco Dauid miſericordiam eſt conſequutus: de Saule autem loquitur Deus ad Samuelem: *Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum?* Iam in nouo teſtamento apertius etiam eſt exemplum in his ipſis, quos præ manibus habemus Iudæis. Nam ille adoleſcens, qui Chriſto iubenti, vt omnia ſua venderet, non obediuit, ex infirmitate peccauit; quod teſtatur Euangeliſta dicens: *Qui contriſtatus in verbo abijt mærens: erat enim habens multas*

[Margin notes: 1. Dauid & Saul. — 2. Reg. 12. — 2. Reg: 24. — 1. Reg: 15, — 1. Reg: 19. — 2. Reg: 12. — 1: Reg: 16. 1 — 2. *Adoleſcentis & phariſ:* — *Mar: 10. 22.*]

multas possessiones. Pharisæi verò ex pura malitia, & inuidentia IESVM persequebantur: nam etiam dum eadem eis loqueretur; *quærebant*, inquit D. Lucas, *Principes Sacerdotum, & scribæ mittere in illum manus illa hora.* Luc.20.19
Ac proinde illi adolescenti præceptũ Christi fuit IN RVINAM: dum. n. illud implere negligit, cadit *super hunc lapidem*, & conquassatur: Principibus verò Sacerdotum, & scribis, fuit Christus Dominus IN SIGNVM, cui perpetuò contradixerunt: iccirco cecidit super eos lapis iste, ac illos ita comminuit; vt spes resurgendi non esset vlla amplius. Hos enim designant verba illa Christi: *In peccatis vestris moriemini.* Quantumuis Io:8.24.
enim de hoc adolescente non constet nobis, an conuersus fuerit: duo tamem certa sunt: alterum, illum leuius peccasse quàm Pharisæos: alterum, Petrum simili in casu fuisse: S. Petri & Iudæ.
siquidem is dum negat Christum, grauiter in hunc ipsum impingit lapidem, & conquassatur: est tamẽ nihilominus reparatus, cùm propter pœnitentiã & lachrymas proprias tum verò gratia & dulcissimo aspectu Luc.22.61
Christi IESV: At verò supra Iudam proditorem, lapis iste cadit, & irreparabiliter cõminuit illum.

Quamuis autem hæc ita se habeant vti explicata sunt: tamen cùm & non constet nobis, immò nec constare posit, qui nam S. Quæritur An solis Iudæis Christus sit in RVINAM.

 sint

ſint primi, quiue poſterioris gradus; & certum ſit, priores non pauca ex poſteriori ordine; poſteriores verò totum ex primo habere: certùm etenim eſt, & illos qui ex infirmitate peccant, dum peccant contradicere Chriſto: & iis, qui in peccatis ſunt obſtinati, IN RVINAM maximam eſſe Chriſtũ: idcirco de vtriſque in poſterum coniunctim & promiſcuè agemus. Et primùm quidem quærimus; quinam ſint illi, quibus dicitur Chriſtus Dominus eſſe IN RVINAM ET IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR, Iudæine ſoli, an etiam alii? Reſpondeo omnibus qui pereunt talem eſſe. Primum quidem Iudæis, qui viuebant quando Chriſtus Dominus in mundo verſabatur (de quibus iam dictum eſt.) Deinde aliis omnibus, qui ex Iſrael reprobati ſunt: tum etiam ipſis gẽtilibus: quinimmò vniuerſis hominibus, qui à principio mundi à via ſalutis receſſerunt. Immò ſi cum D. Bernardo, Cypriano, & Baſilio ſentiamus, etiam ante mundi conſtitutionem, ipſi Lucifero cum apoſtaticis ſpiritibus, anſam dedit perditionis Chriſtus IESVS, verbum incarnandum.

Reſpondetur quod Omnibus.

Etiam Dæmonibus.

D. Ber: ho: 17. in Cat: Cÿpr: ſero: de zelo.

Denique ſiue perſonã ipſam & actiones Chriſti ſpectes, nihil fuit in illo, quod ſagittis & contradictionibus impiorum non patuerit: ſiue illos qui eum impugnarunt, & huculque impugnant necnon vſque ad cõſuma-

ſummationē ſeculi ſignum iſtud petent cō-
ſideraueris; nullum genus hominum exci- Hominibus
pies iniquorum, quibus non ſit IESVS IN vero modis
RVINAM ſiue in re, ſiue in figura, ſiue di- variis.
rectè, ſiue indirectè, ſiue promiſcuè & in
confuſo, ſiue etiam in particulari: Iudæis,
gentilibus, hæreticis, ſchiſmaticis, pſeudo-
politicis, Machometanis, ipſis denique per-
uerſis Catholicis. Chriſtus etenim IESVS, In figuris.
verbum patris caro factum, in typo & figu- *Ge:4.8.*
ra in Abel à Cain occiſus fuit: In Noe, dum *Ge:9. 22.*
denudatus in cruce pependit, à ſceleſto filio *Gal:4. 29.*
Cham irriſus eſt: ab Iſmael in Iſaac afflictus; *Ge:27.41.*
ab Eſau in Iacob perſequutionem paſſus à *Ge:37.28.*
fratribus ſuis in Ioſeph venditus à Core, Da- *Num:16.1*
than, & Abiron cum alia ſacerdotum & Le-
uitarū turba in Moyſe contemptus; à Saule *1. Reg:22.*
& Abſalone ingratiſsimis Rege & filio, in *2 Reg:15.*
Dauid ad mortem quæſitus: à Ioab denique
(vt infinita omittam) in Abner fraudulen- *2.Reg:3.*
ter & ignominioſe occiſus fuit. Hunc ipſum *27.*
Chriſtum IESVM primùm quidem promiſ- In promiſsi
ſum tum Adamo & Euæ; tum Abrahamo, one.
Iſaaco, Dauidi, & aliis, Filii eorum & filiæ
ac nepotes penè omnes repudiarunt; atque
tum vita improba, tum idololatria fæda, ſi-
gno huic ſanctiſsimo impiè contradixerunt.
Deinde iam datum natumque, immò con- In Aduentu
uerſantem cum illis, infinitaque eis præſtan-
tem beneficia, multò etiam acerbius perſe-

quuti ſunt, & deriſionibus, conuitiis, contumeliis toto vitæ tempore afflictum; tandem flagellatum, ſpiniſque coronatum, crudeliter, ac ignominioſè cruci affixerunt, & occiderunt: Crucifixum autem Iudæi quidem blaſphemarunt, ac in illo grauiter ſcandaliſati ſunt; Gentiles verò ſtultum fuiſſe reputarunt, ac reputant huc vſque. Omnes verò tam Iudæi, quàm gentiles in Apoſtolis & diſcipulis eius tam vitam, quàm doctrinam ipſius miris & inauditis tormentis perſequuti ſunt, & extinctam eſſe voluerunt. Hinc Apoſtolus clamat: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcãdalum; gentibus autem ſtultitiam.* Ecce occaſio RVINAE. ecce SIGNVM CVI CONTRADICITVR. Magis autẽ etiam ab hæreticis.

In cruce præcipuè.

1. Cor. 1. 23

Verùm Iudæis Gentilibuſque miſsis, hereticis verò ad aliud tẽpus reſeruatis (de quibus tamẽ pauca paulo poſt) ad Catholicos noſtros ſermonẽ transferamus. Quid nõ deeſſe arbitramini inter Chriſtianos quibus Chriſtus ſit IN RVINAM quibus IESVS ſit IN SIGNVM CVI CONTRADICITVR? Erratis ſi id putatis: atque vtinam vel ſint rariores, vel deſint ſaltem illius peſsimi generis. At proh dolor, pudorque, plures equidem ſunt, quàm eſſe cogitantur; & terribiliores magiſque impii, quàm multi etiam Gentilium. Nunquid non audiuiſtis aliquãdo de-

Etiam iis qui ſe Chriſtianos vocant, eſt Chriſtus in ruinam. vt.

do determinatum esse à magnis Theologis, posse aliquem in certis Indiarum locis negare se esse Christianum? Quid ita? inquis. Quia primi qui eo peruenerant Christiani, ita sese gesserunt, ita omnia cædibus, stupris, rapinis & id genus vitiis repleuerunt, vt locorum illorum incolæ etiamsi gentiles essent arbitrarentur tamen, immò certo sibi persuaderent professionem hominis Christiani aliam non esse, quàm talia patrandi scelera, ac proinde in tantum Christianorū & Christianæ religionis odium exarserunt, vt ne nomen quidem ipsum ferre possent. Atque vtinam, & iterum iterumque dico, ô vtinam omnes tales eo commigrassent, & si resipiscere noluissent, malè periissent; vt orbis Christianus ab iis liber esset: sed quàm plena sunt talium omnia? Omitto hæreticos quibus inermes Christi seruos mactare fortitudo est, à quibus monasteria, cænobia, religiosorum collegia solo æquare zelus diuinus nuncupatur: quibus virgines Deo sacras ad impudicitiam pertrahere, vel etiā cogere: matrimonium, & thorus immaculatus dicitur: quibus bona aliena, præsertim Ecclesiastica diripere iustitiæ est quædā species: quibus denique omnem diuinum, humanumque ordinem in sacramentis, in gradibus Ecclesiasticis, in Ciuili, Sacroque magistratu, in cæremoniis, in orationibus,

Scelestissimis.

Hæretici.

festis, vigiliis, ieiuniis,aliisque sanctis exercitiis euertere, ac funditus ê medio tollere religionis sunt actus præcipui, o barbaries etiã apud Scythas inaudita. Sed his omissis pseudopoliticos leuiter attingamus.

Pseudo-politicis.

Istis regnare beatitudo est; nec quicquam etiam iniquissimum omittere, dummodo principem agas, canon vitæ est. Ac proinde talibus non solum Catholica, sed & politica fides est somnnium, pietas hypocrisis, iustitia aliena inuadere, occidere iocus, prudentia [ad omnem (verba sunt Machiauelli) vẽtorum & fortunæ conuersionem versatile ingenium habere] fortitudo debiles opprimere, sapientia, diuina humanis substernere; mentiri ciuilitas, fallere officium, rapere lucrum: ac vt vno verbo dicam propter vtile, & quod illis videtur honorificũ, omne verè honestum relinquere, inhonestum verò nullum reformidare. Quis monstrum tale etiam apud Ethnicos poetas vidit? nihilominus qui sunt eiusmodi, non solum Christiani sed & Catholici dici, esseq; volũt: an verò re ipsa sint, Deus ipse nouit. Si enim nemo scit cor hominis, nisi qui creauit illud, quanto minùs quis cognoscere poterit hominem duplici corde? Nam quî sciri potest, an in eo etiam quòd se Catholicum esse dicat, simulatorem non agat, cùm hæc illius sit professio? ô quantam IN RVI-

In principe. Cap:18.

NAM

NAM est talibus Christus. O quale IN SIGNVM CVI CONTRADICITVR est eis dulcis IESVS. Quis enumerabit sagittas & lanceas venenatas, quas tales cordi ipsius infigunt? Tres accipe ex multis, quibus non Absolonis scelesti parricidæ; sed parentis, conditoris, & redemptoris sui IESV cor transuerberant, & quòd omnem ingratitudinem superat, ad hoc ipsum faciendum alios instituunt. Quid enim in corde latebat saluatoris? Tres potissimæ virtutes, (vt alias taceam infinitas) nempè Humilitas, seu mansuetudo, quàm inprimis & ante omnia suis Christus discipulis commendauit. Deinde sinceritas: cuius vitium contrarium nempè hypocrisim in aduersariis maximè est insectatus. Postremo sapientia, vnde & nomen sortitus est, vt *Sapientia Dei*, & nostra *Sapientia* vocaretur. Hæc verò tria, virtutum genera pseudopolitici maximè insectantur, & quantum in se est confodiunt. Humilitatem & mansuetudinem, ambitione ac crudelitate; Sinceritatem ac fidem simulatione, & perfidia: Sapientiam summa insipientia. Sapientiæ etenim proprium est altissimas causas considerare, & per superiora inferiora regere ac gubernare: isti verò totum contrarium docent, belluinum animum induere; humana consilia diuinis præferre; idque genus alia non pauca. Quanta

NOTA. Quomodo Pseudopolitici tres virtutes quas Christus amauit maximè persequuntur.

Mat:11.29

Mat: 23.

Luc:11.49

1.Cor:1.30

ſtultitia? quanta & qualia vulnera infixa Chriſto?

Humilem poſſe eſſe ſtrenuum.

At inquiunt (prout quidam mihi obiecit) impoſsibile eſt eſſe ſimul humilem mãſuetúmque, & ſtrenuum militem, vel principem, aut Imperatorem, cùm hæc ſibi inuicem contrarientur. Contraria ſunt equidem ſecundum pſeudopoliticũ caput, quòd vtinam plus habeat cerebri: at non ſecundùm diuinam Theologiam, immò veram philoſophiam. Quis politicorum audebit ſeſe anteponere fortiſsimo Dauidi? Conſtãtino Magno, & Carolo Magno imperatoribus, noſtris quoq; Regibus Boleſlao Chabri & Criuouſto, Sigiſmundo primo & aliis? Quorum tamen primus ille inquam Dauid, dux cordatiſsimus, ſic alloquitur De-
Pſ. 131.1. um. *Memento Domine Dauid & omnis manſuetudinis eius.* Agnoſciſne vocem? audis quomodo bellicoſiſsimus vir, qui tantum cruoris humani ſparſit nihilominus manſuetũ ſe eſſe prædicat? idque coram eo, cui corda omnium patent Deo? & necdum mendaces horum linguas, à tuis auribus amouebis? Reliquorum autem quos citauimus ſi geſta & vitæ legantur, inuenientur ii cùm hæroica animi magnitudine infinitis victoriis ornata, admiranda & imitanda humilitatis ac manſuetudinis habuiſſe opera, & indicia, præſertim in iis rebus, quæ Deum, & eius reli-

religionem concernebant. Cessent igitur obsecro Christiani â talibus non dico Christiano homine, sed etiã bono philosopho morali, & verò politico indignis opinionibus & dogmatis: quinimmò dent operam, vt vulneribus quæ petendo Christum crudeliter sibimetipsis inflixerunt, per eius sanguinem tempestiuè medicinam adhibeant ad veram pænitentiam & sacramenta sancta recurrendo.

Sed tempus est, vt aliis quoque Catholicis, quibus peccare lethaliter familiare est, demonstremus, quomodo Christus IESVS sit eis IN RVINAM, ET IN SIGNVM CVI CONTRADICVNT. Retulimus quæ in Indiis acta sunt, optandum ne amplius fiãt, prout constat saltem moderatius talia ibi agi: vnde diuina est exaltanda bonitas, & laudanda etiam magistratus vigilantia. Illos verò professione Catholicos veritate, ne Christianos quidem, & his similes qui inter nos versantur perstringit Apostolus his verbis. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes.* Quid mirum si à gentilibus Ethnicis, nomen Christi blasphematur, propter peruersam Christianorum vitam? cùm ab ipsismet Catholicis, hoc ipsum nomen IESV, & matris eius sanctissimæ, & sanctorũ omnium, & ipsius sancti sanctorum Dei trini & vnius blasphemetur quotidie? Ignotum

Catholicis etiã præsertī Scelestis.

Ro. 2. 24. Blasphemia.

tum est hoc vitium in istis partibus. Sit nomen eius benedictum in sæcula, qui illud ab auribus abscondit vestris. Considerent hæc quos sermo noster tangit, & cogitent quid fratribus suis iunioribus, qui ab illis fidem susceperunt, respondeant, in illa die iusti iudicii Dei. Vos verò ne in superbiam euehamini, sed & pro illis orate, & his non absimilia, quæ regnant inter vos, tollite de medio vestri. Huiusmodi sunt incãtationes sortilegia inuocationes dæmonũ, superstitiones & alia eius generis. His prope accedũt horrẽdę maledicẽtię, effrenes imprecationes fęda periuria, quæ tam sunt vobis familiaria, vt vix quicquam frequentius, fora, compita, tabernæ, imò domus, subsellia, & tribunalia vestra resonare videantur, quàm isthęc omnia. O Christiani non Christiani, sed ipsis etiam Ethnicis deteriores. Hanccine Christo IESV gratiam redditis pro tot immensis & infinitis, quibus vos affecit beneficiis? Ille vos elegit ex tot quæ etiam ad hũc diem, in orbe sunt nationes copiosissimæ, in tenebris infidelitatis habitantes, Deúmque creatorem suum, & Christum IESVM ignorantes: ille vos lumine verę fidei illustrauit: ille suis dotauit sacramentis, & vt essetis sãcti & immaculati effecit, ille sanguine suo à peccatis abluit, immò corpore etiam proprio pauit, & eodem sanguine potauit: ille pro-

In eantatoribus.

Maledicis.

Periuris.

protectionem ſuam adhibet, ne corruatis eorum confixi iaculis, qui *ſagittant in obſcuro rectos corde.* Tu verò quicunque es qui talem viuendi rationem tenens, loco gratitudinis IN SIGNVM tibi poſuiſti Chriſtum cui perpetuò contradicas? quem pro ſcopo habeas? Quoties enim aut Deum blaſphemas aut inimicū eius dæmonem inuocas aut quiduis prædictorum operaris: toties lanceas tuas vibras in Deum, ſagittas veſanas cordi infigis Chriſti IESV. Ne igitur mireris ſi is futurus ſit tibi IN RVINAM, & ruinam grauem: cuius tu ruinam quantum in te fuit prius procuraſti. *Pſ. 10. 2.*

Non ſolum autem iſtis verum etiam omnibus in lethali peccato conſtitutis IN RVINAM eſt Chriſtus, ſiue id corde, ſiue ore, ſiue etiam opere perficiant. Tales etenim dum proſperis abutuntur, dum aduerſis franguntur, nonne contradicunt Chriſto? qui oppoſitum illos cum verbo; tum verò opere docuit; Huius generis ſunt, qui in afflictionibus, & tribulationibus murmurant contra Deum factorem & ſaluatorem ſuum; qui leuiter, vel ne leuiter quidem læſi, graues vindictas moliuntur, famę aliorum detrahunt, conuitiis, mendaciis, contumeliis delectantur, corpori denique & vitæ aliorum inſidiantur. Alii per fas & nefas omnia ad ſe trahūt, per rapinas, furta, Aliis omnibus impiis.

vſuras, falſos contractus, falſas merces, falſas monetas, falſa monimenta iuridica. Alii cùm illo diuite epulantur quotidie ſplendide interim verò pauperum ne minimam curam gerunt. Alii ebrietati, compotationibus, luxui, luxuriæ, fornicationi, adulteriis, & his ſimilibus ſunt dediti. Qui, Deus meus, & Chriſte IESV, tu ſolus noſti, quomodo te tractent, quomodo tu ſis illis IN SIGNVM CVI CONTRADICITVR. Quòd tantò eſt iniquius, frequentius, enormius, quanto non iam ex infirmitate, ſed ex habitu peſsimo, & inde ex malitia peccata procedunt noſtra. De talibus enim intelligitur illud Apoſtoli *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*. Quòd primum quidem Hæreticis competit, de quibus ibi Apoſt: prophetat, poſtea verò & aliis. Cauterii enim duæ, vel tres ſunt proprietates. Primum enim fit igne ſeu ferro ignito, deinde facit, vt eo omnes corporis defluant ſordes; deniq; habet ſignum indelebile. Tales ſunt habituati in quouis peccato, nam primum igne malitiæ aduruntur: deinde omnes omnium ſordes ad ſe trahunt, non enim ſufficit eis, ſi ſoli peccēt, verumetiam alios quos poſſunt aut ad peccatum trahunt ac pelliciunt, aut à bono auocant, hos quidem à piis operibus, illos verò à frequenti vſu ſacramentorum, alios autem, à religione vel perfectiori ſtatu vitæ

[Margin notes: *Luc:16.19* — Quid ſit cauteriata conſcientia. *1.Tim:4.2*]

tu vitæ. Vera & ſceleratiſsima inſtrumenta Diaboli. Quibus vt plurimum illud accidit tertium, quòd habeant notam indelebilem: prærariſsimè etenim tales conuertuntur, præſertim ſi eo dementiæ delapſi ſunt, vt culpas & peccata ſua peſsima in Deum optimum coniiciant.

Quid enim? putatis deeſſe aliquos, qui hæc ipſa, quæ præ manibus habemus, verba contra IESVM Deum verum dirigant, vtinam ſaltim inter Catholicos deſint, qui dicant nunquid non legimus quòd Chriſtus ita POSITVS EST IN RVINAM, ſicut & IN RESVRRECTIONEM? Quare quòd ego pecco, inde prouenit, quia IN RVINAM mihi EST POSITVS Chriſtus. Non inde, ô ſceleſte, hoc prouenit, non inde. Cum enim pręceps ruis in peccata, culpa tua id facis. Quòd ſi ſurrexeris, ex bonitate Chriſti id habebis, nã vt audiſti, non eodem modo Chriſtus Dominus eſt POSITVS IN RVINAM, vt eſt poſitus IN RESVRRECTIONEM. Nam in reſurrectionem poſitus eſt directè, efficaciter, & per ſe omnibus modis iubendo, incitando, præcipiendo, & ad vitam frugi, ad virtutes, ad pænitentiam, quàm reſurrectio conſectatur, omnes monendo, ac exhortando; inſuper pręueniendo nos gratia ſua, vt velimus; adiuuãdo, infirmitatem noſtram vt poſsimus; operando

IIII. PARS Quis auctor RVINÆ & SIGNI CONTRADI.

perando nobiſcum, vt bonum perficiamus: denique & merendo nobis omnem gratiā; & efficiendo ac dando RESVRRECTIONEM. At IN RVINA ſecus ſe res habet: hęc enim principaliter à te eſt, culpaq́; tua prouenit. *Perditio tua Iſrael* ait propheta, tua eſt inquit perditio, id eſt ex te procedit, tu ipſe eius es auctor, ô homo. Ex Deo verò quid? Reſpondet ibidem Dei nomine: *tantummodo in me auxilium tuum.* Quicquid ergò boni in noſtris operibus reperitur à Deo procedit principaliter: quicquid verò eſt mali, à nobis eſt efficaciter. Quare IN RVINAM POSITVS EST IESVS non directè, & cauſaliter; ſed indirectè, & quaſi occaſionaliter.

Oſe: 13.9.

Fecit enim Deus pater omnipotens dando nobis filium ſuum, quòd faciunt medici peritiſsimi, qui in deſperatiſsimis caſibus perſcribunt medicinas potentiſsimas & efficaciſsimas, quæ ſi effectum non fuerint ſortitæ ſuum, quis ſapiens vel medicum, vel pharmacum audebit accuſare, licèt fortè medicina illa aliquam maioris infirmitatis dederit occaſionem? ita Deus pater omnipotens, vltimum & potentiſsimum, quòd habere potuit remedium, contra vitia noſtra dedit filium ſuum IESVM, quem ſi tu non recipis, vel receptum peccatis tuis grauiſsimis, vt SIGNVM quoddam & ſcopum quotidiè petis, eique perpetuò contradicis,

Simili id declaratur.

NOTA.

qua in

qua impietate, & impudentia culpam in illũ tuæ ruinæ coniicis? Contradictionem enim esse causam ruinæ, ruinam verò esse eius effectum quis non videt? tu ergò ne contradicas, & ruinam non est quòd timeas: ne sis scarabæus, & interitum non formidabis. Quid est esse scarabæum? Notum est omnibus, scarabæum delectari stercoribus: dicitur autem emori inter rosas positus. Tales sunt quos depinximus, qui in sordibus peccatorum volutantur, ideò odorem Christi ferre non possunt. Si enim Apost: de seipso loquitur quòd *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* Quantò magis id ipsi Christo competet? Et nota non fætorem, sed bonum odorem & mortem, & vitam causare: non quidem per se, sed pro ratione dispositionis. Ita Christus IESVS est POSITVS IN RESVRRECTIONEM. Quia *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ipse enim est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* Est etiam POSITVS IN RVINAM: Quia vt alibi ipse de se testatur. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.* Propterea in tenebris siue infidelitatis, siue malorum operum ambulantes, impegerunt in lapidem offensionis, & corruerunt: quæ non lapidis, sed cæcitatis illorum culpa est. Denique POSI-

Alia similitudo.

2.Cor:2.15

Ibidem.16

1.Tim:2.4

Ioa:1.9.

Ioa:3.19.

TVS EST Christus IESVS IN RESVRRECTIONEM, quia ipse omnem nostram salutem operatus est, & omnem nobis resurrectionem, siue primam, siue secundam, siue gratiæ, siue gloriæ commeruit. EST POSITVS etiam IN RVINAM, vt illi, qui ei contradicunt, videant tandem *in quem transfixerunt*, & quem sagittis suis venenatis, siue cogitationum, siue loquutionum, siue etiam operum pessimorum pupugerunt.

Ioa: 19. 37.

V, PARS. Quantum sit istud malum.

Neque verò tantum scelus gratis fecerint, (vt ad postremum quòd proposuimus perueniamus) quantò enim maius & acrius est malum, tantò grauior & acerbior erit pæna. Hoc verò malum, quòd malum non continet? Omne equidem; tam culpæ, quàm pænæ; tam corporale, quàm spirituale; tam tẽporarium, quàm æternum. In posterioribus. ñ. verbis omne malum culpæ continetur. Omnes. siquidem qui peccant pro scopo, & SIGNO habent Christum crucifixum, CVI CONTRADICVNT, alii plus, alii minus; nullus tamen non contradicit: ideò omnibus est IESVS IN RVINAM; quo verbo omnia pænarum genera cõprehenduntur. Hinc Propheta *Væ* comminatur ei, qui *contradicit fictori suo, testa figulo*. Scitis quid faciat figulus, quãdo aliquod vas illi non succedit, quomodo comminuit illud. Et optandum quidem illis foret, vt sic cum eis ageretur, vtque soli simul contererentur, nec aliqua amplius eorum

Isa: 45. 9.

rũ pars superesset, petiit hoc olim Iob (quãuis in alio sensu) dicens: *Quis det vt veniat petitio* *Iob: 6. 9.*
mea &c. *& qui cæpit ipse me conterat:* at nec ipse id impetrauit, nec illis hoc eueniet. Sed eueniet illis, quòd Lucifero cum dæmonibus eadem de causa accidit, vt & viuant perenniter, & crucientur sine fine crudeliter. Audistis enim non semel decretum illud summæ veritatis ideòque certum, ideò irrefragabile; illud inquam: *Discedite à me maledicti in ignem æter-* *Mat: 25. 41.*
num, qui paratus est diabolo, & Angelis eius; ac proinde etiam vobis, quos eorum societati adscribo. Vos enim maluistis cum Apostaticis spiritibus potiùs in me iacula vestra nefaria vibrare, quàm mandatis meis obtemperare; contradicere potiùs, quàm obedire: abite igitur, & quòd placuit, exequemini in æternum: Cõtradictionem enim extorquebit à vobis, & malitia mentis vestræ obstinatæ, & tormenta sine fine permansura. O iustum præpotentis Dei iudicium; ô deploranda damnatorum calamitas. Deplorate nunc illam obsecro fructuosè, ne post modum nequicquam in æternum plorare cogamini. Cessate siue vita scelerata, siue etiam ore peruerso & impio contradicere piissimo Christo IESV; vt à saluatore in hac *die salutis* misericor- *2. Cor: 6. 2.*
diam & salutem referatis.

REMEDIA considerare I. Te esse Idololatrã.

Quòd vt faciatis, hæc quinque vobis media, seu remedia propono. Primum est, cõsiderare quanta sit calamitas eorum, qui con-

tradicunt Christo: tanta equidem, vt omnia sint illis in ruinam, & ea quæ complectuntur, & illa quæ odio habent, & quibus delectantur, & quæ refugiunt, & ipse Christus quem sagittant, & sua idola in quorum gratiam ista
Ex:34.12. faciunt. Testimoniorum huius rei plena sunt
Deu:7.16. diuinarum literarum monumenta. Vnum ex
Iud:8.27. multis accipe. Sic inquit scriptura de Rege Iuda scelesto, pugnante cum Rege Siriæ: *A-*
2.Par:28. *chas immolauit Diis Damasci victimas percussori-*
23. *bus suis, & dixit. Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cum è contrario ipsi fuerit ruinæ ei, & vniuerso Israeli.* At inquis ego Idolis nõ immolo, quia Catholicus sum. Immò verò immolas. Potius enim Deo veraci per Apostolũ loquẽti, quàm tibi homini mẽdaci credendũ est. Nunquid, nõ expressè
Col. 3.5. D. Pau: *Auaritiam* vocat *simulacrorum seruitutem*, id est adorationem? Et alibi de epulis, &
Phil,3.19. luxuriæ deditis inquit. *Quorum Deus venter est.* Ecce duo peccatorum capita: adde tertium
Prou: 16. superbiæ vitæ; de quo sæpè sapiens, & omnia vitia cõprehendes. Agnosce igitur quomodo pater mendacii te mendacium doceat, & desine illi obedire. Deinde perpende quæso, quomodo è contrario, qui adhærent Christo, etiamsi aliquando ex infirmitate corruant; tamen hoc ipsum prodest illis ad celerius & fortius resurgendum. Nam ait

2.Bonis omnia in bonum cedere

Ro:8. 28. Apost: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quanta diuina bonitas,
quanta

quanta piorum fælicitas, quibus & Rvina ipſa cedit In Resvrrectionem. Ad horum ergò conſortium feſtina & eorum te numero inſere obſecro.

Quam ad rem iuuabit te præterea conſideratio maximi, in quo es periculi, non ſolum illius, quòd in æternum durabit, ſed etiam huius, quòd illius cauſa eſt, & pæna alterius. Qui enim peccata ex infirmitate facta paruipendit, habitum paulatim in illis contrahit, ac iuſto Dei iudicio dilabitur in illam, quam (vt audiſti) tantoperè deteſtatur Ap: *Cauteriatam conſcientiam*, & in illum, quo in mundo nullus infelicior eſt ſtatus, illum in quam ſtatum, vt cadat, & non reſurgat ampliùs. Non quod non poſsit, ſed quod nunquam volet tantam vim ſibi inferre, quanta ad id requiritur. Ne ergò differas conuerſionem rogo, ne diuorum etiam pro te interceſsiónes in caſſum recidant, prout Samuelis pro Saule irritæ fuerunt; ne talis cauterii tibi nota inuratur, quæ neque in hac, neque in illa vita deleatur vnquam.

3. Pænas hic & illic.

1. Tim: 4. 2

1. Reg: 16. 1

Sed & illa ſummæ tuæ veſaniæ conſideratio locum apud te habeat velim. Quis enim maximæ ſtultitiæ illum non argueret qui ſagittas collimaret ſuas in ſcopum, & certò ſciret, quòd inde ſagittæ reſilient & ipſummet ſagittantem, petent & occident? (quod factum legimus in monte Gargano miraculosè) Eiuſdem igitur teipſum argue inſipientię,

4. Veſaniam extremam. A ſimili.

qui certò nosti, sagittas, quas in SIGNVM hoc, Christum videlicet dominum contradictionibus tuis emittis, illi quidem nihil nocituras, te verò omninò pessundaturas.

5. Exemplū memorabile.

NOTA.

Deniq; pone ante oculos mentis tuæ spectaculum illud crudele, quòd gentiles recensent històrici de filiis, qui cadauer mortui parentis sagittis petebant suis (vnde pro legitimo filio agnitus dicitur is, qui tam enorme exequi facinus recusabat) & cogita si id in tua fieret præsentia, quo in illos esses animo? amaro equidem, vt arbitror. Quid si videres eadem viuo patri à filiis fieri, nunquid non maiori etiam ira, & indignatione contra tam crudeles parricidas excandesceres? dubio procul. Quid si hanc idem tibi ipsi viuo, & benè sano, proles tua facere attentaret? quid de filiis tuis tum sentires? quem dolorem internum perciperes? quibus maledictis illos afficeres, quam vindictam meditareris? Hæc igitur omnia tibi presta, in te ipsū sancto odio excandesce; adhibe contritionem, & dolorem cordis intensissimum, argue & increpa teipsum sincerissimè: maledic diei illi, qua in parentem immò plus quam parentem tuum Chrîstum IESVM viuum & sensibus omnibus integrum scelestas sagittas tuas eiaculari cæpisti: disquire diligenter quomodo, & quoties id perfeceris, exaggera culpam tuā (prout nunquam satis hæc à quoquam dignè exaggerari potest) quòd tantillus contra tantum

Exhortatio ad pænitentiam validā ex dictis.

tum

tum tanta commiſeris, & patraueris ſcelera; quòd Deo creatori, & conſeruatori tuo toties contradixeris: quòd pro ſcopo, & SIGNO CVI CONTRA DICERES perpetuò IESVM Chriſtum habueris: quòd illum ipſum, qui pro ſalute tua plagas & vulnera grauiſsima ſuſtinuit, tu nouis plagis & vulneribus quantum in te fuit, afficere quotidie volueris. Hæc meditare, hæc in amaritudine animæ tuæ recollige, recollecta integrè ſacerdoti confitère, confeſſa, non ſolum nolis iterare, ſed potiùs cura pro virili tuo, fructibus pænitentiæ vindicare & punire. Hac.ñ.ratione dum hic adhuc viuis, obtinere poteris, vt Chriſtus IESVS non ſit tibi IN RVINAM proptèr iniquitates tuas; ſed ſit IN RESVRRECTIONEM propter merita & bonitatem ſuam; non ſit tibi SIGNVM cui contradicas, ſed ſit exemplar quòd imiteris: denique non erit tibi lapis offenſionis, in quem ruas, vel qui te conterat; ſed fiet tibi lapis in caput anguli, vt & anima, & corpus tuum per gratiam, & charitatem illi agglutinata, eo tandem per miſericordiam ipſius perueniant, vbi ipſe cum Deo Patre in vnitate ſpiritus ſancti viuit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum Amen.

EVANGELIVM ET VNVM, DE VIGINTI ARGVMENTA CONTRA HERETICOS.

CONCIO SECVNDA

Fides.

Exordium A lectoris & Concionatoris officio

SI lectoris apud vos fungeremur officio, inuestigandũ nobis hodie foret, quanam ratione illi pseudoprophetæ, qui non iã (vt priores) à Deo immediatè; sed ab hominibus ordinante Deo missos se esse fingunt, cognosci possint. Cùm. n. iis quas in Aduentu habuimus concionibus, primum partitionis membrum absoluerimus, ostenderimusque hæreticorum antesignanos, ac Ministros, qui se à Deo ipso missos asserunt, verissimos & purissimos esse pseudoprophetas, cùm non solum vna, sed etiam omnibus planè veri prophetæ notis penitùs careant: ordo doctrinæ (cui inprimis doctor attendere debet) suo iure poscere videbatur, vt aliud diuisionis membrum iam aggrederemur. Verùm prædicatoris munus, quòd hoc in loco gerimus aliud quidpiam à nobis requirit: nẽpè vt à præscripto Euangelii, quòd præ manibus habemus quantum fieri potest non discedamus. Quemadmodum igitur tunc de missione, quæ fit à Deo, egimus; quoniã ea, quę in Aduẽtu lecta sunt Euangelia illã tractationem exigebant: ita cùm hodiernum quod audistis, nihil minùs desideret, quàm cæpta prosequi: æquum est vt nos non Euã-

geli-

gelium noſtro inſtituto ſeruire cogamus, ſed potius Euangelio ſermonem noſtrum accomodemus: hoc verò caput de miſsione, quæ fit per manus hominum (ſanê perutile ac neceſſarium) ad illud tempus reſeruemus, quãdo ipſum quod curret Euangelium, huius rei tractandæ occaſionem nobis præbuerit.

Quare in hodierna concione non eſt vobis expectanda, particularis alicuius controuerſiæ diſcuſsio, ſed contenti eritis, ſi ea, quæ in hoc Euangelio non pauca fidei Catholicæ dogmata ſtabiliũtur, obiter delibemus. Delibemus inquam. Nam ſi omnia pro dignitate excutienda forent: ne plurium quidem horarum ſpatium ad id præſtandum ſufficeret. Verbis igitur Euangelii inhærentes, eaq; ſecundum litteram ponderantes, eos præcipuè inde floſculos decerpemus, qui fidem Chriſti contra perfidiam hæreticam, tuentur, probant, confirmant. Vnde etiam euidenter patebit, ibi eſſe veram Eccleſiam, vbi quæ in Euangelio habentur, fideliter creduntur. Tu Chriſte IESV tribue ita hæc intueri, vt qui non vident, veritatem, videant, qui verò illam vident, in ea confirmentur. PROPO: Ex Euangelio floſculi pro fide Catholica ſeligentur.

Quod fit in ſtructura palatii materialis, id in ædificatione *domus Dei* (quo nomine Eccleſiam Apoſt: vocat) nobis conſiderandum venit. Quemadmodum enim illud non ſemper ex magnis lapidibus, ſed non rarò etiam ex paruis lateribus benè compactum, firmũ, A ſimili. 1 *Tim: 3. 15*

fixumque manet: ita fides nostra non ingentibus tantum argumentorum ponderibus, sed minutis etiam auctoritatum, & rationũ momentis, ritè, rectèque coagmentata stabilis, & perpetua permanet. Hæc, igitur minuta firmamtnta in hac concione animo, mẽteque attenta expendemus, itaque incipit Euangelista..

Argumenta pro fide Catho; ERANT IOSEPH ET MARIA MATER IESV. Circa quæ verba prius quam contra omnes hæreticos agere incipiamus, occurrit primum argumenti telum Anabaptistas confodiens, qui lingua sua blasphema asserunt Christũ Dominum ex Ioseph esse pro-

I. Pro virginitate Matris DEI. creatum: contrarium enim hîc audis, Mariam quidem matrem IESV dici, Ioseph autem

Occupatio. patrem eius non dici. Nec ignoro, quid respondere soleant, nempè dici id alibi. Nam ipsa Maria mater IESV sic filium alloquitur

Luc: 2. 48. suum. *Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Erat igitur inquiunt, Ioseph verus pater ipsius IESV. Minimè verò. Nam idem ipse, qui hoc scripsit Euangelista seipsum interpretatur, non semel, sed iterum, immò & tertio, & ante, & post prolata verba ista. Ante quidem, in eodem capite in hodierno Euangelio, vt audisti, & paulò post iterum addit dixisse Simeonem.

Ioseph pater Christi putatiuus. AD MARIAM MATREM EIVS. I. Christi. sed multò clarius id declarat in sequenti capi-

Luc: 3. 23. te sic inquiens: *Et ipse IESVS erat incipiens*

quasi

quasi amorũ trigĩta vt putabatur filius Ioseph. Quid dici potuit euidentius? Alterum etenim ex duobus concedant necesse est impii hæretici: vel Christum IESVM è virgine esse natum, quod verissimum est: vel Lucam dicendo, vt putabatur, summa ignominia Christum afficere voluisse, notando istis verbis Christum ex adulterio esse natum: quod impudentissimum est contra Euangelistam mendacium. Quis enim nisi inimicus, de aliquo bonæ famæ viro dicet, iste putatur esse illius filius? Nonne quilibet animaduerteret, eum, qui id diceret, dubitare, vel potiùs credere talem non esse illius filium, cuius se filium nominaret? Fuit igitur Ioseph pater IESV opinione, vt dicit scriptura; non fuit in rei veritate, vt contra scripturã mentitur hæreticus. MARIA autem fuit vera MATER IESV, quia ex purissimo ipsius sanguine corpus IESV formatum fuit, contra alios antiquos hæreticos; qui affirmabant Christũ nec Ioseph, nec Mariæ verum filium fuisse. Ita per extrema semper hæretici gradiuntur, veritas autem in medio consistit. Erant igitur Ioseph & Maria:

MIRANTES. Cur mirantur? Mirari enim solemus noua, & antea incognita. At qui vt id Iosepho concedamus; quid latere potuit Mariam in cuius vtero nouem mensibus latuit ille, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi?* quid ignorare potuit illa;

II. Quod non omnia simul sciãtur

Col: 2. 3.

illa, in quam *Spiritus sanctus superuenit?* cui *virtus altissimi obumbrauit?* quæ teste Angelo fuit *gratia plena?* quœ multo ante iam audiuerat, multò mirabiliora cùm extrinsecùs ab Angelo à pastoribus, à Magis; tum intrinsecus ab inhabitante in se Spiritu saucto? Cur ergò dicit Euangelista eam miratam esse? Dicit, quia verè ita se res habuit. Dicit, vt tu confirmeris in fide Catholica, & abomineris sunmmam hæreticorum impudentiã, quorũ mulierculæ asserunt, se omnia nosse, omnia arcana scripturę intelligere, nil eas hac in parte latere. O extrema vesania, ad quam pater mendacii, diabolus hos homines impulit. Matrem Dei, virginem sapientissimam quędam latent, ideò audit, miratur, confert in corde suo. Mulier verò seducta à ministris diaboli, fæmina insipientissima, qua die hausit Spiritum aut Lutheranum, aut Caluinianum, aut Anabaptisticum, eadem hora omnia nouit, nihil vult discere, omnes vult docere, sanctos contemnere, doctores irridere, se omnibus præferre? Si hæc mentis cæcitas non est, nulla profectò cæcitas in mũdo erit. Discite hinc dilectissimi Catholici mei, quantum sit diabolo locum dare, discite in quantam dementiam superbia hominem pręcipitet: Et vt humiles humillimę virginis matris Mariæ imitatores decet, discite potiùs mirari, & in corde vestro conferre diuina, quàm superbè de vobis sentire, & alios docere

Etiam à B. V.

docere velle. Denique illud omnes discite, quod vos Catholica & Apostolica docet Ecclesia, nimirũ neq; via ordinaria, neq; extraordinaria, neque priuato cuiquam, neque in vniuersum toti Ecclesiæ, omnia secrata & mysteria à Deo simul & semel (quod dicitur) reuelari. Vult. n. Christus Dominus omnes, etiam ipsam sponsam suam Ecclesiam, paulatim in scientia proficere: prout voluit parentem suam quædam ab aliis seorsim discere: licet per ipsam vicissim voluerit tum alios; tum ipsos etiam Apostolos, & Euangelistas in multis instruere; præsertim verò hunc, à quo hodiernum Euangelium est cõscriptum. Mirantur itaque parentes Christi, & mirantur. Etiam ab Ecclesia.

SVPER HIS QVAE DICEBANTVR tàm à Simeone, quàm ab aliis.

DE ILLO. De Christo videlicet. Neque verò nunc inchoant, sed continuant admirationem suam parentes IESV. Quod si illi faciunt, quid nos eos imitando agere decet? Verùm hac de re erit nobis integra concio instituenda. Nunc iuxta hodierni instituti nostri rationem sufficiat nobis cum sancta matre nostra Ecclesia mirari, venerari, exosculari sanctos patres: quorum aliqui in solitudine, & speluncis; aliqui in claustris, & monasteriis, in contemplatione diuinorum mysteriorum totam vitam suam consumpserũt: neque desunt etiam nunc tantæ virtutis æmula- III. Quod status contemplatiuorum sit honorandus.

mula-

mulatores, quos infensissimi sanctimoniæ & pietatis impugnatores more suo omnibus maledictis; omnibus mendaciis insectantur. Alii. n. fuisse illos in rerum natura negant, alii quæ sanctissimè, & innocentissimè ab illis gesta tota mirata est antiquitas, aut imposturam, & hypocrisim; aut dæmonum præstigias fuisse asserunt: alii denique vbi quęsita sceleri affingendo non successit via, hæreticum attollunt cachinnum, & iam per ludibrium Panas, Faunos, iam per maledicentiam feras agrestes belluis potius quàm hominibus similes; iam homines otiosos, naturæ monstra, contrario naturæ modo viuentes, homines fanaticos; iam aliis his etiam deterioribus compellant nominibus. Misera & deploranda ventris mancipia, *quorum* iuxta
Phil. 3. 19. Apostolum *Deus venter est*, non aliter, quàm iuxta Dei sui mentem de omnibus iudicant; ideòque impossibile esse censent, præstare ea, quæ Deus illorum venter auersatur. Nos verò Catholici mei dilectissimi exultemus in domino, ac diuinæ ipsius bonitati gratias quas possumus agamus maximas; qui in ea nos collocauit hominum congregatione, in qua certum fixumque est, eos, qui hoc modo viuunt, sanctè, & laudabiliter viuere, ac sanctissimos parentes Christi, & ipsum IESVM pro viribus imitari. Vnde non solum admiremur, & veneremur cælestem eorũ cõuersationem; sed etiam propositum nobis exem-

exemplum sectemur singuli secundum vocationem nostram, alii plus, alii minus; omnes tamen aliquatenus saltem nonnunquã cum Christo *pernoctando in orationibus*. Sed iam videamus quidnam fuerit dictum de Christo, quod parentes ipsius demirabantur. Inter alia hoc quoque, vt arbitror, quòd. Luc: 6.12.

Et Benedixit Illis Simeon. Quod si tantum de parentibus Iesv intelligatur, non habet tantam difficultatem; præsertim si (cum non paucis Græcis & Latinis doctoribus) sentiamus, Simeonem fuisse Sacerdotem. Nam quod dicit Apostolus: *Sine vlla autem contradictione quod minus est, à meliore benedicitur*, licet difficultatem parere posset, ratione sanctitatis, in Beatissima virgine Maria, quam sanctiorem Simeone fuisse, nemo pius dubitauerit: tamẽ ratione officii, & Sacerdotii maior fuit Simeon. Quòd si istam benedictionem extendamus etiam in ipsum Christum Dominum; tunc dicendum erit, per benedictionem hîc intelligi, gratulationem, laudationem, faustam ominationem, & his similia.

Benedicere quomodo hic sumatur

Heb: 7.7.

In scriptura enim sacra variè sumitur benedictionis vocabulum. Et siquidem benedictio fit ab ipso Deo, semper fert secum donum aliquod, siue quod ad corpus pertingat, siue quod ad Spiritum, siue temporale, siue æternum. Non credunt ista, qui nihil ritè credunt, hæretici, cúm propter alia; tum

Benedictio varia in scriptura.

IIII. Quod Dei benedictio semper det aliquid.

tum ob ſuam imputatiuam iuſtitiam, & Eucharistiam. At credit vniuerſalis per totum terrarum orbem corpore diſperſa, & Spiritu congregata Eccleſia. Fidei autem Eccleſiæ tota adſtipulatur ſcriptura. Adferamus pro conſolatione Catholicorum aliquot ex mul-
Gē: 1. 22. tis exempla. *Benedixit Deus* in ipſa creatione primùm piſcibus maris; deinde homini; & ait: *Creſcite, & multiplicamini.* Quam benedictionem mox donum, & poteſtas eſt ſubſequuta procreandi ſibi ſimile; quæ manet in hunc diem, & quam diu vniuerſum hoc ſte-
Gen: 9. 1. terit, permanebit. Eandem benedictionem Deus repetit Nòè, & filiis eius: Abrahamo verò quoties vel benedixit, vel benedictionem pollicetur, toties donum vel datum, vel promiſſum eſt aliquod. Duo exempla ſufficiant: Alterum temporale: ita. n̄. de Sa-
Gē: 17. 16. ra loquitur Deus Abrahamo. *Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium.* Videtis quomodo ipſe Deus interpretatur quid ſit benedictio diuina? Alterum eſt ſpirituale aliquoties re-
Gē: 18. 18 petitum, videlicet quod in Abrahamo *benedicendæ eſſent omnes nationes terræ.* Hoc verò abundè factum eſt, & fit per Christum Abrahæ filium, cum quo pater æternus, teſte A-
Ro: 8. 32. poſtolo *omnia nobis donauit.* Simili ratione in
Mat: 14. 19. nouo teſtamento Chriſtus Deus benedixit panibus, & piſcibus paucis, & ecce ſufficiũt
Mar: 8. 1. ad ſaturanda aliquot hominum millia. Magna equidem vis & magnum donum hic benedi-

nedictionem diuinam consequitur. Sed longè maius illud, quando *accepit IESVS panem, & benedixit*, ac per benedictionem panem illum in corpus suum conuertit; quod ipse testatur dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Quod Christi testimonium cùm non recipiant hæretici, nobis veris Christianis, tantò maiori cum fide, & ardore est suscipiendum, & laudanda bonitas diuina, qui sensus mentis nostræ illustrat, & illuminat; vt sciamus, & credamus diuinam benedictionem nunquam vacuam ad nos venire. Hominum id est proprium sine dono vllo benedicere alicui; quia non semper possunt quod volunt: at Deus potest omnia. Nihilominus legimus in scriptura hominum etiam quasdã benedictiones cum dono coniunctas fuisse; immò ipsa dona sic vocari. Ita. n̄ Abigail dona deferens, Dauidem alloquitur: *Suscipe benedictionum hanc, quam attulit ancilla tua tibi.* Ita Iacob Patriarcha dona, quæ Esau fratri suo miserat, *benedictionem vocat.* Ita Axa à Caleph patre suo *benedictionem* petit; quam statim interpretatur dicens: *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Quanta ergò est vesania, negare id Deo, quod concedis non raró homini? Stat igitur Catholicorum sententia; benedictionem hominum nonnunquam; Dei veró semper cum dono aliquo coniunctam esse.

Mat: 26. 26.

Hominum non semper

1. Reg: 25. 27.

Ge: 33. 11.

Ios: 15. 19.

De benedictionibus autem sacerdotum V.

Quod benedictio sacerdotum non sit frustranea.

quid dicemus? Dicemus pulchrum quid pro consolatione Catholicorum, confusione verò (vel conuersione potius) hæreticorum. Hi enim fortiter negant benedictionem sacerdotum quicquam conferre nobis. Quod si de Ministris suis intelligunt; non inficiamur. Quid. n. illis conferant fex, & (vt scripturæ verbis vtar) *nouissimi populi* quorum de numero, vt plurimum creantur, sicut olim Ministri Idolorum? Quomodo autem dabit quis, quod ipse non habet? Vnde enim habeat. Tota potestas Ministrorum à magistratu, vel promiscua plebe, qui illos sicut alios officiales, sæculares eligunt & creant, deriuatur: plebs verò quam potestatem spiritualem potest cuipiam conferre? O quàm robustus est hic aries, & in hæreticos, & in pseudopoliticos, qui talia ab eis hauserũt, sed de hoc alias copiosius pertractandũ erit: nũc sufficiat scire verissimum quidem esse, Ministros hæreticorum nihil suis conferre præter baptisma, si ritè fiat, Sed illud omninò à veritate alienum, veros sacerdotes cùm in naturæ lege; tum in veteri testamento, multòque amplius in nouo nihil benedictione sua conferre solitos. Conferebant. n. aliquid, & conferunt; diuersa tamen ratione. Nam sacerdotes legis naturæ, & vet: testa: id faciebant tantum per orationem & precationem quãdam, per quam iis, quos benedicebant aliquid à Deo impetrabant. Quod ipsum quoque

3.Reg: 13. 33.

Differentia inter benedictionem vet: & no: legis.

que Pharaonem (licet Idololatrã) non latuit. Sic. ñ. ille ad Moyſem, & Aaronem. *Surgite & egredimini* &c. *& abeuntes benedicite mihi*: id eſt benedictione veſtra impetrate mihi, vt auferantur à me plagæ iſtæ. In nouo verò teſtamento, præter impetrationem habent aliquid amplius ſacerdotes præſertim in ſacramentis. Concurrunt. ñ vt inſtrumenta quædam, per quæ Chriſtus dat nobis gratias, & dona ſua. Neque. ñ. mentitur qui dedit eis hanc poteſtatem dicens: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Remiſsio autem peccatorũ cum gratia, & dono fit diuino: ad quod præſtandum concurrunt ſacerdotes noui teſtamenti. Et ex hac vna poteſtate de aliis iudicium eſto. De aliis inquam, quæ ex hiſce deriuantur principiis. Hæc. ñ. vt dixi delibare tantum placuit, vt ſint multarum, quæ ſuis temporibus tractandæ erunt, controuerſiarum quaſi ſemina. Conſolatio eſt, iſta ſingularis Catholicorum, qui talem poteſtatem in Eccleſia & eſſe credunt, & ea dum vtuntur, gratiæ diuinæ participes efficiuntur: ſed iam ad Euangelium redeamus.

Ex. 12:31.
Ibidem. 32.
Ioã. 20. 23

ET DIXIT, nempe Simeon, partim benedicendo, partim prophetando. Cui verò dicit? Reſpondet Euangeliſta.

AD MARIAM MATREM EIVS. Cur ad matrem? Tribus, vt reor, inter alias, de cauſis. Primò, quia ipſa ſola verè parens, ideò neque hic iam ſecundò, patris facit mentio-

Cur matrẽ alloquitur Simeon.

 nem.

nem. Deinde, quia illam solam concernunt quædam, quæ hic dicuntur. Postremo, quia ipsa magis intelligens: non solum enim au-
Luc. 2.19. diebat; quæ dicebantur de IESV, sed & *conseruabat omnia conferens in corde suo*; iccirco perfecta, ac virgo sapiens & dicebatur, & erat.
1.Cor: 2.6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*: ait Apostolus. Imiteris tu quoque matrem Dei diuina meditando pro virili tuo, & audies mirabilia non à Simeone, sed à Domino Simeonis. Verum quid tandem siue benedicendo prophetat, siue prophetando benedicat, audiamus.

VI. Quod benedictio non in sola fide consistat.

ECCE POSITVS EST HIC IN RVINAM, inquit. Admirandum sanè benedictionis exordium. Cum. n. quispiam alteri benedicit, fausta & felicia illi precari consueuit: hic verò audis contrarium. Quid. n. infaustum magis; quam ruina? ruina. n. omnẽ infelicitatem in se includit: Siue. n. quis stãdo labatur, siue stare videatur & non stat, siue profundius etiam mergatur semper ruere dicitur, omnibus autem istis modis Christus est in ruinam. Quæ est igitur hæc benedictio, tam acerbi casus prædictio? Neque verò hic sistit Simeon. Nam insuper prophetat, tum de signo contradictionis: tum de anima eius, quam alloquitur, transuerberanda gladio: quæ vtiq; acerba sunt nimis: quomodo ergò ad benedictionem pertinent ista? Pertinent eo modo, quo medicina amara

spectat

ſpectat ad ſanitatem, vt ſcias, ô Chriſtiane, benedictionem Chriſtiani hominis, non in proſperis tantum, ſed in aduerſis etiam conſiſtere: immò in his longè perfectius, ſi patienter tollerentur. Audi Apoſtolum tales benedictiones non acceptantem ſolum, ſed etiam in iis gloriantem: ait enim: *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Quid cauſæ: quis fructus? Subdit. *Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Admiranda profectò, & amplectenda catena, in qua tribulationi charitas Dei adnectitur, in ſola verò charitate ſolida conſiſtit benedictio. Hanc igitur amplectamur dilectiſsimi: & obturemus aures noſtras ad earum Syrenum cantus, quæ in ſola fide ſalutem, & benedictionem diuinam conſiſtere fabulantur. *Ro: 5. 3.*

Cæterum cùm hæc Simeonis benedictio integra, quaſi concione à nobis excuſſa fuerit, ideò ea tantum hic tangemus, quæ ad cõfirmandam fidem Catholicã pertinent. Quorum illud non eſt poſtremum, quod in hoc Euangelio pluribus demonſtratur argumentis, ſacram ſcripturam eſſe difficilem, quę quidẽ veritas Càtholica, licèt alias in vniuerſali à nobis probata fuerit, tamen vt promiſsis ibidem factis ſatisfaciamus, hoc ipſum in particulari nobis, & ex hoc loco, & ex aliis E- VII. Quod ſacra ſcriptura ſit difficilis. *Dominica I. Adu Conc: 2.*

 uange-

uangeliis accepta occasione præstandum erit. In hoc certe Euangelio habentur viginti circiter huius rei argumenta, & difficultates tales in quibus explicandis multa tum doctrina, tum sanctitate excellentissima ingenia non parum desudarunt. Nos & præcedenti, & præsenti concione, pleraque iam attigimus: nunc reliqua prosequamur. Et illud quidem quod subiungitur.

ET IN RESVRRECTIONEM, MVLTORVM IN ISRAEL, difficultatem non habet, sed habet consolationẽ: per Israel enim hoc
1. Cor: 10. 18. loco non Iudæos tantum, & *Israel secundum carnem*, sed omnes penitus qui saluantur, siue ex Iudæis, siue ex Gentilibus intelligit.
Ro: 9. 6. *Non n. omnes qui ex Israel sunt ij sunt Israelitæ*, ait Apostolus: sed omnes qui credunt in Christũ, illi sunt veri Israelitæ; & his solis Christus est IN RESVRRECTIONEM. Satagite dilectissimi, vt omnes ex eorum numero reperiamini. Habet autem difficultatẽ quod sequitur.

VIII. Quod Christus sit in signum cõtra dictionis hæreticis.

ET IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR: quæ tamen in preterita concione sublata est: Ideo hic nihil aliud restat, quàm (preter dicta) ostendere, quomodo Christus dominus fuerit, & sit in signum contradictionis hæreticis. Ita sane (quod stupendum est planè) vt nihil sit in Christo siue naturam ipsius vtramque spectes, siue actiones consideres, siue corpus eius mysticum intuearis, siue in

spon-

ſponſam eiuſdem, ſiue in ſacramenta, ſiue in ordinem admirandum in Eccleſia ab eo conſtitutum mentem & oculos coniicias; nihil inquam eſt, quod hæretici cum antiqui, tum moderni iaculis non impetiuerint ſuis. Alii diuinitate illum ſpoliant; alii huminitate, alii animam illum habuiſſe negant, alii voluntate humana, alii ipſo etiam corpore carere eum aſſerunt. Alii contradicunt eius cõceptioni, ex Ioſeph conceptum blaſphemantes, vt Anabaptiſtæ. Alii natiuitati, non ex virgine eſſe natum aſſerentes, vt Petrus Martyr, & Beza: alii paſsioni, diros illum cruciatus inferni in cruce paſſum aſſeuerantes, vt Caluinus: alii deſcenſui ad inferos, quẽ non credunt: vt idem Caluinus cum ſuis, alii aſcenſui ad cælos, vt Vbiquiſtæ: alii præſentiæ ipſius in Euchariſtia, vt omnes ſacramentarii: alii ſacramentis ab eo inſtitutis, vt Lutherani; & omnes reliqui: quorum tot ſinguli ſacramenta ſibi conſtituunt, quot cuiuſuis capiti placent. Omnes verò ordinem à Chriſto in Eccleſia ſua conſtitutum funditus euertũt, ſanctos cum ipſo regnantes honore, & inuocatione ſpoliant, animas in purgatorio conſtitutas orationibus, & auxiliis priuant. Omnia denique membra Chriſti fædè contaminant, & crudeliter dilacerant. Verumquis omnia iacula quibus hoc SIGNVM ab iis petitur enumerabit? quis blaſphemias, quibus ei CONTRADICITVR recenſebit? quis

Nota quam ſtupende Chriſtũ & Eccleſiam dilacerent.

denique omnes sectas quibus Christus, & Ecclesia sua scinditur vel cogitatione assequatur? Cum noua & recentia monstra in singulos dies ex hac Hydra pullulent tantò fædiora, quantò posteriora. Iam non desunt qui sanguine Christi nos redemptos esse negant; qui animam cum corpore interire asserunt, qui omnia sacramenta reiiciunt, primitiuę tãtum Ecclesię symbola fuisse asseuerantes. Sed piget, pudetque plura recensere.

IX: Quod signũ crucis impiè insecten tur hæretici

Vnum illud addamus, in quo omnes conueniunt, vt crucem Christi insectentur, & non linguis duntaxat, & ore; sed etiam manibus in illam sacrilega iacula torqueant, eiq; contradicant. Quæ impietas adeò sanè euidens est, vt etiam pueri facilè inde colligere posſint, quo illi spiritu agitentur, qui cum Iudæis, & Ethnicis hac in parte conueniunt, immò sacrilegio & perfidia longè etiam eos superant, tum quòd Christianos se esse dicãt, & Christum insectentur: tum quòd crudeliora etiam, quàm illi suæ impietatis monumenta edant. Plures enim crucis & crucifixi imagines ab hæreticis confossas, globis traiectas, comminutas reperies, quàm à Iudæis, vel Gentilibus: vt omnes ad vnum cognoscant, esse illos non qualescunque, sed omnium planè acerrimos *inimicos crucis Christi*: quo improperio maius quid reperire non potuit Apostolus. Vtinam aliquando tandẽ hanc horribilem animi cæcitatem abstergant ab ocu-

Phil: 3.18

ab oculis mentis suæ, & cessent tam impudenter, & euidenter contradicere Christo.

At inquiunt non Christum nos, sed Idola, quæ vos vobis, ô Papistæ, & fingitis, & adoratis, persequimur. Ad hæc egò respondeo: si nos, ô amici, hostis alicuius, & inimici Christi domini imagines formaremus, vel signa, sigillaue ipsius honoraremus, rectè id diceretis: at cùm secus se rem habere sciatis, nonne aperte ostenditis, vos illum odio habere, cuius signa conculcatis? Quis vnquam vel audiuit, vel legit factum ab orbe condito, vt is, qui alterum amat, eius siue imaginem, siue sigillum aliqua affecerit contemptus, aut ignominiæ nota? Nonne eo ipso indicio, quo tu Regis vel imaginem fædas, vel sigillum rumpis, declaras te Regem odio prosequi? Soluitur obiectio. A simili seu exemplo.

Humana, aiunt, hæc sunt exempla, quæ ad diuina non sunt trahenda. Obstupesco sanè impietatem & peruersitatem istorum hominum. Si nos aliquid paulò altiùs de Deo, & diuinis rebus loquimur: statim philosophos esse nos, & talia ad Deum trahenda nõ esse, inclamant: Contra si nos, Christum imitando, ad similitudines, vel exempla demittimus: eandem nobis cantilenam occinunt. Quæ fraus cacodæmonis dolo isto est euidentior? Immò verò, ô hæretici, ideò Deus factus est homo, vt & ipse humano modo nobiscum conuersaretur, quod & fecit; & Item alia. NOTA.

nos ad idem ſibi præſtandum incitaret, quod
libenter ſuſcepit: & etiam nunc amplectitur
libentiſsimè. Itaque ſicut olim non ſolum
permiſit, ſed etiam gratum habuit, quòd
Luc:7.38. Magdalena pedes eius lacrymis rigauerit, &
capillis terſerit: quòd leproſus genua coram
Mar:1.40 eo flexerit: quod itidem adoleſcens & alii fe-
cerunt, quòd Archiſynagus prociderit ad pe-
Mar:5.22. des eius; quòd cæcus natus, oculis ab illo re-
Mar:10. ceptis, *procidens adorauerit eum*; quòd Apo-
17. ſtoli ſuper aſinum, cui inſidebat veſtimenta
Ioa:4.38. ſua ſtrauerint: quòd turbæ præcedētes Chri-
Mat:21.7. ſtum triumphantem ramos de arboribus cæ-
ciderint, veſtes ſuas ante illum proiecerint:
Mar:11.3. quòd alii alia honoris illi præſtiterint officia:
ſicut, inquam, hæc, & alia, quæ nunquam
præcipiebat, chara tamen olim habuit; ita
nunc & imagines, & cruces; & cæremonias
varias, & reliqua cordis amore illius fragran-
tis indicia libentiſsimo ſuſcipit animo. Ha-
NOTA. Regulam Chriſti ho noraudi. beas ô Chriſtiane, & qui verus eſſe vis Chri-
ſtianus, hanc certam & infallibilem regulam:
Quicquid homo homini ſecundum rectam
rationem præſtat ſiue obſequii, ſiue officii,
ſiue honoris cauſa; illud ipſum ſi tu corde
puro & ſincero præſtiteris Chriſto, IESVM
non ſolum ſuſcepturum id libenter, ſed & li-
beraliter remuneraturum. Conſolamini in
verbo iſto dilectiſsimi, & opere exequimini.
Nos verò alia proſequamur. Pergit igitur Si-
meon, & dicit ad Mariam matrem IESV.

ET TV-

Et Tvam Ipsivs Animam Pertransibit Gladivs. Cuius dicti expositionem huc retulimus. Habet n. varias difficultates: tum ratione connexionis: tum quid per animam, quid per gladium intelligatur. Et connexio quidem cum superioribus hæc est, prophetauit Christum Dominum ponendum In Signvm Cvi Contradicetvr: quod quoniam cùm alias, tum verò pendente illo in cruce futurũ præuidit Simeon; ideò statim subiungit; quo in statu tum temporis ipsa quoque, quam alloquebatur, virgo futura esset: nempè in tantis angustiis illam futuram, in quantis esset is, cuius cor gladio, seu lancea (lancea. n. ponitur in Græco & Syriaco) transuerberatum esset. Per Animam, itaque hic quidam intelligunt corpus ipsum: secundum illud psalmi de Iosepho Patriarcha. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Verùm cùm neque hoc in loco per animam propriè corpus intelligatur; sed ipse Ioseph, qui & in corpore, & in anima ex compedibus dolorem sensit: multò minus in Simeonis prophetia anima pro corpore accipienda erit. Nunquam. n. est auditum corpus B. Mariæ virginis gladio vel punctim læsum fuisse. Sumitur itaque hic anima vel pro ipsa anima præcipua hominis parte; vt in illo loco, quando de Rachele dicitur. *Egrediente anima præ dolore*; vel pro vita, vt sæpissimè

Connexio textus.

Anima quid significet.

Psal: 104. 18.

Ge: 35.18.

ſimè in ſcriptura: vel pro toto compoſito. Nam cùm aliâs; tum verò in paſsione filii ſui, Beatiſsima mater Dei & animæ & corporis tantos ſenſit dolores; vt niſi à diuina fuiſſet confortata omnipotentia, anima ipſius, vt Rachelis, corpus eius deſeruiſſet, ſicque vita priuata fuiſſet. Gladius verò clarū eſt, quòd hîc metaphoricè accipiatur; idque dupliciter: tum pro gladio linguæ, vt in illo

Pſ: 56. 5. pſalmi: *lingua eorum gladius acutus*: & non rarò aliâs: tum pro ingenti afflictione. Nam non ſolum dolores maximi, quos Chriſtus dominus ipſa inſpectante ſuſtinuit, ſed multò etiam magis blaſphemiæ Iudæorum, quas audiuit, virginis cor ex magna erga filium ſuum compaſsione penetrabant.

Gladius quid.

X. Ad hãc ipſam compaſsionem adhortatur, nos mater noſtra Eccleſia ſancta: Chriſti vulnera pro ſalute noſtra in cruce ſuſcepta nobis frequenter ob oculos ponendo, ac dolorem ſanctum ex illorum conſideratione in nobis excitando. Cui qui obediunt (prout omnes Catholici faciunt) veri ſunt matris Dei imitatores, veri ſponſæ Chriſti filii: hæretici verò qui hæc inſectantur, & matris, & ſponſæ, & filii Dei hoſtes ſunt acerrimi: dicant quicquid velint, prætendant quam velint excuſationem, inculcent lætandum eſſe de tot, quæ Chriſtus Dominus nobis paſsione ſua promeruit, bonis. Lætandum ſanè de bonis, at condolendū de pœnis: ad inſtar probi

Quòd compati Chriſto ſit laudabile

NOTA. Obiectionis ſolutionem

filii

filii qui lætatur quidem de bonis sibi à patre relictis: at tristatur de morte chari parentis, si pius ipse est. Quod si cognouerit parentem & ignominiosam mortem obiisse, eamque nonnisi ipsius causa sustinuisse; tum verò id fert multò etiam acerbius: idem ergò vt nos faciamus monet Ecclesia, suadet ratio, cogit ipsum pondus naturæ filialis. Inde enim cognoscitur quis legitimus, quis verò illegitimus sit patris filius. Quam ad rem pulchrè quadrant quæ in Euangelio sequuntur. A simili.

Compassio monstrat legitimũ filium.

VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES. Tribulationes enim quæ obueniunt amico nostro, vel obuenturæ putantur, produnt, quo simus erga illum animo; & an veri ipsius siue amici, siue etiam filii simus. Nota est illa siue historia, siue apologus, quem iam commemorauimus de filiis tela iacientibus in cadauer parẽtis vita functi: quomodo eo ipso, quòd vnus emittere sagittam noluerit, iudicatus fuerit pro legitimo filio. Verùm authentica magis est historia de iudicio Salomonis, qui per hanc virtutem COMPASSIONIS agnouit, & omnes qui præsentes aderant agnoscere fecit, quæ nam fuerit vera mater infantis superstitis. Pari omninò ratione COMPASSIO monstrat, immò demonstrat, qui sint veri filii Christi Domini, illine qui de ipsius ærumnis lætantur, eò quòd inde fructum retulerint: an verò ii, qui piissimo parenti pro-

3 Reg. 3. 26

propter ipſos grauiſsimas pænas ſuſtinenti, quàm maximè poſſunt, compatiuntur, & condolent: de bonis verò relictis gratias agunt, eiſque vt par eſt vtuntur. Hæc pro conſolatione Catholicorum contra hæreticos, & Eraſmum dicta ſufficiant.

Iam quæ reſtant proſequamur. Vbi illud inprimis occurrit, quod in alia concione inſinuatum eſt. Antiquos hæc verba verbis quę immediatè præcedunt iungere: quod tamen faciunt diuerſimodè. Nam Hilarius & Ambroſius magis piè id præſtant, quàm Origenes, Chriſoſtomus, Theophylactus, & cæteri. Hi. n. affirmant; eo tempore quo Mariæ morienti filio aſtantis gladius doloris animam penetrauit, in corde ipſius virginis reuelatam fuiſſe cogitationem, & tentationem, an Chriſtus, qui talia patiebatur, verus eſſet Deus, cùm Deus pati non poſsit. Sed hæc opinio meritò ab Eccleſia recepta non fuit: tum quòd nunquam quicquam, quod ſpeciem peccati haberet, in mente virginis ſanctiſsimæ, latuiſſe credendum ſit: tū quòd verbis ſcripturę ſacræ apertè repugnet. Non. n. de ſola virgine, ſed de multis loquitur Simeon; & aſſerit EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES reuelandas, hęc verò Mariæ cogitatio, quæ fingitur, non ex corde reuelata fuit; ſed in mente abſcondita latuit. Quod vero dicimus, expoſitionem iſtam fuiſſe exploſam, id mirificè & ſolatur

XI. Quod proprium ſequi iudicium ſit periculoſū.

Catho-

Catholicos, & hæreticos confundit: Catholici. n. propriis non fidentes ingeniis (licet sæpe excellentissimis) & sua omnia censuræ Ecclesiæ submittunt, & receptam ab Ecclesia expositionem scripturæ sequuntur. Hæretici verò ita suis somniis inhærent, vt nec à quoquam iudicari velint, nec permittere, vt quis de illorum expositione dubitet, etiamsi in ea toti antiquitati repugnent. O superbia planè diabolica. Sanctissimi viri, qualis fuit Chrisostomus, & antiquissimi pariterque supra modum doctissimi qualis Origenes, interdum labuntur in suis expositionibus; homunciones heri nati, malè edocti, nil sanctitatis, multum impietatis habentes, interpretationes suas anti faciunt, vt illis potius fidem adhiberi velint, quàm etiam ipsius scripturæ verbis claris & apertis; qualia sunt, *Hoc est corpus meum*: & alia his similia infinita. Quis cordatus, immò mente non captus ferat ista? Non sunt igitur verba hæc ita, vt ea Græci accipiunt, intelligenda: sed si quis illa cum prioribus continuare voluerit, erunt cum D. Ambrosio & Hilario pie interpretãda: quorum tamen expositio omittitur: tũ ne longiores simus; tum quia sequens opinio magis nobis placet.

Itaque alii verbis illis, ET IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR, hæc VT REVELENTVR &c. coniungunt, eritque sensus multò clarior. Quemadmodum. n. dum

Chri-

Christus in cruce pendebat, & summas contradictiones sustinebat, reuelatum fuit, quis sincero erga illum animo fuerit, ita nunc & passio ipsius, & tribulationes, quibus nos affligit, plurimorum cordium secreta reuelat; quorundam quidem in malum; tam eorum, qui cruce eius scandalizantur, quàm illorum, qui in tribulationibus illum deserunt: aliorum verò in bonum, nempe eorum, qui & patienti compatiuntur, & crucem sibi impositam libenter post illum ferũt.

Quomodo reuelentur cogitationes.

Dicuntur autem EX CORDIBVS COGITATIONES reuelari, non respectu Dei, cui omnia patent antequam fiant; sed respectu nostri, & aliorum; vt nobis appareant, quæ occulta fuerunt. Facit. ñ. Deus, quod periti facere consueuerunt siue medici, siue chirurgi, qui ad explorandum, an aliquid virulenti putoris in corpore lateat, malagma parti suspectæ applicant; quod eam corporis partem, si sana sit, corroboret; si verò modicum quid vitiati in se humoris contineat, illud dissoluat; si denique pestiferum in corpore latens inuenerit virus, illud ad extimas eliciat partes, vt omnibus reddatur conspicuum: ita facit Deus animarum nostrarum solertissimus medicus.

Simili declaratur.

Christ' Malagma.

Malagma hoc spirituale non est aliud, quàm ipse Christus IESVS filius Dei, qui à patre suo æterno POSITVS EST VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS

COGI-

COGITATIONES. Primùm quidem Iudæorum, postea verò Gentilium, denique illorum etiam omnium, qui Christiano censentur & gaudent nomine. Et cum Iudæis quidem quid actum fuerit, iam diximus. Expletum. n̄. est in eis, quod in hac prophetia Simeonis audis, & quod ipse saluator notauit in porabola de *patresfamilias*, qui ad agricolas (quibus suam locauerat vineam) *misit filium suum dicens: verebuntur filium meum.* Fecerunt. n̄. hoc aliqui, & non solum reuerenter susceperunt filium Dei, sed etiam in eum crediderunt. Verùm pauci tales fuerunt; plures certè *apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Idem deinde Gentilibus euenit. Anunciatus est enim illis Christus pro salute eorum crucifixus; prædicata est resurrectio, & iudicium extremū. Quid illi? *quidam quidem irridebant* (ait scriptura) *quidā verò crediderunt*: illi videlicet quorum *Deus aperuit cor.* Quorundam autem virulentum, quod in corde latuit, venenum, ita erupit, vt tam Apostolos, quàm alios, qui hoc malagma illis applicabant, persequerentur, & crudeliter trucidarent. Demū hoc ipsum quoq; fieri videmus, non solum in Iudæis, & Ethnicis, sed etiam in illis, qui se à Christo Christianos vocant. Prædicatur etenim per totū terrarum orbem Christus crucifixus: prædicatur quòd non aliter, quàm *per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei*; prædicatur

Iudæis.

Mat: 21. 38.

Gentilibus.

Act: 17. 32

Act: 16. 14

Hæreticis.

Act: 14. 21

dicatur & applicatur hoc malagma efficacissimum mentibus omnium hominum. Quænam verò ad medicinæ huius præsentiã REVELANTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES? hæ videlicet. Alii in vnum, vel alterum mundi angulum inclusi, de fide Christi, & religione eius per totum orbem promulgata & recepta ita iudicant; vt qui eorum iudiciis acquiescere nolunt, eos inauditis affectos tormentis crudeliter mactant: Alii ne capitis aut fortunarum suarum aliquod subeant periculum, fidem Christi eiurant: Alii qui se etiam Catholicos vocitãt, nouam & Christo crucifixo inuisam Politiam inuehunt; alii dum bene est illis, pii esse videntur, at tribulatione adueniente vlcus putidum erumpit in cutem: alii contra dũ pauperes sunt & afflicti, obsequentes se, deuotosque præbent, ditiores verò facti, luxuriæ, ebrietati, aliisque vitiis sese tradentes, vitam crucifixi vitâ suâ irrident; alii ne humanam gratiam perdant, perdunt, quam iam pridem nihili faciebant, diuinam. In horum omnium cordibus iam pridem virulentum pus impietatis latuit, quod tandẽ hoc malagmate irritatum, in oculos omnium erupit, sunt nihilominus, erantque semper aliqui, licet rariores, quorum animis medicina hæc sanctissima applicata, si quid in eorum cordibus imperfectionis latuit, illud decoxit, sanosque eos reddidit; rarissimi verò quorũ

Pseudopolyticis.

Catholicis impiis.

Piis omnibus.

Ex

Ex Cordibvs Cogitationes Sanctiſsimæ, quæ occultabantur, prodierunt, & prodeunt in publicum: tales fuerunt animæ iſtæ bonæ, & ſanctæ, quarum in Euangelio fit mentio: tales poſtea erant Apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines, anachoretæ, & multi pii, iuſtique viri, ac fæminæ: tales nunquam in Eccleſia Catholica defuerũt, ac ne nunc quidem deſunt, nec vnquam defuturos certò nobis perſuademus. Agite dilectiſsimi, vt ex eorum reperiamur numero, ne cum illa multitudine impia damnemur. Hæc paulò copioſius, vt in hac concione aliquod ſaltem Catholicis meis pabulum ſpirituale præberetur. Iam ad alterã Euangelii partem tranſeamus, in qua tantò erimus breuiores, quantò nos prior diutius detinuit. Sequitur itaque.

Et Erat Anna Prophetissa. Sicut in priori vir eximius; ita iam fæmina ſanctiſsima introducitur.

Filia Phanvel De Tribv Aser, tum propter certitudinem tam exactè genealogia ipſius deſcribitur: tum vt ſciamus, in omni tribu Chriſto Domino teſtimonia non defuiſſe, ac ne nunc quidem in omni gente deeſſe. Pergit.

Haec Processerat In Diebvs Mvltis. Anus proinde erat, ſicut & Simeon ſenex fuit, indies mortem exſpectans, quæ protrahebatur, vt *videret Chriſtum Domi-* XII. Quod à ſenibus petendum ſit teſtimonium

ni. Itaque à ſenibus voluit IESVS teſtimonium accipere, & à ſenibus ſexus vtriuſque iiſque nonniſi piis & ſanctis. Nam & *Simeon* vir fuit *iuſtus*, & *timoratus*: & ANNA PROPHETISSA. Tales in Eccleſia Catholica reperiuntur per omnes ætates quàm plurimi; & à talibus, & his ſimilibus, quos loco ſui nobis Chriſtus reliquit in terra, nos fidem exquirimus; eorumque veſtigiis inhæremus; prout Moyſes ſuos, & Deus per illum nos docuit dicens: *Interroga patrem tuum, & annũciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Apud hæreticos verò longè ſecus omnia. Maiores repudiantur; prophetæ noui teſtamenti ridentur; timor Dei abiicitur, poteſtas à Chriſto relicta blaſphematur iuſtum deniq; neminem poſſe eſſe dogma illorum eſt. E contrario verò Apoſtatis nouos errores excogitantibus fides adhibetur, ac ſomniis illorũ creditur, quàm rectè, & vtri melius, & Euàngelio conformius faciant, iudicent qui iudicio non carent, nos interim reliqua Annæ encomia audiamus.

Deu: 32. 7.

XIII. *Quod varii ſint ſtatus caſtimoniæ*

ET VIXERAT CVM VIRO SVO ANNIS SEPTEM A VIRGINITATE SVA. Omnes ſtatus caſtimoniæ enumerantur, & in omnibus laudabiliter ſe geſsit Anna. Duos audiuiſtis virginitatis, & matrimonii. Tertius ſequitur.

ET HAEC VIDVA: ſic credit ſponſa Chriſti, nempe & eſſe iſtos ſtatus varios in Eccle-

ſia; & in quouis poſſe quemlibet ſanctè viuere. Dicent hæretici, neque nos id negamus. Quomodo quæſo non negatis, cùm primus patriarcha veſter Lutherus aſſeruerit ſicut cibum, & potum; ita vxorem ad vitam hominis traducendam neceſſariam eſſe? Inde enim euidenter conſequitur, ſolum ſtatum coniugalem (exceptis fortè pueris, & ad breuiſsimum tempùs viduis) eſſe in Eccleſia; & hunc nonniſi ſano, & vegeto vtroque coniuge. Sèd pudet caſtas offendere aures ſpurcis dictis, & ſcriptis quæ hac in parte protulit propheta germanicus, ideo videamus iam quamdiu Anna manſerit vidua. *Luth: In libro de Vita coniugali.*

VSQVE AD ANNOS OCTOGINTA QVATVOR ait D. Lucas. Quæro ab aduerſariis, cur iuuencula vidua non nupſerit? Reſpondebunt fortè, quia necdũ fuit illud præceptum Apoſtoli de viduis. *Volo iuniores nubere, filios procreare.* Duò hic notare licet, ſtupẽdæ ſanè cæcitatis argumenta alterum, in illa lege, vbi ſterilitas opprobrio erat, tale præceptum non fuiſſe, nunc verò eſſe, quando caſtratio, & eunuchatus pro Chriſto ſuſceptus, non ſolum laudibus, ſed etiam maximis præmiis ab ipſo filio Dei ornatur. Quid dici magis abſurdum potuit? Si tum temporis defuit lex ſcripta, qua hæc fæmina non cogebatur nubere, certe non defuit lex naturalis talis qualem ipſi fingunt, nempe ita neminem poſſe continentem eſſe, ſicut neque ſine

XIIII. Quod iuuenes viduæ continere poſsint.

1. Tim: 5. 14.

1. Reg: 1. 5.

Mat. 19. 12

cibo viuere. Cur ergo ANNA iſta aut tot annorum vidua non nupſit? aut ſi in viduitate flagitioſè (eò quòd non poſſet continere) vixit, cur à ſcriptura laudatur?

XV. Quod Deus non carnalia ſed ſpiritualia dederit præcepta.

Alterum verò abſurdum æque vel magis etiam obſtupeſcendum eſt: Hæreticos ea, quæ carni quoquo modo arrident, inter pręcepta Dei & Chriſti ponere, illa verò quę sũt ei contraria, penitus repudiare. Primi generis eſt illud ipſius Dei *Creſcite & multiplicamini*: necnon quod iam ex Apoſtolo de viduis citauimus. *Volo iuniores nubere, filios procreare.* Admirabile omninò præceptum de eo, quod nõ eſt in poteſtate illius cui præcipitur. Quot enim ſunt qui vellent *filios procreare*, & manẽt ſteriles? Tale eſt illud eiuſdem Apoſtoli. *Omne quod in macello venit manducate.* Et supplẽt hæretici quæ Paulus non addidit, nulla habita temporis, & præcepti ratione: quod licet non reperiatur in ſcriptura, tñ nemo mirari debet id ab illis additũ fuiſſe. Licere enim Euangelicis Euangelium conſcribere quis dubitabit? Dignum profectò patella operculũ, dignum tali fide tale Euangelium, lætum equidem nuntium, verùm non ſpiritui, ſed carni.

Gẽ: 1. 28.
1. Tim: 5. 14:
1. Cor: 10. 25.

Matt. 26. 27.

Poſſumus etiam inter hęc pręcepta & illud cõputare. *Bibite ex hoc omnes*, quod ſupra modũ vrgent, vt omnes norunt, ſpecie quidẽ ſacramẽti, ſed ideò etiã quia carni iucundũ. Cur. ñ. aliud in eadem cœna poſitum non iterant?

Illud

Illud inquam. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes: Exemplum. n̄. dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Cur hoc non vrgent? licet verba ista multo maiora diuini præcepti habeant indicia, quàm illa? Illis. n̄. Simpliciter tantum dicitur, hic additur, debetis, faciatis: quæ verba & præceprum, & obligationē sonant. Sed ratio in promptu est, cur hæretici hoc reiiciant, illud vrgeant; quia pedum lotio & abiectior est, & sensui repugnat: bibere verò & sensum delectat, & est faciliùs. Mirabitur fortè quispiam Vittembergenses vicinos nostros, vnde hoc nouum Euangelium originem duxit, inter præcepta literaliter intelligenda illud non posuisse. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini Charissimi,* sed nemo id miretur. Nam ad id præstandum satis est adhuc temporis. Fictionū enim necdum est finis. Alterius verò generis id est, quę carni sunt contraria, præcepta, hæc esse possunt, exempli gratia illud Christi & prædicentis & in posterum præcipientis. *Tunc ieiunabunt,* Item illud *sine intermissione orate.* Similiter illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et illud ad peccatores: *Miseri estote, & lugete, & plorate.* Nec non illud & præcursoris, & Apostolorum, & ipsius Christi: *pænitentiam agite.* Quid verò per pęnitentiam Christus intelligat, ipse interpretatur arguens Iudæos, quòd pænitentiam non egerint, & Tyrios ac Sidonios; illis obiiciens & dicens, quod hi

Ioa: 13.15.
Cāt: 5.1.
Mat: 9.15.
Luc: 5.36.
1.Tess: 5.17.
Iac: 5.16.
Iac: 4.9.
Mat: 3.2.
Mat: 5.17.
Mat: 11.21

olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent. Cinis ergò, cilicium, luctus, ieiunium, ad pænitentiam ſpectant, ſed quia hæc & alia, quæ recenſuimus carni diſplicent, ideò non ſolum inter præcepta non cenſentur, ſed etiam carnificinæ Papiſticæ nuncupantur. Quam rectè verò id faciant hæretici videbunt tunc ſi nolunt videre nunc (vtinam velint oculos non claudere ſuos.) Nos alias huius ſanctæ viduæ laudes audiamus.

QVAE NON DISCEDEBAT DE TEMPLO, inquit Euangeliſta. Spectat igitur ad pietatem erga Deum declarandam, eſſe continuum in templo: Sed quia bene, & bono fine id agere oportet, ideò ſubiungit.

XVI. Quod ieiunia, vigiliæ & his ſimilia, ad cultũ diuinum pertineant.

IEIVNIIS ET ORATIONIBVS SERVIENS. Cui ſeruiuit? Deo procul dubio. Cui enim ſupplicaret niſi Deo? Neque verò gratis id fecerit, præſertim cum tanta diligentia, & feruore, quæ deſcribuntur, cùm dicitur:

DIE AC NOCTE illam hiſce intentam fuiſſe. Corpore & anima conſtare hominem, nemo ignorat, at multi ignorant, vel ignorare ſe ſimulant (de quibus ſcriptura *qui ignorat ignorabitur*) quomodo nos in vtroque gerere oporteat. Doceat igitur nos hæc ſancta anus, quæ corpus ieiuniis & vigiliis affligebat; animam verò ſuam confeſsionibus ac orationibus nocturnis, & diurnis ad Deum leuabat. Pulchrum ſpectaculum datum religioſis hominibus; at irreligioſis hæreticis nihil mi-

1.Cor.14.38.

hil minus: omnia enim carpunt, prolixæ orationes displicent, & exploduntur ab eis, ieiunia verò, templi frequentatio, & vigiliæ vel veteris testamenti esse dicuntur, vel nihil ad cultum diuinum pertinere asseruntur: Ne longi in his confutandis simus, liberarunt nos hoc onere alii etiam hoc loco id pertractantes: iccirco paucissimis istis quę textus nobis porrigit contenti erimus. Primum sit iam insinuatum. Nam quomodo quæso ieiuniis & vigiliis Deus coli negatur, cùm hic expressis dicatur verbis, Annam sic seruiuisse Deo? quid est aliud seruire Deo, quàm colere Deum? At inquiunt referenda sunt hæc in Deū: quis negat? quis dubitat? Nos equidem asserimus non solum hæc, sed & orationes, & prædicationes, & cantilationes, & quicquid imaginari poteris, si in Deum non referantur, ad cultum ipsius non pertinere. Pertinēt autem & hæc, & illa, quando à Catholicis fiunt eo ipso, quòd ex obedientia suscipiuntur; quanto magis si particulari intentione ad id diriguntur? Deinde qua fronte censentur hæc ad nouum testamentum non pertinere, cùm iisdē penè verbis quæ hic legimus instruat D. Paulus viduam noui testamenti? Sic enim habet. *Quæ verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die. Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint.* Repræhensibiles igitur essent secundum Apostolum, si hæc non præstarent: im-

Calui: lib: 4. Insti: cap: 12. nū: 19. & alij. Stapletonus & Maldonatus.

1. Probatur ex Euāgelio

Occupatio.

2. Ex D. Pa:

1. Tim: 5. 5

mò aliquid amplius ab iis requirit, quàm hic de Anna legimus. Addit. n̄. multa, & concludit: *Si omne opus bonum subsequuta est.* Vel ergò negent, ieiunium & similia, opera bona esse; vel si quid frontis habent, pudeat illos

3. Ratione. peruicatiæ & pertinacię suæ. Postremò ratio ipsa docet, si anus sancta & pia octogita quatuor annorũ ita carnẽ suã domabat, quid iuuenes oporteat facere. Si Anna à scriptura hoc nomine laudatur, clarum est placuisse ea Deo: ideoque etiam nunc in aliis placere. At nostri hæretici cùm à religiosis ad preces matutinas pulsari media nocte campanas audiunt, plenis buccis eos rident: ebriosos verò sibi assidentes & venerantur, & laudant, & Euangelicos se esse inclamant. Quis vel ex hoc solo facto non colligat legem istam non Euangelicam, sed verè diabolicam esse? sed reliqua Euangelii explicemus.

ET HAEC IPSA HORA, qua videlicet Maria purificabatur, IESVS in templo offerebatur, parentes eius à Simeone benedicebantur.

SVPERVENIENS CONFITEBATVR DOMINO. Eodem quo Simeon ad id faciendum incitata diuino spiritu, verùm quomodo hæc cõtraria non sunt dictis paulo ante? Si enim Anna NON DISCEDEBAT DE TEMPLO fuit ergo ibi: qua ratione igitur eo SVPERVENISSE dicitur, vbi iam morabatur? Difficilis igitur est scriptura (quod ne-

gant

gant hæretici) & aliquando hyperbolice intelligenda, ſicut hoc quoque in loco. Non ſolum autem confitebatur & orabat dominum Anna, ſed

ET LOQVEBATVR DE ILLO. id eſt de Chriſto narrabat, & prophetabat aliis. Voluit.n. Chriſtus Dominus non tantũ ab Angelis, ſed etiam ab omni ſtatu & ſexu hominũ habere ſuæ natiuitatis teſtimonium, iccirco paſtores tranſeunt, Magi à longè veniunt, Simeon benedicit, Anna prophetat. Omnes verò idem loquuntur, & natum Meſsiã annuntiãt, quibus autem annuntiẽt videamus. XVII. Quod diſpoſiti facilius Euangeliũ ſuſcipiant.

OMNIBVS QVI EXPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL. Cur iſtis? quia ipſi diſpoſitionem habebant ad recipiendum Euangelium. Ideò Chriſtus Dominus mittens diſcipulos ſuos ad prædicandum ait. *In quãcunque autem ciuitatem aut caſtellum intraueritis interrogate, quis in ea dignus ſit,* ſupple laude, vir videlicet probus & bonæ famæ, *& ibi manete.* Quod obſeruandum eſt ſemper, & etiam nunc obſeruatur in Catholica Eccleſia: declinant.n. tam noſtræ ſocietatis homines, quàm alii aut ad hoſpitalia, vbi vt plurimum homines ſunt & humiles, & non improbi, aut ad alios moraliter bonos. At apud hæreticos vſu venit contrarium. Hi.n. plerumq; inuadunt, ſuiſque implent dogmatibus, homines elatos, ſuperbos, de ſuiſque rebus multum præſumentes, vel etiam ebrietati, *Mat: 10. 11.*

rapinis.

rapinis, vsuris, & aliis vitiis deditos; nec mirum, tali. n. agro tale semen debetur.

Obiecti: solutio.

Sed inquiunt, & Christum, & Apostolos ingressos esse ad impios. Non recordor me legisse siue Christum, siue Apostolos vnquã ad hospitandum (aliud est enim ire ad prandium, vel obiter) ingressos esse ad tales, sed esto, fuerit ita: si id aliquando fecit aut Christus, aut Apostoli, aut alii viri Apostolici, fecerunt id, vt ex impiis hospitibus probos efficerent. Verùm nostri hæretici non probos, sed sceleratiores eos reddunt, quos instruunt, quàm antea fuerunt: demonstrat id experientia, probat ipsa eorum doctrina. Anabaptistæ suis vsuras concedunt, magistratus autem tollunt; reliqui permittunt cum virginibus Deo dicatis nuptias sacrilegas, incestus varia genera, rapinarum verò multò plura, præsertim bonorum Ecclesiasticorum. Vidimus ipsa etiam templa non solum vastata, sed quædam in domos priuatas conuersa, quo iure? Verùm hæc copiosius aliquãdo erunt pertractanda: nunc tetigisse sufficiat; vt omnes videant hoc nouum, inauditum, & peruersum Euangelium nec bonos auditores quærere, nec bonos, sed pessimos homines facere. Sequitur.

Fructus pseudo Euãgelii.

NOTA.

XVIII. Quod omnia præcepta sint implẽda.

Et Vt Perfecervnt Omnia. Perficiamus & nos vel perstringamus potius reliqua. Quæ verò omnia perfecerunt?

Secvndvm Legem Domini. Duo hic no-

hic notanda, aliâs verò tractanda contra aduersarios veritatis. Alterum, omnia perficienda esse, non quæ placent tm̃. Alterum, quòd quæ antea vocata est lex Moysi; nunc eam vocari LEGEM DOMINI. Quicquid. n̄. à legitimo magistratu præsertim Ecclesiastico præcipitur, à Deo præcipitur: ideò est illi obediendum. Perfectis autem omnibus. *Luc: 2:22.*

REVERSI SVNT IN GALILÆAM IN CIVITATEM SVAM NAZARETH. Neq; hoc caret difficultate aliis adnumeranda, an statim eò fuerint reuersi, an demum post reuersionem ex Ægypto. Primum tñ, videtur probabilius. Herodes verò mactauit infantes in Bethleem, quia ibi natũ fuisse IESVM sciebat, de Nazareth verò ignorabat. Dices cur ergò ibi se non occultarunt toto tempore? quia & iussi fuerunt in Ægyptum fugere, & sciebant longas esse Regibus & manus, & aures. Quid verò IESVS?

PVER AVTEM CRESCEBAT ET CONFORTABATVR ait Euangelista: tu intellige creuisse, & confortatum esse, secundum humanitatem, qui secundum diuinitatem alios confortabat, & crescere faciebat. Porrò idem ipse, qui sic crescebat, fuit nihilominus.

PLENVS SAPIENTIA ab instanti conceptionis suæ, etiam secundum humanitatem. Qua de re agemus sequenti dominica, quando idem repetitur immò plura etiam adduntur & difficiliora.

ET GRA-

XIX. Quod gratia diuina piis inhæreat. ET GRATIA DEI ERAT IN ILLO. Considerate inhærentem IN CHRISTO gratiã: talem in iustis nos esse credimus, non imputatiuam, qualem hæretici fingunt. Sed dicent aliud esse in Christo, aliud in nobis. Minimè verò quoad ista. quia ille caput nostrum, nos

1.Cor: 12. 27. verò *membra de membro*; ideò idem de nobis alibi asseritur. Nam ait Apostòlus: *Charitas Dei* (quæ idem est cum gratia) *diffusa est in*

Ro: 5:5. *cordibus nostris*. Inhæret igitur nobis. Verùm de hoc alias ex professo plura.

CONCLVSIO. Summam concionis continens & vbi sit Ecclesia demonstrans 19. argumentis. Nunc finem concioni imponamus, & tam ea, quæ sparsim dicta sunt in summam conferamus, quàm id, quod in principio polliciti sumus, præstemus, & ex dictis vbi vera Christi Ecclesia reperiatur, demonstremus. Quam ibi esse, vbi quæ in Euangelio habentur, & fideliter creduntur, & obedientet seruantur, negauerit vt arbitror nemo, qui non solum sit, sed etiam qui Christianus haberi velit. At in hac congregatione, in qua nos Catholici per gratiam diuinam sumus, esse ista, quæ aut expresè in hoc Euangelio habentur, aut inde bona consequentia deducuntur; apud hæreticos verò contrariũ planè reperiri ostensum est viginti penè argumẽ-

1 tis. Hic. ñ. creditur Mariam non ex Ioseph, sed in virginitate Christum genuisse: cuius contrarium non pauci ex hæreticis tenent.

2 Hic creditur sicut Deiparã, ita alios sanctos, & ipsam Christi sponsam Ecclesiam in cogni-

tione

tione rerum diuinarum in dies proficere: alibi id impudenter negatur. Hîc magni æſtima- 3
tur ſtatus eremitarum, & aliorum religioſorum, vitam contemplatiuam ſequentium;
alibi miris ſcomatibus proſcinditur. Hîc aſſe- 4
ritur, & Deum nunquam quenquam benedicere, niſi ei, cui benedicit, aliquid doni tribuat; & ſacerdotis benedictionem multum 5
ad hoc ipſum valere: alibi neutrum conceditur. Hîc præter fidem cùm alia, tum verò tri- 6
bulationes patienter toleratas, multum ad iuſtificationem noſtram conducere creditur;
alibi ſola fides ſufficere perhibetur. Hîc difficultas ſcripturæ ex ipſa ſcriptura demonſtratur; alibi id perfricta fronte negatur. Hîc IESVS Chriſtus in ſe in Eccleſia in donis ſuis in- 8
teger ſuſcipitur & adoratur; ab hæreticis verò in minutas partes diſcerpitur, & blaſphe-
matur. Hîc & imagines, & crux eiuſdem Chri- 9
ſti Domini, vt par eſt, honoratur. ab hæreticis non ſolum deſpicitur, ſed & diſcerpitur,
& nefariè ferro violatur. Hîc edocemur vt 10
Chriſto pro nobis patienti cum matre eius compatiamur: hæretici contra propter commoda ſua de dira parentis morte lætantur.
Hîc communi Eccleſiæ & ſanctorum; ab hæ- 11
reticis proprio iudicio fiditur. Hîc antiquo- 12
rum & ſanctiſſimorum hominum; alibi recẽtium & impiorum dictis creditur. Hîc ſtatus 13
varii in Eccleſia ſtatuuntur: ab hæreticis omnia confunduntur. Hîc virginitas, & alia 14
caſti-

caſtitatis genera commendantur; quæ ab hæ-
reticis impoſſibilia eſſe impudenter aſſerun-
15 tur. Hîc vera & ſpiritualia præcepta diuina
proponuntur; ab hæreticis carni amica falſò
16 finguntur. Hîc ieiunia vigiliæ, & alia religio-
ſa exercitia laudantur, quæ omnia ab hære-
ticis tanquam ad cultum diuinum nihil per-
17 tinentia parui vel nihili æſtimantur. Hîc ad
fidem promulgandam ac promouendam bo-
na; ab hæreticis verò peſſima diſpoſitio &
18 quæritur & requiritur. Hîc omnia etiam per
homines facta mandata ſeruantur, ab hære-
ticis quæ non placent vniuerſa repudiantur.
19 Hîc denique ſecundum ſcripturam inhærens
cordibus noſtris; ab hæreticis verò contra
ſcripturã imputatiua iuſtitia defenditur. Hîc
igitur, & non alibi, vera in terris Chriſti Ec-
cleſia reperietur: quam & qui complexi ſunt
teneant; & qui ab illa aberrarunt, amplectã-
tur; vt à ſponſo ipſius, IESV Chriſto Domi-
no noſtro & gratiam in hac vita, & gloriam
in alia obtineant æternam. AMEN.

CONTEMPLATIO BONA ET MALA.

CONCIO TERTIA
Spes.

Erant Ioſeph & Maria mater IESV, mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.

Duo eſſe

DUo esse fundamẽta sanctę spei, ac bases, iã aliâs à me audiuistis, & sępè audire debetis: primũ, ideq́; præcipuũ firmamentum est, misericordia Dei qui non solum vult nos saluare, nobisque benè facere; sed etiam hoc ipsum fidelissimis promissis, & nonnunquam iuramentis suis firmauit, corroborauitque: *vt fortißimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*, ait Apostolus. Alterum spei fulcrum debilius quidem, sed tamen necessarium, sunt opera nostra bona ex fide recta prouenientia: siue vt idem inquit; *Fides quæ per charitatem operatur.* Vnde consequitur, ad spem perueniri tum per cognitionem, tum per operationẽ. Cognitio, quænam ad id sint necessaria, nobis ob oculos ponit; operatio verò quæ cognitio monstrauit, fideliter exequitur. Cognitio autem ad bonam spem benè firmandam duplex requiritur; prior; vt simus nobis conscii imbecillitatis nostræ: posterior, vt nouerimus ad quem hac in parte oporteat nos pro auxilio recurrere. Nam quicunque siue imbecillitatis suę immemor, nimiùm viribus suis confidit, (vt olim Pelagiani) siue in quouis alio præter Deum spem suam collocat (vt Magi, & alii impii faciunt) is non spem diuinam, sed præsumptionem habet humanam, vel etiam diabolicam. Quod vt effugiamus, cum IOSEPH, ET MARIA MATRE IESV MIRANTES esse debemus.

EXORD. A natura spei desumptum.

Heb: 6.18.

Gal: 5.6.

Magna virtus, magna ſanè, nec ab omnibus vt par eſt cognita.

PROPO: Quadripartita. Quocirca in hac concione MIRANTES erimus, & ipſam admirationem demirabimur, conſiderabimusque primò, quàm neceſſaria ſit admiratio ſancta; deinde, quid ſit iſtud virtutis. Præterea quænam ſint admiranda, quæ verò non. Poſtremo quidnam nos inde fructus ac emolumenti maneat. Fac Chriſte IESV ita nos hæc conſiderare, vt quę hîc in ænigmate per fidem miramur, illic reuelata facie clare intueamur.

I. MEMBRVM Defectus admirationis omne malum parit. Patres illi ſancti, qui in eremo corpori aſperam, ſpiritui verò dulcem vitam ducebāt, intuentes infinita eorum millia, qui per totum terrarum orbem quotidie pereunt, dicuntur in vnum aliquando conueniſſe ad cognoſcendam tanti mali cauſam & originem; vt ea cognita, medicinam morbo pro virili quiſque ſuo adhibere, ac pereuntibus fratribus opem ferre poſſent. Itaque facta, quam vocant collatione ſpirituali, dum (vt fit) varii varias adferrent in medium huius rei rationes, tandem in id conſenſerunt omnes, primam ac præcipuam omnis huius mali ac interitus cauſam & originem eam dari, quòd non eſſent MIRANTES SVPER HIS QVÆ DICEBANTVR DE CHRISTO, id eſt, quòd non conſiderarent ea, quæ illis ad ſpem viuam vtilia, & ad ſalutem neceſſaria eſſent. Magnum equidem & veriſſimum tantorum, (Teſtibus SS. Anachoretis.)

tamq;

tamque Deo carorum virorum testimoniũ: verum *habemus* (vt cum Principe Apostolorũ loquar) *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes.* Imò ipso Deo. 2. Pet. 1. 19

Attendite itaque. Idem. ñ. spiritus sanctus, qui in eremo viros illos sanctos regebat, multò ante per Ieremiam prophetam expressis verbis hoc ipsum testatum esse voluit. Inquit. ñ. *Desolatione desolata est omnis terra.* Admirabile principium, & consideratione dignissimum, antequam vlteriùs procedamus. Quid. ñ. sibi vult, quòd propheta non solum desolatam, sed etiam desolatione desolatam, idest, sumoperè asserat esse desertam omnem omninò terram, mundumque vniuersum? cùm totus terrarum orbis plenus esset hominibus. Nunquid Monarchia Chaldęorum tunc non vigebat, infinitam hominum multitudinem complectens? Sed & Ægypti, Medorum, Lydorum, Macedonum, Romanorum, necnon Iudæorum Reges illis temporibus regnabant, qui multas myriades hominum sub imperio suo continebant. Cur ergò propheta clamat: *Desolatione desolata est omnis terra?* Sapientissimè id quidem per prophetã spiritus sanctus. Vnde enim quęso vos agnoscitis terram aliquam esse desertam & desolatam? nonne inde, quando aut videtis, aut auditis infinitam in illa esse agrestium animalium multitudinem, exiguam verò vel nullam hominum? Ita ergò sese res eò tempore Ier: 12. 11. Nam terrã desolatam reddit. Similitudo. Nam hominibus terrã priuat.

habebat. Iterumque postea quando ille Philosophus clarissimo die accēsa lucerna in foro hominibus referto hominem quærebat. Non ineptè id quidem, nisi quod ille homines inter homines quæreret, qui omnium pęne hominum minimè homo erat. Fuit. n̄. Cynicus spurcissimus.

Diogenes.

Quid verò iam? nonne hoc ipsum in hoc nostrum optimè congruit sæculum? Verè. n̄. nunc quoque *desolatione desolata est omnis terra.* Nam vt Iudæos, Turcas, Tartaros, & alios Machometanos, immò ipsos etiam Ethnicos (in quorum tamen medio, si non plures, certè feruentiores nunc homines reperiuntur, quàm in media Europa) missos faciamus, ipsi qui Christi gaudent nomine, quot sunt quæso qui non dico ad Christianæ legis, sed ad rectæ rationis regulam vt homines decet, se, suaque omnia componunt? Videre est ibi quidem feros leones, qui nunquam sanguine innoxio expleri queant, alibi truces vrsos, qui dum protectionem siue incolarū, siue subditorum tanquam complexum aliquem simulant, sanguinem illorum exsugūt; multos ad extremam paupertatem redigunt, viduas pupillosque deglutiunt; omnia denique etiam secundum literam vastant. Alibi *aper de silua* vineam Dei Sabaoth exterminare conatur, & *singularis ferus depastus est eam*, ait Dauid: verè sordidus aper est hæreticus legi carnis deditus, verè & singularis, & ferus est, quia

Nam homines in bruta conuertit, nempè.

In leones.

In vrsos.

Ps. 79:14.
In Apros.

quia & singularem quilibet illorum habet sectam, & ferè ac crudeliter Ecclesiam Dei depascitur. Quid dicam de lupis, qui ouile Christi dissipant? Dissipatas oues (vel hedos potius) per iuga montium superbiæ, per prerupta vallium carnalitatis insectantur, rapiunt, deuorant? Quid de astuta vulpecula? quæ dum principibus adulatur impotentiores fædè lacerat? dum sese in omnem partem versat, vbique fætorem post se relinquit? dum pulchra politia se ornat, in tyrannidē conuertitur. In lupos. In vulpeculas.

Ad priuatos & ipsos etiam Catholicos sermonem meum conuerto. *Equi amatores* (inquit idē Ieremias) *& emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Ipsę quoque siue vxores, siue aliæ ad instar corniculæ Æsopicæ alienis se plumis ornant, argēto, auro, gemmis, veste, & pellibus præciosissimis onerant: & faciunt stultis admirationem, sapientibus fletum, aliis mouet cornicula risum, in aliis turpem inflammat concupiscentiam. Quales ex fætido fonte riui? quot ad peccandum illecebræ? At nostra hęc sunt inquiunt omnia. Si vestra sunt, cur ea vobiscum ad sepulchrum, & inde aliò non transportatis? Cæterùm non est quod sepulchrum expectetur, breui hæc apud Iudæos, aliosue latitabunt, vsuris grauabuntur, & tandem malè parta, peiùs collocata, pessimè dilabentur. Non ignota loquimur. Relinquo In equos. *Ier: 5. 8.* In corniculas.

infinita eiusmodi. Concludo cum Aposto-
In canes & sues. lorum principe. *Canis reuersus ad suum vomi-*
2. Pet: 2. 22. *tum, & sus lota in volutabro luti.* Quibus verbis cùm alii omnes lęthaliter peccantes, tum verò peccata iterantes notantur. Hos tu ergò homines dixeris? Minimè verò. Si. ñ. li-
Cice: lib: 3. de offi: cuit gentili dicere [Quid intereſt vtrum ex homine ſe conuertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?] quantò magis nos id dicere poſſumus, qui-
Pſ: 48.13. bus illud à Spiritu ſancto occinitur. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis?* Bene ergò & ſapienter nimis & propheta olim, & nos hoc tempore conqueri poſſumus, quod *deſolatione deſolata eſt omnis terra.* Non ñ. homines ſed vel feræ agreſtes, & indomitæ; vel truces immundæque belluæ, orbem terrarum magna ex parte inhabitant.

Quid ſit recogitare corde. Verumenimuerò percontemur à propheta, quænam ſit origo tantæ metamorphoſeos, quæue cauſæ propter quas homines in tot, tamque immanes beſtias conuerſi fuerint? Reſpondet, & illam ipſam cauſam aſſi-
Ier: 12. 11. gnat quam Eremitæ dederant; nempe *quia nullus eſt qui recogitet corde:* ac ſi dicat, quia non ſunt vel non ERANT MIRANTES. Et notate quæſo illud vltimum verbum, *corde.* Inuenies enim aliquos, qui recogitant ore. Nam pulchra tum de virtutibus diſſerunt, definiunt, diuidunt, raciocinantur, ipſi tñ vitioſi

perma-

permanent; tum de vita Christi, deque HIS QVÆ DICEBANTVR DE ILLO loquuntur, exaggerant, ornant, laudant; cùm tñ nõ ipsius IESV purè, ac sincere; sed suas impurè & nefariè laudes quærant: tum denique de Deo ipso, deque rebus cœlestibus alta & speculantur, & docent alios: ipsi interim moribus, & vita peruersa humi repentes. Isti omnes non ita recogitant corde, vti cor hîc à Propheta sumitur: propheta. n̄. monet, vt non solum credant, cogitent, vel etiam loquantur de malis, quæ eis obuentura erant: sed etiam (quod maximè vrgebat) vt illis per pænitentiam, & vitæ emendationem obuiam eant. Hoc quia nec illi præstiterunt, nec isti nostri præstant, ideò non inter homines, sed inter bestias censendi erunt. Et hi quidem postremi tantò turpius, quantò pluribus etiam sunt similiores, nempe & per hypocrisim vulpibus dum pulchris verbis turpia facta sua contegunt, & per cætera vitia brutis animalibus variis pro criminum varietate.

Arbitror non solum Eremitarum, sed ipsius omninò Dei testimonio vos iam perspicuè intellexisse, quàm sit necessaria sancta consideratio, & quomodo eius defectus omne malum inuehat in orbem terrarum; ac proinde videre quàm sit vtile imitari parentes Christi, qui ERANT MIRANTES SVPER HIS QVÆ DICEBANTVR DE ILLO. Verùm scire percupere, quidnam hoc sit virtutis,

II. MEMBRVM Admiratio nem virtutem esse probatur.

tutis, cùm admiratio inter passiones corporis, vel animi potiùs, quàm inter habitus bonos (quod virtuti est proprium) sit referẽda. Vnde igitur, inquis, hæc virtus, de qua antea non audiuimus? Certè admirationem posse esse virtutem, vel ex hoc solo Mariæ matris Dei facto liquet. Quis. ñ. Catholicorum dubitauerit, quæ ex illa purissima & sanctissima mente deliberatè procedebant, ea omnia alicuius virtutis actus exstitisse? At non solum hîc, sed & antea MATER IESV & seriò, & diligenter mirabatur ea, quæ dicebãtur de IESV. Quod si nõ sufficit testimoniũ matris addatur testimoniũ filii & Mariæ & Dei ipsius inquã Christi IESV, de quo sic D. Matthæus: *Audiens autẽ Iesus, miratus est.* Non quòd admiratione indigeret, qui omnia nouerat; sed vt nobis hanc virtutẽ cõmendaret, qui nouerat, summoperè nobis illã esse necessariã. Neque verò interest, quòd admiratio sit motus animi nostri, nam & amor, & spes & desiderium, & timor, aliaque generis eiusdem, affectiones sunt; & tñ si rectè fiant, virtutibus annumerãtur, iisque præcipuis, idem itaque de admiratione cogites velim.

Exemplo: B. Virginis.

Luc: 2.19.

Mat: 8.18.

Ipsius Christi.

Obiectio soluitur.

Admiratio igitur (vt omnes intelligant) si in suo esse naturali consideretur, bona erit naturaliter, à Deo. ñ. creata est, à quo omne bonum. Cùm. ñ. humana natura eò, quòd ex nihilo sit condita, nec sit, nec esse possit omni-

Admiratio alia naturalis.

omnibus numeris absoluta (vt diuina natura est perfectissima) prouenit inde, vt nec omnium rerum cognitionem simul habeat, habereué possit, nec eorum quæ nouit, continuò causas intelligat; ac proinde à Deo data est illi admiratio, qua adiutrice vnum ex alio colligens ad notitiam rei alicuius, quam scire desiderat, peruenire queat. Hinc illud non tam latinum, quàm verum est quorundam dictum: [Ex admirari cæperunt philosophari]. Admiratio etenim totius Philosophiæ est fons & origo, quam qui in rebus naturalibus adhibere nolunt, neque philosophi profectò esse volunt. Hæc in humanis: at in diuinis alia est admirationis ràtio. Cum. n. res, & mysteria, & multò magis ipsa natura diuina, omnem nostrum intellectum lōgè excedat; non sufficit ea solius ingenii acumine (quod etiamsi sit acerrimum, tñ parum admodùm hac in parte poterit) admirando inuestigare; sed requiritur necessariò aliunde per auditum cognoscere, & cognita demirari, quod fecisse hic parentes Christi audis. ERANT enim MIRANTES SVPER HIS QVÆ DICEBANTVR DE ILLO; de Christo IESV videlicet filio Dei, Deo; Parentes igitur Christi, nos qui Christiani sumus imitari conuenit, immò necessarium est. Verùm non solum hæc, sed & alia mirari nos oportet, de quibus paulò post; nunc cæpta prosequamur, & quid quamue sit varia admira- Alia supernaturalis.

 tio

Admiratio hic latissime à nobis sumitur.

Damas: lib: 2: de fide ortod: Cap: 15
D. Th: 1. 2. quæ: 41. Art: 4.

tio inuestigemus. Vbi inprimis illud notandum erit, nos hoc loco admirationem non stricto modo sumere, vt illam Doctores accipiunt, ac inter species timoris reponunt: sed latè eam intelligimus pro qualibet consideratione, non solum malorum, sed etiam bonorum, immò optimorum sicut hîc in Euangelio sumitur.

Definitur verbis scripturæ.

Luc: 2. 19.

Admiratio itaque latissimè intellecta, videtur mihi ab eodem Euangelista paulò ante ita notata & descripta; vt vix aliquid hac in parte desiderari possit. Sic. n. ille. *Maria autẽ conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Vnde admirationis vniuersalem descriptionem sic formare poterimus. Admiratio est dicti, facti, causæue rei alicuius nouæ, vel nobis incognitæ, attenta consideratio: siue (vt scripturæ nos conformemus) diligens in corde conseruatio & collatio: quæ quidem consideratio si vehemens fuerit, rei præsertim alicuius, quæ intellectum superat nostrum, in stuporem vel extasim conuertitur.

Diuiditur.

1. Indifferẽs dicitur.

2. Mala.

3. Bona. in qua virt⁹

Quàm verò sint varia admirationis genera, non est nostrum per omnia disserere: illa quæ ex fine sumitur diuisio, vt nostro instituto conformis, nobis sufficiat. Nempe admirationem aliã quidem esse indifferẽtẽ (quam naturalem vocare possumus) quæ indifferenter de rebus quibusuis licitis, cognoscendi causa suscipitur: aliam malam, quæ in malum finem dirigitur: aliam bonam; quæ fit bono & san-

& sancto proposito; qualis fuit hæc parentum Christi. Et in hac postrema virtus consistit, quæ tantò est excellentior, quantò & finis, & obiectum circa quod versatur, & animi contentio erunt præstantiora: ita, vt D. Thomas eam, quæ in hac vita (immò etiam in illa) haberi potest beatitudo, in quadam admirationis actione constituat. Quanta igitur virtus illa censenda erit, quæ finem quodammodò virtutis in se continet? 4. Optima. *D. Th: 1. parte q. 1. A. 4. & 1. 2. quæ 3. & reliquis*

Omnium autem quæ recensuimus admirationis generum plena est exemplorum sacra scriptura. Nos ex vtroque testamento singula proferamus in medium. In veteri, naturalis admiratio fuit illa Isaaci, de qua scriptura. *Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quàm credi potest admirans ait* &c. Repentina enim illa & insperata cognitio, quod Iacob benedictionem præripuerit Esau, in stuporem illum verterat. Malam verò sic describit sapiens: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt.* Fugite obsecro delectissimi hoc baratrum, prout vos ipsę etiam saluator admonuit, ne pereatis in æternum. Bonam autem admirationē idem sapiens notat, cum describens illos, qui afflicti à Domino, ad eum conuersi fuerunt, inquit. *Cum. n. audirēt per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt dominum, admirantes in finem exitus.* Optima admiratio, & imitanda valdè. Vtinam exerceatur frequenter à nobis. Ita enim plagæ Probantur hæc exemplis scripturæ. 1. Ex veteri testamento. *Ge: 27. 33.* *Ecclesiastic: 9. 11.* *Mat: 5. 29.* *Sap, 11. 14*

quas

quas à Domino patimur, fierent nobis maximi beneficii loco.

2. Ex nouo: In nouo verò testamento plura etiam reperiuntur exempla. Naturali admiratione
Mat: 27. 14. Pilatus *mirabatur vehementer*, quòd Christus *non respondit ei ad vllum verbum*. Mala verò fuit pharisæorum, quando admirantes dixerũt
Io: 7. 15. de Christo. *Quomodo hic literas scit cùm non didicerit?* Detrahendi enim & calumniandi eum animo id faciebant, vt patet ex sequentibus verbis & factis. Bona autem (quamuis minùs perfecta) fuit illa Nicodemi, qua de-
Io: 3. 2. mirans miracula Christi *venit ad Iesum nocte* aliquid ab illo discendi gratia. Concludo miraculo eiusdem saluatoris, qui vnico actu pro diuersitate dispositionis omnibus istis admirationum generibus occasionem dedit. Nam curato quodam ægro in die sabbathi sic ipse
Ioa: 7. 21. Iudæos alloquitur: *Vnum opus feci & omnes*
Augusti: tract: 29. In Ioa: *miramini*. Quod explicans. D. Augustinus inquit [Omnes quidem quantum arbitror mirabantur, sed non omnes conuertebantur] Erant itaque qui viso hoc miraculo naturæ instinctu tanquam rem insuetam mirabantur? erant alii qui præter admirationem etiam Christum hoc nomine persequebantur. erant denique qui ad illum conuertebantur, ex quibus hi bonam & virtuosam; illi verò pessimam admirationem habebant (primi verò naturalem) istos imitari, illos detestari vos oportet; prout facitis; atque vtinam in

omni-

omnibus operibus vestris faciatis: magnum. n. inde vobis proueniet emolumentum. Nā vt hîc admirationem latissimo modo sumimus pro qualibet consideratione rei alicuius nobis vel ignotæ, vel non plenè cognitæ, ita virtus hæc inde emanans latissimè patet, & in vsu potest esse frequentissimo.

Quare vt meliùs & penitiùs hæc virtus à nobis exerceri, & cōtrariū vitiū vitari queat; præter finem bonum, in quem ferendæ sunt omnes admirationes nostræ (si virtuosas & per consequens fructuosas illas habere volumus) videndum est nobis quidnam mirari nos oporteat, & quomodo contrarium à nobis, vt plurimum fiat. Nam quod quidam magis verbis, quàm re ipsa simplices conqueruntur, doctis quidem id competere, vt cogitent & mirentur diuina, se verò minimè ad id aptos esse; id gratis omninò, immò minus verè dici, ipsa nos experientia rerum omnium magistra, quin etiam ipsa naturæ nostræ constitutio docet. Sicut. n. igni sursum, lapidi deorsum ferri naturale est, ita animo nostro ingenitum est aliquid semper cogitare, & cogitando mirari: quinimmo multò etiam magis id illi est connaturale. Lapis. n. detineri potest, ne tendat, quo à natura impellitur: at agitatio mentis nostræ ita nunquam conquiescit, vt nulla vi cohiberi queat, quin aliquid semper cogitet. Itaq; quēadmodum is, qui pistrinum optimè instructum

III. MEMBRVM Quid mirari debeam?

Quam id naturale sit.

Similitudine declaratur.

NOTA: Obiectionis occupationem.

Declaratur id alia similitudine.

ctum & molá habet quæ continuò circumagitatur, si paleas vel quisquilias duntaxat molendas iniiciat, non tritici grana; iniquę conqueritur bonam sibi farinam deesse: ita nos frustra lamentamur, deesse nobis pias sanctasque meditationes, & admirationes; si vitio nostro nihil vnquam boni menti nostræ considerandum obiicimus. Et ille quidem excusari potest, si ex defectu tritici farinà careat, nobis defectum earum rerum quas vtiliter considerare possumus prætendere non licet, cùm tot sint, vt nusquam non occurrant. Quòd si aliquid hac in parte deesset, adest liberalissimus vniuersorum largitor Deus, à quo non tantum emamus, verum etiam gratis accipiamus omnia nobis vtilia, dummodo ipsi velimus. Quid. n. non dabit, qui ad accipiendum vltrò etiam nos inuitat? Ita namque ille per prophetam inquit. *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac* id est, quicquid est vobis necessarium. O vtinam fratres mei nos nobis deesse nolimus, Dei profectò auxilium & gratia nunquam deesset. Non nos igitur hac in parte excusemus, sed accusemus dilectissimi: nostra enim culpa est, si meditationes nostræ non sunt tales, quales esse deberent; quia nos minùs rectas, immò sæpe iniquas considerationes admittimus; nos eas vltrò accersimus, nos menti nostræ ingerimus, nos voluntariè iis occupamur: & quod

Vrgetur.

Is. 55. 1.

omni-

omnium est pessimum, noctu atque interdiu eas reuoluentes in illis delectamur. Hæç est nostræ molæ, nostrique fundi calamitas, hæc omnis nostri mali fons & origo. Nihil.ñ. est in opere, quod non fuerit ante in mente. Itaque si nos minùs honesta & impura animo nostro reuoluimus; si & corpore, & affectu ea continuò miramur, quî fieri potest vt purus panis efficiamur Christo?

Neque verò existimandum est illis prophetæ verbis, *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde*, Deum significare voluisse, eò tempore nihil omninò homines considerasse, nihil admiratos fuisse, cùm id naturæ humanæ planè repugnet: sed hoc docuit, de hoc conquestus est, quòd nõ recogitauerint, quæ illis essent vtilia & necessaria, quæ honesta: dum interim infinita alia mirarentur, quæ illis erant inutilia, immò perniciosa admodùm: quod si aliquãdo meditati fuerunt vtilia, id quia non ita vt par fuit præstiterunt, ideò non fructum, sed detrimentum inde retulerunt, propterea paulò post subiungit. *Seminauerunt inquit triticũ, & spinas messuerunt.* O propheta si ex tritico malè seminato prodeunt spinæ, quid fiet cùm spinas ipsas, sentes, tribulos, vrticas seminamus? si inquam consideratio diuinorum iudiciorum (de qua ibi agitur) dum non fit rite recteque nil nobis adfert vtilitatis, quid efficiet admiratio & recogitatio eorum, quæ odi-

Prophetia explicatur. Ier: 12.11.

Ibid. ℣ 13.

Quale detrimentum ex mala admiratione.

odit Deus? Audite auribus ô Christiani (nam vos quoque hęc parabola tangit) si inquam admiratio diuinorum mysteriorum & iudiciorum, quæ vobis in concionibus proponitur, nullum in vobis fructum facit: quid efficient cogitationes vestræ malæ, & peruersæ? Quid. n. miraris ô homo? Alius miratur formam & pulchritudinem, siue masculi, siue fæminæ (quod prohibet Christus) & accenditur libidine ad concupiscendum. Alter miratur excellens *vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius* (quod vetat sapiens) & incitatur ad ebrietatem. Alter miratur fertilitatem, & commoditatem agri vicini sui, & captus *concupiscentia oculorum* affligit pauperem, viduam, pupillum, vt quod desiderat quoquo modo obtineat. Alii vel aliæ raptæ superbia vitæ intuentes & demirantes nouos, exquisitos, & preciosos ornãdi sese modos, tanto inflammantur eorum desiderio vt nec noctu, nec interdiu cessent à deprecando marito, vt simile, vel etiam preciosius quid illis procuret, quamuis benè norint in istis totam eorum substantiam, omnemque victus rationem consumptum iri. O stulta prodigalitas, & vanitas. Sed quis filiorum Adæ, filiarumue Euæ omnes inordinatas admirationes, non dico recensebit, sed vel mente ipsa complectetur? Nemo equidem. Ideo hæc nunc pauca sufficiant; paulò post dicemus plura. Hæreat obsecro mentibus

Quid homines vt plurimum ac peruerse mirentur.

Mat: 5.29

Pro: 23.31

1. Io: 2.16.

tibus nostris hæc prophetæ comminatio. Si enim (vt dixi) spinas metent, qui triticum minùs ordinatè seminarunt, quid quæso metent illi qui *spinas* (ita enim eas ipse saluator vocat) diuitiarum, tribulos superbiæ, Zizania hæresum, vrticas libidinis, scirpos ebrietatum seminant? Quid inquam isti fructus referent? nihil profectò aliud, quàm æternam confusionem, quàm ignes infernales, in quos Zizania in fasciculos collecta iussu Christi ab Angelis proiicientur. Auertat inquis has pænas à nobis Deus? Auertet proculdubio vt bonus, & misericors, si tu quoque à talibus admirationibus & cogitationibus pessimis auerteris, & ad bonas piasque animum conuerteris tuum.

Mat: 13. 22

Ibidē: 30.

Notum itaque & insculptum sit obsecro mentibus, cordibusque vestris illud axioma: malas admirationes non nisi bonis admirationibus pelli, nociuas sanctis profligari: hæc ergò amplectamur has procuremus dilectissimi, procuremus autem, vt non tantū mēti nostræ eas ingeramus, verumetiam opere ipso compleamus, sic enim bene agetur nobiscum. Tot autem sunt bonæ admirationes, quot equidem numerari non possunt; icciro genera & capita tantum aliquot earū perstringamus. Si. n. quis serio & sincero corde recogitaret, & miraretur breuitatem huius, æternitatem verò illius vitæ; fæditatem ac turpitudinem istarum, pulchritudinem ve-

Remedium contra malas admirationes.

Bonarum admirationum multa genera.

nem verò & dulcedinem illarum, quas ex-pectamus voluptatum: incertitudinem salutis, certitudinem mortis; ignorationem horæ mortis, certam autem notitiam grauissimarum pænarum, quæ post mortem manent impios: arbitror equidē quòd excuteret veternum suum, & mirari inciperet supremā insipientiā suam, qui his neglectis quæ sunt ad salutem ipsi proficua, alia quæ ad perditionem pertinent, continuò & incessanter, voluit lingua, reuoluit animo, opere exequitur. Verùm hæc, & alia eiusdem generis, singula singulas requirunt conciones, (immò quædam etiam plures) quæ pro ratione temporis, & Euangelii suis locis tractabuntur.

Proprium huic concioni.

Hodie sufficiat proprium huic concioni, quod thema propositum nobis ob oculos ponit, quod maximi sane est momenti, vt & parentes Christi imitari, & præmium imitatoribus illorum assignatū recipere valeamus. Quid enim illi erant MIRANTES? Describit id D. Lucas dicēs quod SVPER HIS QVÆ DICEBANTVR DE ILLO, id est quæ dicebantur de Christo IESV ab Angelis, à pastoribus, à Magis, à Simeone, ab Anna, & ab aliis. Nam alios præter dictos non defuisse licet scriptura illorum non faciat mentionē, quis dubitauerit? Certe Zachariam, & Elisabetham vxorem eius nemo ab hoc numero excluserit. Quòd si tot, tantaque erant in tenera Christi ætate admiratione dignissima,

quot,

quot, qualiaue erunt quæ (quando aperuit os suum) docuit, monuit, præcepit, fecit? Ista ergò demiremur.

Cuius rei videtur mihi in Salomone & Regina Saba pulchra figura præcessisse. Cùm. n. *Regina Saba audita fama Salomonis ingressa* esset *Ierusalem, multo cum comitatu & diuitiis*, & exposuisset Salomoni omnia quæ in corde suo habebat, & aspexisset vniuersa, quæ & à Rege ipso, & circa illum gerebantur, ita mirata est, vt scriptura teste non esset *præ stupore vltra in ea Spiritus*. Si tantopere hæc fæmina admirata est Salomonem sapientem, quanto magis decuit IOSEPH ET MARIAM mirari puerum IESVM, conditorem Salomonis, & ipsam sapientiam patris æterni? Et si parentes mirati sunt, non quæ infans IESVS ageret, cùm nihil operaretur, quod excederet infantilem ætatem eius (ideo liber de pueritia Christi & miraculis in ea ætate ab eò patratis, ab Ecclesia reiicitur) sed quæ circa illum gerebantur, & de eò dicebantur; quãtopere conuenit nos mirari, dicta, facta, miracula, mortem ipsius pro nobis susceptam, resurrectionem quoque, & alia mysteria prope infinita? Quare ne nobis exprobret Christus Dominus, quòd olim obiecit Iudæis hoc ipsum exemplum Reginæ Sabæ in medium proferens, & sic de seipso loquens. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista & condẽnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam*

Figura notanda.

3. Reg: 10. 1.

2. Par: 9. 4

Mat. 12. 42.

Luc: 11. 31.

tiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic. Ne inquam Christus idem nobis obiiciat videamus, quidnam illa in Salomone mirabatur, vt & nos in nostro plus quam Salomone eadem contemplari studeamus.

Tria mirabatur Regina Sabæ.

Tria autem sunt quantum animaduerto ad quæ tota Reginæ Sabæ admiratio & stupor reducitur, nempe sapientia, ordo, & holocausta. Sapientia ipsius Salomonis, cùm in aliis tum verò in dictis & responsis; ordo admirabilis in ædificiis, ministeriis, famulis, cibis, & vestitu: Holocausta demum & sacrificia varia, quæ in templo cum tot cæremoniis offerebantur elucebant. Hæc tria stuporē planè in ea excitabant. In nobis verò quid? omninò contrarium. Tria etenim hisce prorsus opposita, video vt plurimum mirari homines etiam illos, qui Christiani vocari haberique volunt. Sit conuiuium refertū conuiuis, proferat aliquis sapiens quidpiam in medium, dicat quid, siue spirituale, siue ad bonos mores pertinens, disserat de virtutibus, de vitiis, de beatitudine, de vita Christi, aut sanctorum, de periculis vitæ huius, hisque similibus sexcentis. Quid? auditurne? Minimè verò: quinimmò sermo ipsius fastiditur, interrumpitur, exploditur. Prosiliat interim in medium stultus aliquis, scurra, ganneo, & ecce omnes ad eum aures oculosque conuertunt suos, mirantur, laudant, delectantur, audiunt attentissimè, memoria re-

Nos vt plurimum tria his contraria.

1. Illa mirabatur sapientiam nos stultitiam.

ria retinent fideliter, referunt incunctanter. O quam benè illud apud vos in prouerbii consuetudinem abiit, vnus ſtultus multos ſtultos efficit. Meritò etenim hoc in caſu dubitauerit quiſpiam quis iſtorum ſit inſipientior, auditorne, an orator? vel blaterator potius? O quam verè & ſapienter inquit ſapiens: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Quod in hoc certè actu maximè apparet. Quid enim ſtultum magis, quàm nugas rebus vtiliſſimis, ipſum denique ſtultum ſapienti anteponere?

NOTA. Conſuetudinem peſſimam.

Eccl: 1. 15

At inquis, non omnes qui talia agunt in ſtultis cenſendi ſunt immò plerique eorum ſunt prudentes, & vaferrimi, qui multa fingere, acutè alium perſtringere, mirabilia dicere, & facetiis iociſque ſuis riſum excitare norunt. Hoc eſt plurimorum de talibus iudicium & ſententia, qua ipſi ſuam produnt inſipientiam. Qui enim verè ſapiens eſt, ille huiuſmodi homines quos tu talibus depictos exhibes coloribus, multò ſtultiores iudicabit, quàm ſint ii, qui perturbatione capitis è ſtatu mentis deiecti ſunt, nec immeritò. Illi enim qui aut caſu, morboque aliquo, aut naturæ vitio ſunt tales, phantaſiam: hi verò intellectum & iudicium læſum habent. Si enim benè de rebus iudicarent, nunquam talia facerent, nunquam propter acclamationes ſtultorum, ſapientes contemnerent; nunquam ſtultis potiùs, quàm ſapientibus placere eligerent.

Obiectionis ſolutio.

Duplices ſtulti.

Correctio de recreatione.

Neque verò hic de illis ago, qui vt & se reficiant, & alios à laboribus seriis & grauioribus cessantes recreent, faceta quædam absque Dei & proximi offensa in colloquiis suis miscent, hoc enim ad sapientem quoque pertinet: sed de illis loquor, qui totos dies, mēses, annos in scurrilitatibus terunt, qui quod peius est, iocis suis proximis detrahunt, vitia eorum etiam occulta pandunt, eosq; grauiter offendunt, qui de ebrietatibus, de luxuriis, de vindictis quas exercuerant, deque aliis peccatis gloriantur, qui quod omnium pessimum, infaustis facetiis suis & Deū blasphemant. & scriptura sacra ad scurrilia abutuntur, & turpibus obscęnisque verbis, tū virginum, tum innocentum aures implent, concupiscentiam incendunt, animas necant. Et tu vir, vel fæmina, pater vel mater, talia audiendo non solum non exturbas scurram, habens in illum potestatem, sed etiam dicta eius miraris, cachinnaris, occasionem plura & turpiora effutiendi tribuis? O Regina Saba quàm iustè tu omnes istos in illa die (nisi interim resipiscant) condemnabis? Neque .n. mentitur veritas, neque fallit IESVS, qui hoc futurum prædixit.

2. Saba mirabatur ordinem.

Alterum quod Regina Saba mirabatur in Salomone fuit ORDO, qui in iis rebus apparebat, quæ circa illum ipso ordinante gerebantur; ordo sanè admirabilis. Tam .n. ordinatè omnia fiebant, vt meritò stuporem prouo-

prouocare possent. Vnum ex multis accipite. In ædificatione templi illius amplissimi, ita omnia ligna, lapides, & alia requisita ad amussim præparata erant, vt dicat scriptura. *Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Quis hæc credidisset, si scriptura ea non dixisset? Itaque hæc, & alia infinita, omnia autem ordinatissima, Regina Saba demirabatur. Nos verò quid? Nostis vestra prouerbia Polonica, quæ toties iteratis cum magna equidem gentis ignominia. Vtinam res ipsa tollatur, vt & ipsum corruat dicterium: quod tñ falsissimum esse, immò inuoluere planè contradictionem, ego mihi certò persuadeo, & persuasi aliis. Verùm his omissis venio ad communia omnibus. Miratur Regina Saba ordinem, nos verò inordinationem. Nunquid non ita sese res habet? Plena sunt profectò exemplorum omnia. Quis status stat in ordine suo? Talia autem mirantur vt plurimum homines, népe quãdo vident Ecclesiasticũ multas vmbras post se trahentem, quas è beneficiorum pluralitate alit; & colligit: quando militum arma, & equorum phaleræ micant auro, argẽto, gemmis, quæ ex spoliatione eorum, quos defendere debebant, iis obuenerunt: quando aspiciunt quadrigas & sexigas nobilium, quæ ex oppressione subditorum coemptæ sunt:

3. Reg: 6. 7

Nos vero miramur in ordinationem.

Exempla quædam.

quando ciuium domos ſumptuoſè ædificatas intuentur, quarum ſumptus ex vſuris, & fraudibus variis illis prouenerunt. Maximè verò omnium demirantur luxum in veſtitu, præſertim in cultu muliebri, in quo nullus planè ſtatus ſuis terminis continetur, famulorum, famularumque multitudinem, conuiuiorum in omni genere hominum apparatum, copiam, continuationem: in quibus non ſolum illa conſumuntur, quæ poſſidentur; ſed etiam quæ non habentur, ære alieno emuntur, & empta miſerè effunduntur. Nihilominus in talium conſideratione, admiratio noſtra magna ex parte verſatur. Liberales huiuſmodi vocantur, cùm prodigi ſint nimis, & turpe vitium præclaræ virtutis nomine inſignitur.

5. Regina Sabæ mirabatur pietatem in Deum, nos contra.

Poſtremum admirationis caput in Regina Saba erat pietas illa erga Deum, & religio admirabilis, quæ conſiſtebat in ſacrificiis, holocauſtis, & ceremoniis, quæ in templo à Salomone ædificato, miro ordine & varietate Deo offerebantur, & perficiebantur. Quibus omnibus in nouo teſtamento ſucceſſit auguſtiſſimum illud & ſacroſanctum corporis & ſanguinis Chriſti IESV, quod in miſſa cum tot ceremoniis peragitur ſacrificium. Quod admiranturne Chriſtiani? Catholici frigidè nimis: finem celerem potius miſſæ quàm myſteria eius attendentes; eos qui illud celerrimè perficiunt mirantur & laudant.

Quid

Quid illi qui se Christianos vocant, licet non sint? hæretici inquam? Contrarium omninò. Sanctissimum Christi sacrificium blasphemant, ceremonias rident, ordinem detestantur, omnia denique quantum possunt è medio tollunt: mirantur autem nouas & inauditas quas ministri eorum quotidiè fingunt ineptias immò impietates. Verùm cōtra hæreticos agendi, aliud tempus expectandum erit, nunc satis sit monuisse tam illos, quàm nostros gelidos Catholicos, vt tempestiuè sibi præparent, quid Reginæ Sabæ in illa die eos hoc facto suo condemnanti respondere debeant. *Mat. 12. 42.*

Nos verò considerantes & illa verba quæ Christus de seipso protulit: *Ecce plus quam Salomon hic*; & quæ in Euangelio audiuimus, simus obsecro MIRANTES SVPER HIS, QVÆ DICEBANTVR DE ILLO, de Christo scilicet IESV; quæ quam multa sint quis verbis assequatur? Complectuntur namque omnia, quæcunque sancti Euangelistæ nobis scripta reliquerunt: quid enim illi aliud scripserunt, quàm quæ DICEBANTVR DE ILLO? Hæc igitur nos meditemur, hæc miremur, hæc identidem contemplemur: quæ tum ad illa Reginæ Austri, tum ad alia meditationum capita facilè reduci possunt; Vnde infinita propemodùm nobis admirandi materia suppeditatur. Si enim tanta fuit sapientia Regis Salomonis, vt dicat scriptura: *Quæ nos mirari conuenit.* *1. Sapientia Christi.*

3 Reg: 4. 29. Dedit Deus sapientiam Salomoni &c. *quasi arenã, quæ est in littore maris?* quanta necesse sit illius, qui est *plus quàm Salomon?* in quo (teste Apo-
Col: 2. 3. stolo) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi?* ac proinde si tantopere mira-
2. Par: 9. 4. ta est Regina Sabæ, vt *non fuerit præstupore vltra in ea Spiritus*; quid nos facere conuenit, qui longè copiosiorẽ mirandi habemus materiam in Christo IESV Domino & Deo nostro? Fecerunt hoc multi sancti ii præsertim, qui solitariam in eremo egerunt vitam, & ita fecerunt, vt in altissimo quodam excessu alienati à sensibus non rarò persisterent. Nos si tam altum contemplandi gradum attingere non possumus, conemur saltem eos quantùm possumus imitari, & cum eadem Regi-
3. Reg: 10. 8. na admirabundi exclamemus: *Beati viri tui* (ô Christe IESV) *& beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*: verè beati, & millies beati, & beati non illa adũbrata, quam serui Salomonis habuerunt, sed quæ in hac præsenti vita haberi potest verissima beatitudine.

2. Ordinem p endum Deinde, si Reginæ Sabæ admirabilis visus est ordo in regia Salomonis, in ædificiorũ amplitudine, in variis famulorum ministeriis, in diuerso vestium genere & cultu aliisque sexcentis, qui tamen vniuersus Salomonis apparatus non vsque adeò consuetum aliorum regum splendorem & magnificentiam excedebat: quàm stupendus debet vi-

deri

deri nobis nostri Regis Regū, & domini dominantum Christi IESV ordo, & rerum admirāda dispositio & cōstitutio, quę licet contraria planè sit omnibus, qui à mundi exordio fuerunt Regibus Imperatoribus, Monarchis; est tñ omnium excellentissima. Nunquid eam nobis ob oculos non ponit sacrum hoc tempus octauæ Natalis IESV: quis ñ. quæso elucet ordo in natiuitate eius, qui est *plus quam Salomon?* attendite, & obstupescite: pro amplissimis ædificiis cedrinis exiguum & ruinosum stabulum, pro suaui odore fætores, pro splendida veste abiecti panniculi, pro cunis preciosis vile præsepium, pro circumstipāte famulorum caterua parētes pauperrimi: adstant etiam iuxta vaticinium bos & asinus aulicorum loco, qui, vt piè credo, halitu suo tenerrima infantis calefaciebant membra. Obstupescite cæli? En (vt paucis perstringamus omnia) is qui omnes ditat Reges, in summa nascitur pauperie; qui calore fouet vniuersa, frigore contremiscit; *Sub quo curuantur qui portant orbem*, manibus defertur inopis artificis. Quanta admirationū congeries? Quid in vita ipsius? quid in morte? quid in iis, quæ mortem consecuta sunt? Est ergò quod miremur dilectissimi, & mirando imitemur, & imitando ad amorem ipsius inflammemur.

Apo: 19. 16

Is: 1. 3.

Iob: 9. 13.

Denique si eandem Reginam consideratio holocaustorum sacrificiorum, & cæremoniarum,

5. Sacrificium.

arum, quæ fiebant in domo illa veteri ex figuris & vmbris constante tãtopere rapiebat: quantò maiorem pariant necesse est in nobis admirationem ea omnia, quæ aguntur in hac
1. Tim: 3. 15 nostra *domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*, in qua vmbris lux, figuris veritas, oblationibus pecorum successit verum corporis & sanguinis Christi, sacrificiũ? Sed hęc satius est tacendo præterire, & vobis meditanda relinquere, quàm paucis loquendo, non satis tantam rerum maiestatem verbis explicare.

4. In genere varia. Venio ad alia distinctionum capita, ad quæ reduci possunt ea, quæ nos mirari oportet ex HIS QVÆ DICEBANTVR DE ILLO, & quæ hucusque resonant in auribus nostris, ab Apostolis & Euangelistis nobis siue tradita, siue conscripta. Quæ tot talia, tantaque sunt, quot, qualia, quantaque vix animo comprehendi possunt, miranda tñ sunt: quicquid enim siue in cælo, siue in terra, siue sub terra, quicquid in nobis, circa nos, supra nos, quicquid cum Deo, cùm proximo, cùm Angelis agitur, nobisue agendum incumbit, hæc omnia DICEBANTVR DE ILLO, nobisque exemplo Christi ad cogitandum & imitandum proponuntur. Rem

5. In particulari nosmeipsos. paucis illustremus. Docemur primùm admirari & cognoscere nosmetipsos: si enim is quem nihil latuit, interrogat discipulos, *quẽ*
Mat: 16. 13 *dicunt homines esse filium hominis?* Et iterum: *Vos*
autem

autem quem me esse dicitis? quid nos facere conuenit, immò oportet? qui tanta ignorantia nostri propter amorem nostri proprium laboramus? Hoc igitur sit admirationis nostrę caput: nemo. n. ad spiritualem (de qua hic disserimus) Dei, & aliarum rerum cognitionem se perueunturum arbitretur, nisi qui prius in sui cognitione benè exactèque fuerit exercitatus: quam tum ex seipso, sincere conscientiam suam examinando hauriet: tum ab aliis, eos Christi exemplo interrogando discet. O quantus vel hac vnica in re sanctæ admirationis campus aperitur? *Ibidē ṽ 18*

Deinde mirari debemus proximos nostros, non vt defectus & imperfectiones eorum malitiosè carpamus: aut nos illis arroganter anteferamus, sed vt eorum virtutes imitemur sedulò, & vicissim eos exemplo nostro ad bonũ incitemus. Hoc & ipse Christus, hoc & Apostoli eius docuêre: Christus quidem cum inquit. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et alibi grauiter admodùm arguit pharisæũ, qui publicano sese præferens, suas quidem virtutes, publicani verò nonnisi vitia considerauit & admiratus est; cùm contrarium fecisse debuisset: Apostolus verò cum monet, vt humiliter de nobis sentiamus, ne corruamus. *Considerans* inquit *seipsum ne & tu tenteris.* Et alibi clamat. *Aedificate alterutrum.* Pulchra & necessaria admiratio: Vtinam in praxim

6. Proximos & quomodo.

Mat: 7. 3.

Luc: 18. 10

Gal: 6. 1.

1. Tess: 5. 11

7. Sanctos & pios. praxim reducatur. Præterea admirari debemus vitam piorum, & sanctorum virorum,
Ioa:8.39. vt eorum vestigiis insistamus. Ita Christus
Ioa:5.45. Dominus in exemplum proponit Abrahamum, Moysen, & alios: ita Apostolus fre-
1Cor:4.16 quenter inculcat. *Imitatores mei estote.* Et ad
Phil:3.17. Philipp: scribens addit: *Et obseruate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram:* Ecce quomodo mirari & seipsum, & alios sibi similes præcipit Apostolus. nemo. n. alterius vitam imitari potest, nisi eam prius cognitã perspectamque habuerit. Christus verò ad
Io:8.39. Iudæos inquit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Demirari itaque facta Abrahæ iubet.

8. Omnia creata. Neque verò vitam & mores hominum duntaxat, sed vniuersa etiam alia à Deo creata admirari, & inde ad cognitionem Dei, & mysteriorum eius deuenire docet nos idem Christus, & Apostolus eius. Christus quidem per tot tamque diuersi generis parabolas: Quid enim hæ aliud sibi volunt, quàm vt per admirationem creaturarum ad cognitionem Dei, & operum eius deueniamus?
Mat:6. 26 Ideò Christus: *Respicite* ait *volatilia cæli. Consi-*
Luc:21.29 *derate lilia agri.* Et alibi: *Videte ficulneam, & omnes arbores.* Apostolus autem apertè testatur, per cognitionem creaturarum ad Dei a-
Rom:1.20 gnitionem perueniri: *Inuisibilia enim* inquit, *ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Eximia admirationis & contem-
9. Vitã Christi. platio-

plationis ratio, sed magis propria Christianis illa, quæ directè in themate proposito nobis commendatur, vt imitando parentes seruatoris nostri, vitam Christi consideremus. Hoc. n. est speculum perfectissimum, in quo pusilli & magni, indocti pariter ac docti, viri & fæminæ, Græci & Barbari, omnes denique à maximo vsque ad minimum & seipsos clare intueri, & alia omnia cognoscere, & ad imitandum & redamandum illum excitari possunt, & debent. Hoc monet nos ipse Christus dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Et iterum *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hæc eadem principis Apostolorum doctrina est: *Christus* ait ille, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Hoc commendat & D. Paulus inquiens: *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.* Et vt scias illum de Christo loqui, subiungit. *Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Verùm quoniã hac de re & in sequenti concione aliquid, & alias frequentius nobis disserendum erit, concludamus nobilissima illa & omnium & suprema admiratione, quę in cõtemplatione ipsius diuinæ essentiæ consistit, quam docuit Christus, quando *erat pernoctãs in oratione Dei*: quam exercuerunt principes terræ, & primi Apostolorum; quando alter *ad tertium cælum raptus* fuit, & *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: Alter vidit lin-

Mat: 11. 29.
Io: 13. 15
1. Pet: 2. 21.
Eph: 5. 1.
10. Deũ ipsũ
Luc: 6. 12.
2. Cor: 12. 2
Act: 10. 11.

linteum magnum de cælo expansum, magnum illi mysterium de conuersione gentilium pädens: quam amplexati sunt sancti præsertim anachoretæ, & religionum fundatores, quã admirandi rationem doceant illi, quos ipse Spiritus sanctus in eis habitans docet: nos interim finem concioni nostræ imponamus.

IIII. MEMBRVM Conclusio summam dictorum continens, & fructus.

Concludamus itaque iisdem quibus cœpimus verbis, ERANT IOSEPH ET MARIA MATER IESV MIRANTES SVPER HIS, QVÆ DICEBANTVR DE ILLO. Simus & nos dilectissimi hoc ipsum facientes. Id enim docet, suadetque necessitas ipsa, parentes Christi, ipse Deus, honesti ratio, & maxima quæ nos inde manet, vtilitas nostra. Qualia, & quot ad virtutem incitamenta? Necessitatem tantam esse audiuistis, vt sine admiratione homo esse non possit. Cur ergò malam potius, quàm bonam admirationem eligimus. Non demiremur obsecro cum impiis, & mundo huic deditis hominibus scurrilitatem, & omnem insipientiam; sed cum Regina Saba sapientiam, cùm Salomonis, tũ verò eius, qui est Salomone maior: omnem denique à quocunque nobis offeratur piam doctrinam: non turpem miremur in rebus inordinationem, sed pulchrum ordinem: non detestandam impietatem, sed sanctam & antiquam pietatem, qua Deus sacrificiis, & cæremoniis colitur: denique non miremur mala, sed bona consideremus & meditemur.

Verùm

Verùm non ſit nobis ſatis bona & licita contemplari, ſed faciamus id quoque benè, id eſt, bono & ſancto fine, ſine quo nihil eſt laudabile. Ac proinde demiremur noſmetipſos; non vt nobis blandiamur, ſed vt nos humiliemus: non vt peccata noſtra excuſemus, ſed vt accuſemus: miremur proximos non vt iis detrahamus vitia eorum conſiderantes: ſed vt ex illis ædificemur, virtutes eorundem ſectantes: miremur omnes alias creaturas, non vt eis abutamur, ſed vt per eas ad cognitionem Dei, deueniamus. Miremur Chriſtũ Dominum, non vt propter eius immenſam miſericordiam, & infinita merita liberè peccemus, ſed vt illum magno conatu ſtudioque impensè imitemur, & omnem in eò fiduciam tanquam in fortiſſimo propugnaculo collocemus. Miremur denique & contemplemur ipſam diuinam naturam, non vt docti, ſanctiue videamur: ſed vt miſericordiam ab eò obtineamus, & in eò delectemur: hic eſt enim ſupremus & dulciſſimus omnis delectationis fons, & abyſſus. Quocirca vt ſimus MIRANTES, ipſa nos excitet, inducat, cogat neceſſitas, eaque duplex: Altera quia neceſſe eſt omninò ſemper aliquid mirari: Cur ergò (quod prouerbio tritum eſt) non faciamus ex neceſſitate virtutem? Altera quia hinc omnis ſalus noſtra, vel interitus pendet ſempiternus. Si bona bene meditatus fueris, erit tibi CHRISTVS IN RESVR-

Quid nos ad mirandũ inducet.

Neceſsitas duplex.

RECTIONEM: si malè, fiet, (quod absit) IN RVINAM. Hæc igitur noctu atque interdiu cogita? hæc meditare, & conscientiam sæpius excutiendo, animum tuum ad sanctam incita & vrge admirationem. Ad quam præterea inuitant & incitant te parentes Christi, quos idem fecisse audis: incitat ipse Deus pater, & per prophetas, & per filium suum hæc nobis commendando diligẽter: incitat ipse Christus cum omnibus sanctis, exemplum nobis tribuendo: incitat ipsa honestas: quid.ñ. honestum magis, quàm tales imitari? incitat iucunditas & delectatio, quæ præcipua inde hauritur: incitant deniq; summæ, quæ inde habentur, vtilitates. Quid.ñ. est vel esse potest verè vtile, quod inde nõ percipiatur? Hinc fides diuina in nobis firmatur, Deo hac ratione intellectum nostrum mirificè illustrante. Hinc spes erigitur & certificatur. Nam (excepta reuelatione) nullus est certior suæ salutis, quàm is, qui in hac sancta exercitatus est admiratione & contẽplatione. Hinc charitas in nobis maiorem in modum radicatur. Hinc pax & quies omnis possidetur, cùm Deo, cùm Angelis eius, cum hominibus bonis & iustis, cum plerisque etiam iniustis & impiis. Hi.ñ. diuina admirantes vel contemnunt vt stultos, vel venerantur vt sanctos, & ita pacificè cum illis viuunt: eos verò qui mundana mirantur, suscipiunt, & sectantur, aut velut ineptos derident, aut

Alia notanda.

Vtilitates maximæ.

facibus

facibus inuidiæ ſuccenſi perſequuntur. Hinc ad extremum oritur quicquid ſiue in hac, ſiue in illa vita obuenire nobis boni poteſt. Nã vt diximus non ideo terram fuiſſe deſolatam propheta conqueritur, quòd nihil omninò homines recogitauerint demiratiue fuerint (hoc enim non fuit poſſibile) ſed quòd inordinatam habuerint admirationem, quam ideò inconſiderationem vocat, quia conſiderationis, quæ virtus eſt, nomine indigna fuit. Quare ſi inconſideratio & defectus recogitationis corde, parit ſpiritualem deſolationem terræ huius, quæ terra eſt morientiũ; profectò conſideratio ſancta rerum diuinarum implebit terram viuentium. Admirationem igitur ſanctam, ſi habuerimus & illam terram poſſidebimus, vbi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Trinitas incompræhenſibilis facie ad faciem à nobis videbitur, laudabitur & benedicetur per immenſa ſæcula ſæculorum AMEN.

CONCIO QVARTA. Charitas.

TRIVMPHVS CHARITATIS.

Cùm in omni piæ hiſtoriæ conſideratione & meditatione; tum verò in contẽplatione vitæ Domini, & Saluatoris noſtri Chriſti IESV, tria nos intueri & ponderare

Tria in contemplatione obſeruãda.

derare docent viri ſpirituales; nempe perſonas, dicta & facta, quæcunque in illa, quam meditandam ſuſcepimus, hiſtoria deſcribuntur: vt mala quidem deteſtemur, bona verò imitari ſtudeamus. Quæ tria quanquam ita inter ſe colligata & connexa ſunt, vt vnius conſideratio alteram vt plurimum inuoluat: cùm & perſona per dicta, factaque nobis innoteſcat, & hæc dignitatem, vel indignitatem illius prodant; habent nihilominus ſingula ſuas particulares animaduerſiones, quas ii, qui meditandi methodum & rationem nobis tradiderunt, primum mente perſcrutari, deinde animo deguſtare, tum opere etiam implere; ac demum aliis communicare nos docuerunt. Quoniam igitur in aliis, quas de hoc Euangelio habuimus concionibus, omnia quæ in illo nobis deſcribuntur, dicta, factaque, ſerio quantum Dominus conceſſit, ſemel, & iterum excuſſimus: viſum eſt mihi conueniens in hac, mentes veſtras in conſideratione perſonarum, quæ hîc nominantur parumper occupare: quod tantò libentius faciam, quantò magis id meo quadrat inſtituto. Statui etenim vobis hodierna die deſcribere, & ante oculos mentis ponere triumphũ reginæ & imperatricis omnium virtutum, ac debellatricis omnium vitiorum charitatis: quam ad rem non mediocriter me iuuant hæ perſonæ, quarum in Euangelio factam mentionem videmus. Sunt

Perſonæ in hac Concione conſiderabuntur.

verò præter IESVM Christum *Regem Regũ, & Dominum Dominantium*, qui deuicta morte ex inferno triumphauit quatuor aliæ; MARIA videlicet MATER IESV vera, & legitima: IOSEPH pater eiusdem putatiuus, SIMEON *homo* (vt ait scriptura) *iustus & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo*, & ANNA PROPHETISSA anus lectissima. *Ap: 19.16.* *Luc: 2.25*

In hodierna itaque concione considerabimus inprimis, quæ ad hunc, quem meditamur triumphum requirantur. Deinde quidnam hæ, quas nominauimus personæ, ad id nobis conferunt, postremo quonam modo & ratione nos quoque triumphi huius participes esse possimus. Tu summe triumphator noster Christe IESV, tribue, vt & huius tẽporanei ac imperfecti triumphi vsque in finem, & illius perfectissimi sine fine per merita sua consortes effici valeamus. **PROPO: tripartita.**

Quantum adhiberi solitum fuerit splendoris, gloriæ, ac maiestatis cùm aliarum nationum, tum verò triumphis Romanorum, qualemue eiusmodi spectacula in animis intuẽtium excitare consueuissent admirationẽ, lætitiam, ac delectationem; nec nostri officii est recensere, nec vestra multùm interest scire. Eximios sanè & excellentissimos eos fuisse, nemo dubitare poterit. Verùm nos terrenis omissis ad spirituales & cælestes, verèq; amplissimos & augustissimos triũphos **I. PARS Triumphi dignitas.**

 con-

contemplandos mentem animumque transferamus nostrum. Hic verò triumphus spiritualis duplex est: Prior qui in hac vita, posterior qui in illa habetur: ille imperfectior, hic perfectissimus temporaneus ille, iste æternus: Vterque tñ, ni ego fallor, in charitate consistit: præsentis quidem vitæ in charitate minus perfecta, & quæ amitti potest, is verò quem expectamus, in charitate absolutissima ac in æternum permansura, est constitutus.

Triumphus Spiritualis duplex.

Ex his duobus nos in hac concione, nostrum, id est illum, qui nobis dum in hac peregrinatione sumus conuenit, præcipuè explicabimus. Quam ad rem non ex prophanis auctoribus, sed ex diuinis literarum monumentis triumphos descriptos eosque non terrenos & corporales, quales fuerunt Saulis, & Dauidis: sed cælestes ac spirituales desumemus. Huiuscemodi autem duo nobis occurrunt: alter Eliæ, Ezechielis alter: quorum ille re ipsa, hic non nisi in uisione fuit: vterque tamen præstantissimus, & quibuscum omnes mundani triumphi ne comparari quidem possunt; priori præter Eliam, qui triumphauit, interfuit quoque Elisæus propheta: posteriori præter Ezechielem, qui eũ intuebatur, hominum aderat nemo, aderat tñ & maiestas diuina, & angelorum multitudo innumera. Ex vtròque hæc ad nostrum propositum colligimus. Primũ, currum ipsum trium-

1 Reg: 15. 12
1. Reg: 17. 6
4. Reg: 2.
Ezech. 1. & 10. cap:
Eius imago duplex.
In triũpho spirituali considerãda

triumphalem admirabili opera artificioque compactum, deinde aurigam, clamante Elisæo ad Eliam: *Currus Israel, & auriga eius.* Præterea rotas, quas fuisse quatuor in Ezechiele legimus: Sic.n. ille: *Et vidi & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubin.* Sunt & equi ignei, (sicut & alia omnia ignita erant) verùm numerus eorum: in locis citatis tacetur: aliunde igitur is colligendus erit. Quatuor autem fuisse suadet, non solum Zacharias, qui varia quadrigarum vidit genera; Sed magis Abacuc, maximè autem sponsa. Abacuc inquit. *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Sermo est de Christo Domino, qui per Apostolos & quatuor Euangelistas salutem attulit mundo, per charitatem verò intrinsecè saluat mundum, quæ quidem charitas dũ à quadriga trahitur virtutum, celerrimè currit, & ad destinatũ sibi properat locumq;, finemque. Sponsa autem: *Nesciui*, ait *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Aminadab fuit princeps filiorum Iuda in trãsitu maris rubri, cuius filiam Elisabeth Aarõ duxerat in vxorem (ita sacerdotalis & regalis tribus semper miscebantur) is aliis trepidantibus primus dicitur sequutus Moysem per diuisiones maris: Interpretatur autem Aminadab populus meus spontaneus: Et significat tum ipsum Christum, tum populũ ei per charitatem spontaneè adhærentem. Christus etenim IESVS Rex & sacerdos summus pri-

Currus. Auriga. Rotæ.

Eze: 10.9.

4.Reg: 2.12

Equi &c. ignea.

Zach: 6. 1.

Quadriga.

Abac: 3.8.

Cant: 6.11.

Exod: 6.23

mus olim per figuram in Moyse, & Aminadab; postea verò re ipsa per semetipsum vltrò & voluntariè mare rubrum passionis suæ ingressus, missis postea per quatuor orbis terrarum partes quadrigis suis Apostolis, & Euangelistis sponsam suam & edocuit nouam legem, quam antea nesciuerat; & conturbationes eius sedauit; Populus verò, qui spontaneè immò dulciter per fidem viuam illi cō-
1. Pet: 2. 9. iungitur, quem *gentem sanctam, populum acquisitionis* vocat princeps Apostolorū hic inquā populus: quadriga Charitatis in viis & semitis ipsius currens, & arcana multa, quę ignorabat cognoscit, & post vtilem animæ conturbationem mirificam percipit mentis consola-
Progressio. tionem. Postremò in hac actione triumphali id notatu est dignissimum, quod tā Eliæ, quàm alter currus non legantur vnquam retrocessisse, imò de hoc dicitur quòd tam *rotæ*
Eze: 1. 20 in quibus *Spiritus vitæ erat*, quàm quatuor
Ibidē ℣ 9. animalia quæ ibi reperiebantur *non reuertebātur cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur*. Magnum sanè mysterium.

Charitati hæc omnia applicantur. Hæc sunt, quæ de vtroque illo curru triumphali inter alia legimus; quæ iā, in Christi nomine, charitati triumphanti, quemadmodum polliciti sumus, applicemus. Ha-
Currus, Fides. bet charitas inprimis currum triumphalem fidei sanctæ Catholicæ ex duodecim articu-
Ex: 25. 10. lis, quos Apostoli composuerunt, & nobis reliquerunt, tanquam ex tabulis ligni Setim incom-

incomputribilibus firmissimè compactum: in qua fide tanquam in fundamento & basi quadam suis consistit pedibus charitas. Habet item in curru hoc sedem eminentem: ea verò est, spes bonis & præclaris operibus tãquam lapillis preciosissimis eximiè ornata, quæ & sursum eam tendere facit (sursum enim ferri spei proprium est) & aliis conspicuam reddit. Habet præterea in curru secum aurigam timorèm Dei, qui satis scitè & summa ac mirabili arte, & quadrigam virtutũ propellit, & currum agitat. In perfectis verò quibus competit illud. D. Ioan: *Perfecta charitas foras mittit timorem:* ipsa charitas aurigam agit tantò potentius, quantò dulcius: ideoque Elisæus clamabat ad Eliam: *currus Israel, & auriga eius.* Adsunt & rotæ quatuor, per quas quid aptius intelligemus, quàm quatuor illas virtutes, quas D. Ambrosius & alii, Cardinales vocant? nempe iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiã: quæ in decoro, & honesto, tanquam in axibus & vertuntur perpetuò, & fidem spemq; subleuant, & charitatem ad progrediendum adiuuant.

Sedes, spes.

Auriga timor Dei.

1 Ioan: 4. 18.

4 Reg 2. 12

Rotæ quatuor virtutes Cardinales.

Axes decorum & honestum.

Restat quadriga candida, tum sinceritate, tum innocentia sua; eam nos ex quatuor virtutibus solis quasi Christianis propriis conficiemus. Philosophi. n. ita vti a nobis accipiuntur eas non cognouerunt, immò in vitio quasdam posuerunt: hominibus verò legis

Quadriga quatuor virtutes Christianæ.

Omnia autem sunt candida.

veteris cognitæ quidem aliquibus erant, sed familiares, vt nunc sunt, non erant. Sunt autem hæ, obedientia humilis, admiratio seu contemplatio rerum diuinarum diligẽs, patientia longanimis, & continua in rebus omnibus mortificatio. Quæ quatuor virtutes currum charitatis non currere tantum, sed volare omninò ad finem destinatum faciũt. Postremò in hoc curru charitatis triumphali duo sũt nobis notãda: Alterũ, quòd tã currus, quàm equi, & reliqua omnia sint ignèa, igne videlicet illo succensa, quem saluator noster *venit mittere in terram*, & voluit accendi. Ignis enim charitas est, quę inflammat omnia, & quicquid inflammauerit virtuosum studiosumque reddit: Alterum animaduersione est dignũ, quòd progrediantur omnia: quicquid n. hic reperitur, *vnum quodque ante faciẽ suam graditur*, non reuertitur, imò nec respicit retro (Sic n. Christus docuit) Quia vt ille S. dicebat. In via Spirituali, [nolle proficere nonnisi deficere est] Ac proinde vnus egregius triumphator, & currus istius agitator de seipso testatur, & clamat. *Fratres ego me non arbitror comprehendisse: Vnum autem quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum.* O doctrinam singularem. O factum principe Apostolorũ dignum, & nobis summa animi contentione imitandum.

Ignea. Luc: 12. 49. Progredientia. Luc: 9.62. Bernard: Epa: 253. Phil: 3.13.

I. PARS Triumphus iste in Euangelio denotantur.

Sed videamus iam quonam modo hæc singula, quę de triumpho charitatis sunt notata, in E-

in Euangelio hodierno reluceant. Et de fide quidem spe, ac ipso etiam timore non est quod disseramus, cùm ex hoc Euangelio integras his de rebus habueritis conciones. Vnum ad dicta de timore sacro addo : Velle Deum dum hic sumus, nos in timore esse. Si n. parentem vnigeniti sui ita teruit, vt longè ante prædici ei voluerit, quòd animam ipsius gladius doloris esset penetraturus, quid nos cogitare oportet? & quantò *cum metu & tremore salutem* nostram operari conuenit? Verùm ad rotas, & equos, quæ concionis huius sunt propria veniamus. Et rotas quidem leuiter, quadrigam verò paulo copiosius explicabimus: nam de virtutibus Cardinalibus copiosius agendi alia sese offeret occasio. Has verò virtutes rotis (vel earum partibus) D. Gregorius quoque applicat, quem tanquã ducem libenter sequimur, Possunt autẽ non ineptè, vt mihi quidem videtur, tam rotæ, quàm equi personis, quæ in Euangelio recensentur accomodari: non quod omnes istę virtutes in singulis personis non reperiantur, (cùm in ipsa Beatissima virgine Maria fuerint vniuersæ, secundum Christum, in gradu perfectissimo) sed quòd certę certis magis adaptentur: tum propter nominis agnominationem, tum aliis de causis. Sicut. ñ. in diuinis, quamuis omnia diuina attributa æqualiter singulis competunt personis; quædam tñ. particulari ratione quibusdam appropriantur:

Phil: 2.12

D. Gre: in Ezechiel

In personis hic descriptis.

Cur peculiariter iis applicentur.

A simili.

antur; vt omnipotentia patri, ſapientia filio, bonitas Spiritui ſancto: ita hic quædam ex prædictis virtutibus peculiariter peculiaribus conueniunt perſonis.

Applicabimus autem eas quatuor hiſce perſonis SIMEONI videlicet, IOSEPHO, MARIÆ, & ANNÆ non ſolum rotas; ſed etiam quadrigam; id eſt non ſolum Cardinales illas virtutes, ſed & eas, quas particulari ratione Chriſtianas vocauimus. Neutrum. n. eſt inſolens non ſolum apud. SS. Patres, ſed etiam in ipſa ſcriptura, nempe tum diuerſa vni rei applicari propter diuerſos reſpectus; tum rotas & ſimilia perſonis adaptari. Nam primum quidem frequens eſt in parabolis à Chriſto prolatis, in quibus non ſemel res vna, eademque diuerſis notatur paræmiis, & ſimilitudinibus: poſterioris verò eſt e-
Eze: 10. 9 xemplum apud Ezechielem in hac ipſa, quã tractamus, materia. Quatuor enim illæ rotæ, quatuor animalibus (ſeu potius Cherubinis) applicantur: per omnia autem iſta quatuor Euangeliſtæ deſignantur ſecundum communem SS. Patrum interpretationem. Sèd & illud obſeruandum eſt (antequam ad ſingula ſingillatim deueniamus) quatuor illas virtutes, quæ in rotis figurantur, ab iis virtutibus, quæ equis accommodantur, ita perfici, vt Cardinales Chriſtianis ſubalterari, & ſubſeruire videantur. Vnde maxima nouæ legis præ aliis patet eminentia ac dignitas.

Quæ

Quæ enim iuxta lumen naturæ Philoſophis videbantur ſuprema; ea ſecundum lumen Euangelii apud Chriſtianos inferiorem locum obtinent. Verum iam ad ſingula veniamus.

SIMEON itaque primus prodeat in medium, cui ex Cardinalibus quidem virtutibus eam, quam primo loco collocare conſueuerunt Philoſophi IVSTITIAM; ex aliis verò OBEDIENTIAM humilem, ſiue HVMILITATEM obedientem adaptabimus. Illam in Simeone eluxiſſe teſtatur ſcriptura, quæ paulò ante hodiernum Euangelium in hæc verba de illo loquitur. *Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus.* Quamuis enim iuſtitia hîc vniuerſaliter accipiatur, prout omnes complectitur virtutes, per quas iuſtificamur, & iuſti *nominamur & ſumus*: tñ res ipſa loquitur, etiam iuſtitia, vt eſt peculiaris virtus illum minimè caruiſſe: tum quòd hæc quoque in illa comprehendatur vniuerſitate; vnde & nomen accipit: tum quòd Simeon reddiderit vnicuique quod ſuum eſt: quod eſt iuſtitiæ proprium. Reddidit autem Deo, omnem religionem, ideò ſubiungitur, quòd *Spiritus ſanctus erat in eo*: proximo obſequium, propterea in Euangelio hodierno & benedicit, & docet: ſibiipſi denique dabat mortificationem, iccirco *timoratus* fuiſſe perhibetur. Iam in altera etiam eum excelluiſſe virtute & nomen

I. Simeõ iuſtus & obediens.

Luc: 2.25.

1. Ioan: 3.1

men ipſum, & res produnt: SIMEON etenim OBEDIENS ſiue audiens interpretatur: illi enim ſoli verè cenſentur eſſe audientes, qui ſunt verè obedientes; maximè qui ſunt obedientes ex humilitate; qualis hîc Simeon fuit. Res verò idipſum luculenter teſtatur: Actus. n. qui in hac virtute dari poteſt excellentiſſimus in Simeone reperiebatur, de quo paulò poſt.

Interim duo in ipſo, vel de ipſo notatu digna aduertamus, & ſtudioſe imitemur: Alterum quòd bis dicatur fuiſſe homo. Nam *ecce homo erat*. ait Euãg: Et iterũ, *& homo ille iuſtus*. Putatis id gratis eſſe repetitũ? ego verò in ea ſum ſententia, vt ne iota quidem vnum in ſcriptura ſacra gratis dici exiſtimem. Notatur n. Simeon fuiſſe bis homo: nam ſunt aliqui tantum ſemel homines, ii videlicet, qui ſiue in proſperis ſolummodo ſeruiunt Deo, *& in tempore tentationis recedunt* ab eò, vt ipſe Chriſtus de talibus teſtatur: ſiue è contra, in tribulationibus inuocant Deum, & coniungũtur illi per charitatem; in proſperis verò obliuiſcuntur Dei, & voluptatibus totos ſeſe dedunt: quorum non leuis, nec exiguus eſt numerus, & longè numeroſior, quam prioris generis multitudo: vtinam ſint pauciores, vel melius dixerim nulli: Erant autem ſi imitabuntur Simeonem, qui & dicitur, & fuit bis homo, & in aduerſis ſcilicet conſtans & in proſperis moderatus.

Bis homo.

Luc: 8.13.

Alterum

Alterum animaduersione est præcipuum in Simeone obedientiam humilem, siue humilitatem obedientem enituisse: Subiecit n. sese in omnibus diuinæ voluntati, licet fortè contrarium ei videretur. Secus autem gessit se Saul primus Rex Iudæorum: huic enim cum iussisset per Samuelem Deus, vt deleret penitus Amalech, præcepissetque illi dicens: *Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem* &c: durum visum est ei hoc Dei mãdatum, ideò *pepercit Saul Agag* (Regi Amalechitarum) *& optimis gregibus ouium & armentorum & vniuersis, quæ pulchra erant.* Quo nomine cum reprehenderetur à Samuele, quòd videlicet non implesset voluntatem & præceptum Domini, *ait Saul ad Samuelem: Imò audiui vocem Domini.* Hæc est enim natura taliũ, putare se esse obedientes, quando iuxta voluntatem, & iudicium suum proprium implent, quæ præcepit Deus: at quam id & peruersè, & cum suo detrimento faciant, pœna statim inflicta Sauli, abundè demonstrat: dictum est. n. illi: *Pro eo ergò, quòd abiecisti sermones domini* (quos tñ. se implesse gloriabatur) *abiecit te Dominus.* Summa afflictio, & qua nulla maior excogitari potest (hanc enim omnes pœnæ sequuntur) quando aliquem abiicit Dominus, quod fieri propter inobedientiam audis. Contrarium autem euenit

Humilis.

E contra Saul.

1 Reg: 15. ℣

Ibid: ℣ 20

Natura inobedientium

uenit Simeoni: non solum. n. non abiecit eum Dominus, sed etiam verbum diuinum Deus caro factus ipse ad illum in templum venit, palpandum se ei præbuit, prophetam eum fecit, & ingenti lætitia animi illum affecit, impleuitque; tanquam obedientem, tanquam humilem, tanquam submittentem iudicium suum voluntati ac iudicio diuino. Itaque rectè SIMEONI & rota iustitiæ, & equus obedientiæ assignatus est, quorum vtrumque in illo & candidum, & igneum fuit: Candidum propter sinceritatem, quæ tam in iustitia, quam in obedientia multum cõsueuit relucere: ignitum verò erat vtrumque propter charitatem, qua ita feruebat Simeõ, vt verba ipsius ignem planè diuinum spirare videantur. Sed iam ad aliam personam transeamus.

2. Ioseph prudens & admirans.

IOSEPH secundum locum occupet, vir alter ex iis, qui in Euangelio nominantur. De quo pauca habemus, nec plura, quàm aliquot verba in principio; & nominis deductionem. IOSEPH enim augmentum Domini significat: Cui duas itidem virtutes ex prædictis assignabimus: rotam quidem PRVDENTIÆ. Equum verò admirationis, siue CONTEMPLATIONIS sanctę. Quàm prudens enim hîc Ioseph fuisse credendus est; cui Deus pater & sponsam suam purissimam virginem Mariam ad custodiendum, & vnigenitum filium suum, in quo multùm sibi cõplacuerat,

placuerat, ad enutriendum tradidit? Prudentiſſimus ſanè ad quem Deus nuntiū mittit; quem Angelus inſtruit ſemel, iterum & tertio; qui infantem Ieſum prudenter, & in Ægyptum ducit, & inde reducit: qui dignus habitus eſt, vt ipſa ſapientia ſibi præcipienti obediret. Scriptum eſt enim de Chriſto: *Et erat ſubditus illis:* huic videlicet IOSEPH, & MARIÆ virgini matri. Virtutem verò contemplationis habuiſſe Ioſephum exprimitur in Euangelio hodierno, cum dicitur: ET ERAT PATER EIVS ET MATER MIRANTES. Per patrem enim Chriſti Ioſeph intelligitur; qui pater putatiuus fuit IESV, verus autem nutritius: ac proinde conſcius omnium, quæ circa Chriſtum agebantur in eius infantia, & quæ ab Angelis, à Magis, à paſtoribus, à Simeone, ab Anna, & aliis dicebantur, quæue fiebant, ſtupenda ſané, quæ hîc Ioſeph conſiderabat & contemplabatur. Iccirco benè Ioſeph, id eſt, domini augmentum dictus fuit. Nam & ipſe cum aliarum; tum verò iſtarum virtutum copioſum augmentum à domino in ſeipſo accepit: & aliis augmentum diuinæ gratiæ attulit, quando Ieſum & in Ægyptum Gentibus tulit, & Iudęis in terram promiſſionis iterùm retulit. Quid verò vtilitatis iſte actus contemplationis Ioſephi nobis præſtiterit, inferius dicemus: nunc ſatis ſit & candorem & ardorem harum virtutum in Ioſepho notaſſe. Candidus. n. *Luc. 2.51.*

I fuit

fuit tum in prudentia candidè omnia operādo, tum in contemplatione purè, & sincere gloriam Dei quærendo. Ardens verò & ignitus erat in vtroque: nam non solum prudenter, sed & feruenter magnis laboribus toleratis tulit, ac retulit Iesum ex Ægipto, & in admiratione seu meditatione diuino igne eum arsisse dubitandum non est.

3. MARIA fons omniũ virtutum.

MARIA MATER IESV sequitur, prima & eius quæ in Euangelio nominatur, & omnium quæ ab orbe cōdito fuêre, futuræue sint fœminarum, fons & mare omnium virtutum: Quidni. n. fontem virtutum dixerimus Mariam, ex cuius vtero egressus est, à quò omnes fluunt virtutes, quæcunque verè virtutis nostrę censentur? *de plenitudine enim eius nos omnes accepimus: & gratiam pro gratia* clamat ille, qui bonam partem gratiæ donorum, & virtutum ex hoc fonte hauserat. Mare verò est virtutũ Maria; tum in se; quia innumeris pollet virtutibus, sicut mare innumeris constat guttis: tum ratione aliorum: quia infinitis aliis pro sua in eos charitate impetrat virtutes: Vtinam & nobis omnibus eas obtineat, quod ab illa tanquam à matre misericordiæ humiliter & omni cum animi demissione exposcamus.

Ioa: 1. 16.

Fortis & patiens.

Quamuis autem vt dictum est in omnibus præemineat virtutum generibus: MARIA duas tamen ex recensitis, illi peculiariter applicabimus: illas nimirum, quæ nobis in Euan-

in Euangelio iusinuantur: quarum prior sit FORTITVDO, in rota tertia currus triumphalis designata; posterior verò longanimis, & humilis PATIENTIA, inter quadrigas computata: quarum vtraque quantoperè in ea eluxerit, quis non verbis solum explicabit, sed vel mente ipsa aut cogitatione assequatur? Benè MARIA, siue exaltata, siue mare amaritudinis interpraetatur: Verè. n. quemadmodum in ceteris omnibus ita in his etiam virtutibus excelsa & exaltata fuit nimis; Verè mare amaritudinis dicitur cùm aliâs, tum in actu isto, quem hodie praedicit illi Simeon, dicens: ET TVAM IPSIVS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIVS. Tantus enim dolor, tanta amaritudo animũ eius, quando vidit filium suum, eundemq; filium Dei, pendentem in cruce, occupauit: vt nisi singulare Dei succurrisset auxilium, mari illo amaritudinis absorpta, & tanquam gladio traiecta exanimis concidisset; Ideò meritò canticum illud lamentabile occinere tunc potuit. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Quare fuit & fortis, fuit & patiens virgò Beatissima, fuit & longanimis in patientia; quia vsque in finem, praesens morienti filio aderat: fuit denique humilis, quia in omnibus humillimè se gessit. Verùm de virtute humilitatis, quam illa peculiariter adamauerat, copiosius disserendi aliud tempus *Tre: 1. 12.*

& occaſio expectanda erit. Cæterum quantò cum candore, & charitatis feruore hæc, vt alia omnia, exequebatur, me tacente omnia loquuntur.

4. Anna cõtinens & mortificata. Anna vidua virginis pediſſequa implet præconceptum numerum, quæ ex nomine ſuo gratioſa, vel miſericors nuncupatur; Cui poſtrema & rota, & equus aſſignantur. Rota Temperantiæ vna ex Cardinalibus virtutibus; Equus verò Mortificationis deuotæ, & aſſiduę; haud poſtrema Chriſtianarum virtutum, imò ſi ordinem earum vt in nobis creſcunt, conſideres, hanc primã dixeris: nam procedere volenti in via, vitaq; ſpirituali, ab hac inchoandum eſſe ſancti cenſuerunt patres. Qualis autem tum temperantia, tum mortificatio vitæque aſperitas fuerit in hac. B. Anna, Euangelium hodiernũ clarè nimis loquitur: quanta verò cum animi deuotione, & aſſiduitate in illis ſeſe exercuerit, ſatis indicant illa D. Lucæ verba: Quæ Non Discedebat De Templo Ieiuniis Et Obsecrationibus Seruiens Nocte, Ac Die. Itaque adeò aſſidua in his erat, vt ea continuaret: adeò piæ deuotioni dedita, vt omnes totius diei horas in templo conſumeret. Rectè autem gratioſa, & miſericors vocatur: nam & Deo hæc grata ſunt, & Anna ipſa gratiſſima illi fuit; & hominibus vix quicquam gratioſius, & admirabilius videtur, quàm homo deuotus, &

morti-

mortificatus: talem facilè omnes ſuſpiciunt, talem admirantur. Miſericors verò fuit, tum erga ſeipſam; quia expleuit illud, quod dicit ſapiens: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*: tum erga proximum, quem impigrè docuit omnia quæ ipſa à Spiritu ſancto didicerat; quæ egregia ſanè erant; & eiuſmodi quæ ſolum ad depellendas omnes miſerias ſufficiebant. Nam ait Euangeliſta, quòd hæc ANNA LOQVEBATVR DE ILLO, de Chriſto videlicet ſaluatore, Ieſus autem venerat ad auferendas omnes miſerias, quæ veræ miſeriæ ſunt: de hoc igitur iam præſente loquebatur, illum digito OMNIBVS QVI EXPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL: monſtrabat. Magna proinde hæc Anna fuit, magna profectò cùm in aliis: tum in iſtis virtutibus. Nec defuerunt illi candor, & feruor: Candida enim fuit omnimoda caſtitate, præcipuè autem viduali, quam ſexaginta circiter annis ſanctè ſeruauit. Feruens verò erat feruenter Deum noctu atque interdiu exorando, feruenter ſeipſam mortificando, feruenter proximum tota virtute ſua adiuuando.

Eccl: 30. 24.

Hæc de hiſce quatuor ſecundum inſtituti noſtri rationem dicta ſunto, paulò poſt plura: nunc verò tria hæc aduertemus. Primùm, virtutes iſtas, quas Chriſtianas appellauimus eo modo, quo illas hîc primò & principaliter ſumimus, tãtæ eſſe excellentię, (prout

Tria hîc notanda.

1. Excellētia virtutum Christianarum.

diximus) vt à Philoſophis omnes minimè agnitæ: quædã verò reiectæ etiã fuerint. Intelligimus.n. illas hîc præcipuè, quę vti perſonis ſpiritualibus, inprimis verò religioſis cõueniunt (pro talibus enim maximè valent conciones, quæ ſub titulo charitatis continentur) qui non ſolum eas modo quodam peculiari obſeruant, verùmetiam voto ſeſe obſtringunt ad meliorem earundem obſeruationem; quod apud Ethnicos ſtultitiæ loco cenſeretur; cùm etiam nunc non deſint huius opinionis (vel impietatis potius) homines, quos tñ non pudet Chriſtianos ſeſe vocare; licet Chriſto, & Chriſtianis virtutibus ſint planè contrarii.

2. Perfectio illarum.

Præ Cardinal.

Deinde conſiderandum eſt, (vt inſinuauimus) has quatuor virtutes adeò eſſe præclaras, vt illæ Cardinales, quibus nihil excellentius antiquitas nouerat, iſtis ſint fundamenti loco. Vbi enim illæ deſinunt, ibi iſtæ inchoantur. Exemplis id vt res clarior fiat, demonſtremus. Munus iuſtitiæ eſt, reddere vnicuique quod ſuum eſt; munus verò inſuper humilis obedientiæ eſt, ſeipſum propter Chriſtum alteri tradere, & tum voluntatem, tum intellectum ſuum abnegare: quo fit, vt amor proprius, qui eſt radix omnium vitiorum & inimicus omnium virturum, maximè verò iuſtitiæ, funditùs euertatur. Similiter prudentiæ eſt futura præuidere, ac iis præuiſis, quæ in hoc mundo ad benè viuendum

dum necaſſaria ſunt, ſagaciter prouidere: at ADMIRATIO ſeu CONTEMPLATIO ſancta non ſolum hæc terrena, ſed & cæleſtia; nō caduca tm̄, ſed æterna ſpeculatur, in illis ſummam reponit voluptatem, atque ea, quæ perpetuo ſunt duratura, prouidet diligenter. Idem cenſendum eſt de fortitudine & temperantia, quas Chriſtianæ virtutes, nempe patientia cum humilitate, & longanimitate coniuncta, itemque mortificatio, mirum in modum perficiunt, & longè clariores reddunt: ac proinde currum charitatis tanquam equi generoſiſſimi volare quaſi faciunt: nam fortitudinis quidem eſt fortiter malis reſiſtere: at perfectæ patientiæ Chriſtianæ, eſt etiam pro Chriſto deſiderare tormenta pati, ac vltrò ſeſe illis obiicere, prout multi ſanctorum fecerunt. Temperantiam verò mortificationis eſſe fundamentum, non tantum ratio, ſed & ipſi ſenſus oſtendunt: Temperantię etenim eſt, rebus ad vitam neceſſariis moderatè vti: mortificatio autem multò paucioribus contenta, etiam à neceſſariis ſæpè abſtinet. Poſtremò notandum eſt, vt hæ virtutes tales ſint, quales ad perfectum charitatis triumphum requiruntur, conſtantes illas in finem vſque eſſe oportere. Propterea Simeon morti propinquus eſſe dicitur. Anna ad octogeſimum quartum annum hoc exercitium protraxiſſe perhibetur. De parentibus verò Chriſti, qui id dubitaret, impiiſſi-

3. Conſtātia neceſſ.

mus meritò iudicaretur. Verum de his quatuor perſonis iſta nunc ſufficiant.

IESVS ſaluator charitas ipſa. IESVS ex perſonis omnibus, quæ in Euangelio recenſentur, ſolus ſupereſt. Nihilne de eo? Nihil omninò hoc tempore aliud, præter illud vnicum huic loco accommodatiſſimum; quòd ipſe ſit, qui in hoc curru triumphator reſideat. Nunquid Ieſus non eſt Deus? Eſt dubio procul, & qui aliter do-
1. Cor: 16. 22. cet, ſit *Anathema, Maranatha.* At teſte dilecto diſcipulo *Deus charitas eſt.* IESVS igitur
1. Ioa: 4. 9. charitas. Eſt autem IESVS charitas multis
1 modis: primò in ſe, vt Deus eſt, perfectiſſimè & abſolute, & modo incompræhenſibili. Non. ñ. aliud Deus, aliud charitas; ſed idem
2 Deus charitas, & charitas Deus. Secundò vt homo, alia quidẽ ratione, ſed nobis pene æ-
3 què ac prior fuit incognita. Tertio vt homo Deus, eſt auctor, conſeruàtor conſummator, omnis charitatis. Ipſe enim omnem charitatem nobis paſſione ſua commeruit, ipſe eam creat in nobis, ipſe cõſeruat, ipſe conſummatam
4 tam reddit. Quarto dicitur charitas, quia
Mat: 1. 21. per charitatem nos ſaluat: Ieſum enim ſaluatorem ſonare noſtis ex ipſius Angeli interpretatione, & ſaluatorem *à peccatis*, quod nullus aliquando ſaluator potuit, vel pote-
5 rit vnquam. Denique IESVS Deus eſt charitas, quatenus per charitatem manet in no-
1. Io: 4. 16 bis, & nos in illo. Sic. ñ. D. Ioan: *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et de hac

hac charitate *diffusa in cordibus nostris* hucusq; locuti sumus principaliter, eiusque triumphum expediuimus, & de eadem vsque ad finem concionis agemus. *Ro:5.5.*

Quærimus proinde quonam modo nos quoque huius eximii triumphi participes esse possimus. Ad quod breuiter, & vno quasi verbo respondeo: SI IMITABIMVR, TRIVMPHABIMVS. Sint in nobis cum recta fide, (quam omnes & soli veri Catholici habent) & spe congrua, hæ, quas recensuimus & quæ in istis quatuor personis notatæ sunt virtutes, & erit, triumphabitque charitas in nobis: Et quantò illæ erunt excellentiores, tanto magis magisque triumphum aget charitas. Quare de virtutibus istis agemus iam vt nobis seruiunt, & agemus de illis paucis quidē, vt sunt omnibus ad salutē necessariæ; paulò verò vberius, quatenùs sunt iis, qui in vita spirituali progrediuntur, vel progredi debent, familiares. Itaque SIMEONIS obedientia ita omnibus est necessaria, vt quæcunque à Deo siue per se, siue per superiores ab illo datos & relictos nobis cū obligatione præcipiūtur, ea & credamus firmiter, *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, vt nos monet Apostolus; & exequamur fideliter. Hæc virtus tanta est, vt quotquot sunt fueruntue hæretici, omnes à minimo ad maximum eius defectu interierint, & nunc pereant. IOSEPHI verò admi-

III. PARS Triumphus iste quomodo acquirendus.

Quatuor istæ virtutes quomodo ad salutem necessariæ.

2. Cor:10.5

ratio eatenus ad salutem requiritur, quatenùs sunt nobis scitu necessaria & ea, quæ credere, & illa quæ exequi tenemur. MARIÆ autem MATRIS IESV patientia tanta in omnibus esse debet, quanta requiritur ad explendum illud quod saluator præcepit dicens. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, tanta, vt & dum aliquid aduersi accidit, nil siue contra Deum, siue contra proximum faciamus, loquamur, murmuremus; & in animo nostro parati simus quæuis tormenta, imò & mortẽ ipsam potiùs perferre, quàm Deum offendere. ANNÆ denique mortificatio ea sit in singulis necesse est, quam tum obedientia, tum necessitas exigunt: Obedientia quidem, vt omnia ieiunia & alia quæ hac in parte nobis à Deo per Ecclesiam alioue modo præcipiuntur, exequamur: necessitas verò, vt cum aliter tentationes vinci non possunt mortificationẽ siue corporis, siue animi omninò adhibeamus. Ad isthæc itaque qui Christiano censentur nomine, obligatos se esse norint omnes. Quæ verò ad ea præstanda à nobis adhibenda sint media, docebunt nos hæ, quas imitandas proposuimus personæ, & actiones earum, reliqua verò aliâs copiosiùs pertractanda erunt.

Mat: 16. 24

At verò illis, qui viam, vitamque spiritualem sibi elegerunt, dicta sufficere non debent, procedere enim oportet vlteriùs præsertim iis,

Quomodo à tendentibus ad perfectum procurandæ.

iis, quî ita eas adamarunt, vt ad harum virtutum obseruationem voto Deo nuncupato, obligare sese voluerint: tales sunt religiosi, tales ex parte sacerdotes, tales, & multi alii, qui castitatem, vel etiam virginitatem, qui paupertatem (hæc n. duo ad mortificationem pertinent) qui obedientiam Deo promiserunt, qui statum contemplationis sibi elegerunt. Quibus omnibus quatuor istę personæ eximium exemplum præbuerunt, ideò singulas iterum resumamus.

SIMEON OBEDIENS talem obedientię actum exercuit, quo, vt ego quidem autumo, maior esse non possit: priuari enim voluit Christo propter Christum, Deo propter Deum. Nam quid quæso sibi volunt verba illa ipsius immediatè ante Euangelium hodiernum prolata? *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Cur.n. obsecro homo iste sapientissimus, vitam in manibus tenens, mortem desiderat? Messiam gestans, limbum meditatur? Neque.n. illud satisfacere videtur, quòd (vt Paulus) *Desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo.* Contraria siquidem est hîc penitùs ratio: Si enim superuixisset, cùm Christo in mundo conuersatus fuisset: at mortuus dum in sinum fertur Abrahæ, Christo se, quem in sinu suo gestabat priuauit. Cur ergò id desiderat? Aliam causam nescio an quis excogitarit, præter sanctam virtutem obedientiæ. Sciuerat etenim edoctus

I. Obediẽtia Simeonis.

Luc: 2.29

Actus obedientiæ perfectissimus.

Phil: 1.23.

edoctus à Spiritu sancto Simeon, hanc esse diuinam voluntatem, vt viso Christo Messia, statim moreretur: iccirco quamuis libentissimè cum IESV in hoc mundo mansisset, tamen quia nouerat Deum aliud velle, tanquã verè & perfectè obediens, non solùm desiderat, sed etiam orat, vt diuina voluntas quam primùm in eo impleatur. O virum admirabilem, ô exemplum obedientiæ & perfectũ, & rarum & nescio an præter hoc aliud sit adeò clarum in scriptura.

Quomodo imitandus.

Quid ergò nos facere conuenit dilectissimi? nos inquam, qui propter Christum voto nos constrinximus obedientiæ, nempè submittere nos superiori, quotiescunque superior contraria non præcipit Christo? Nam si tale quid ille (quod absit) præciperet non daret mandatum, quia ad hoc potestatem desuper non accepit, sed proferret blasphemiam, quia seipsum Deo præferret: si verò subditus exequeretur non esset virtus obedientiæ, sed velamen impietatis & nequitiæ. Cæterùm hoc casu excepto, quibus rebus nos non priuabimus propter Iesum, quando vir iste sanctissimus priuari voluit Iesu propter Iesum? Facessat igitur omnis voluntas, imò & iudicium proprium, facessat quæuis commoditas, cibi, potus, somni, quietis, facessat & ipsum quod ingens esse consueuit, desiderium tum honoris, tum sanitatis, quin hæc omnia, imò & vitam ipsam libenter re-

NOTA.

Præsertim à spiritualib⁹.

linqua-

linquamus propter Chriſtum, contrarium aliquid hiſce omnibus nobis per ſuperiorem ſiue præcipientem, ſiue vetantem. Quinimò Simeonem imitando priuari nos quoque ad tempus Chriſto, & conſolationibus eius propter Chriſtum non inique feramus. Fecerunt hoc pii non pauci, neque gratis fecerunt, virgo quædam Chriſtum infantem in viſione & oratione ante ſe poſitum conſpiciens, vocata à ſua ſuperiore, Chriſto relicto exiliuit, & qùod iubebatur perfecit, cumq; rediiſſet, infantem multùm creuiſſe reperit, quem cum interrogaſſet, quî tam celerrimè creuerit? reſpõdit ſe in cordibus ſuorũ per obedientiam creſcere, ad quam etiam continuandam, virginem hortatur Chriſtus: Idem igitur nos quoque faciamus: iubente obedientia ipſam etiam orationem, & contẽplationem propter actionem deſeramus, & vtriuſque fructũ vberem recipiemus. Quod ſi iugum obedientiæ durum nobis eſſe videtur; molleſcet tum exemplo huius ſenis, tum recordatione, quomodo placidum olim, nobis fuit. Nam nos ipſi, non aliud quicquam, duram nobis facimus obedientiam. Si. ñ. illud quod Simeon habuit deſiderium videndi Chriſtum, & eius voluntatem explendi, in nobis erit, obediemus non ſolum ſponte, ſed etiam alacriter.

Vide Bloſium pro Taulero. Exemplum

Fructus.

Remedium

IOSEPH AVGMENTVM tribuet nobis meriti, gratiæ, & charitatis, ſi MIRANTES cum ipſo

2. Contpla tio Ioſeph.

cum ipſo erimus. Cuius quidem virtutis ſacræ, videlicet contemplationis, ſi non dedit nobis S. Ioſeph exemplum perfectiſſimum, dedit profectò tale in Euangelio hodierno, quale ad totum curſum vitæ piè & ſalubriter moderandum omnibus omninò hominibus abundè ſufficiat. Nam ſi (præter dicta integra quaſi concione) erimus cum IOSEPHO MIRANTES SVPER HIS QVÆ DICEBANTVR DE CHRISTO; ſtatum vitæ noſtræ ritè eligemus; in quo plurimum ſitum eſt & negotii, & neceſſitatis, electum dirigemus, directum continuabimus, continuatum ad deſideratum finem perducemus. Quantus in paucis verbis theſaurus? Quemcunque etenim vitæ ſtatum Chriſtus dicitur approbaſſe, ſecurè amplectere, multò autem magis quem ipſe complexus eſt, nempè virginitatis ſeu caſtitatis, voluntariæ paupertatis, continuæ mortificationis, gratuitæ prædicationis; & alios generis eiuſdem. In aliis verò ſequere ſponſæ ipſius Eccleſiæ ſanctæ determinationem: hæc enim eſt fidiſſima voluntatis eius interpres (ſed de electione ſtatus plura aliâs) Similiter in moderamine vitæ tuæ, imò ſingularum, quæ occurrunt; ſiue faciendæ ſiue fugiendæ actiones, quere in corde tuo, ſintne hęc dicta de Chriſto? Et ſi dicta reperies ſequere & exequere: ſin minus, fuge.

Fructus contēplationis

Dominica ſequēti concione 4.

Demus aliquot ex infinitis exempla, vt

omnes

omnes percipiant: Vocaberis hoc bachanaliorum tempore ad honestas nuptias, ire poteris; quia id IESVM fecisse audies sequenti die dominico: verum incitabit te quispiam in iisdẽ nuptiis ad ebrietatem ad detractionẽ ad turpiloquiũ, ad saltus, & iocos minùs honestos, ne acquiescas Hæc. ñ. nõ sunt dicta de Christo, quinimò dictũ est prohibuisse talia Christũ. Pari ratione offert sese occasio plorãdi, eleemosynã largiendi, alia opera misericordiæ exercendi, iustitiã administrandi, orãdi, imò victum etiam ac vestitum honestum & moderatum sibi, maioribus, subditis procurandi; hæc, & his similia facienda sunt; quia ea approbasse, alia quoque fecisse, in quibusdam etiam beatitudinem collocasse legimus Christum. *Erat* ñ. *subditus* parentibus & cum illis fabrilem exercuit artem; ideò *faber* vocatur: incedebat etiam honestè vestitus, Apostolis quoque de necessariis prouidebat, ita vt eos interrogaret. Nunquid aliquid defuit vobis? illis respõdentibus, nihil. Fecit tñ id ita moderatè, vt nonnunquam ad famem propellendam spicas, vellere, iisque confricatis crudum frumentum manducare cogerentur, hæc ergò sunt facienda. At verò vrgeris siue ab aliis, siue à propria concupiscentia quotidie epulari, ridere, consolationes habere, luxui & luxuriæ operã dare, quoquo modò siue iustè siue iniustè opes acquirere, & acquisitis vti peruersè, vel detinẽdo pera-

Exempla quotidiana.

Luc: 2. 51.

Mar: 6. 3.

Luc: 22. 35

Matt: 12. 1

per auaritiam, vel dilapidando per prodigalitatem: moueris quoque ad orandum, ad tribuendas eleemosynas, ad facienda alia bona opera non sincere, sed propter vanam gloriam, vt *videaris ab hominibus*: desine, ne acquiescas, fuge: quia hæc omnia non solùm
Mat: 6.18
non fecisse; sed etiam toties væ, væ talibus minatum esse legimus Christũ IESVM. Quod si hæc vniuersa omnibus esse necessaria, nemo non videt: quid facere debent, qui in sortem domini vocati sunt? qui perfectionẽ ipsam, vel eam quæ ad perfectionem tendit viam, complexi sunt? Certè cùm alii, tum verò tales ad regulam istã MIRANDI QVÆ DICTA SVNT DE CHRISTO omnes actiones suas excutere & moderari deberent diligenter. Id. n. si faciemus omnia inde bona prouenient nobis, fugiemus omne peccatũ, quia dictum est de Christo, illum omni caruisse peccato: amplectemur omnem virtutẽ; quia ipse absolutissimus in omni virtute fuit: discemus quomodo vti rebus prosperis, & necessariis debeamus, quia ipse moderatissimè illis est vsus: aduersa quoque patienter tolerabimus: quia ipse maxima tormenta pro salute nostra patientissimè sustinuit. Nullũ denique opus nostrum erit, quod hæc sancta admiratio sanctum non reddat & perficiat.

Quomodo imitandus à spiritual:

1 Pet: 2.22

5. Patientia B.V.MARIÆ.

MARIA EXALTATA vel AMARITVDINIS MARE sequitur. Verè in vtroque perfectissima. Nã sicut exaltata est summoperè

perè, propter ſummam, quæ in illa fuit humilitatem ac patientiam; ita amaritudinis mare fuit propter ſummũ dolorem, quem ſuſtinuit, quando iſtud impletum eſt, quod hîo prædicit Simeon, nempè quando IESV in cruce pendente ipſius animam pertranſiuit gladius. Dedit igitur nobis in hoc facto exemplum excellentiſſimum patientiæ. Tantus n. patiētiæ hic actus fuit, vt maior (Christo excepto) in rerum natura non exſtiterit vnquam. Notum eſt enim omnibus quod dolor ſequitur amorem, patientia verò dolorem: quantò amor eſt tenerior, tantò dolor ex contrario eſt validior. Sed neque de hoc quiſquam Catholicorũ dubitauerit; nullam vnquam creaturam tam intensè amaſſe Iesum, quàm illum amauit mater Ieſu. Summus igitur in illa fuit dolor, ſummaque amaritudo, quando vidit cum ſummis doloribus pendentem in cruce Ieſum, filium Dei, & filium ſuum. Vnde neceſſariò conſequitur actum illum patientiæ, qua tantum dolorem virgo ſuſtinuit, fuiſſe actum ſupremum huius virtutis: nam ſummus amor cauſauit in ea ſummum dolorem; ſummus autem dolor, nõniſi ſumma patientia potuit ſuperari. Quare quando hæc Simeonis prophetia, quam audis in Euangelio expleta fuit, exercuit virgo ſupremum actum patientiæ, qui ex præſentia, & aliis circumſtantiis magis magiſque creſcebat. O actum excellentiſſimum: Si. n.

Actus huius virtutis excellentiſs:

verum eſt, prout verum eſſe debet, quòd
Iac:1.4. Spiritus ſanctus prolocutus eſt, quòd *patientia opus perſectum habeat*; quantæ perfectionis fuit opus Mariæ, quod in patientia exſtitit perfectiſſimum?

Quomodo imitandus. Quid ergò nos facere conuenit dilectiſſimi? Adhucne conqueremur de doloribus, angoribus, tribulationibus noſtris? nunquid non libenter ea tolerabimus, cùm matrem Dei tanta paſſam animaduertimus? Ita ſanè oportet: & hoc debet eſſe perpetuum exercitium noſtrum. Si. n. per preces virginis matris EXALTARI à Domino volumus. MAREAMARITVDINIS eſſe debemus. Vtrumque. n. nomen eidem MARIÆ conuenit; nec illius, quod eſt iucundum, participes eſſe poſſumus, niſi prius quod eſt aſperum pati-
Heb:10.36 enter toleremus. *Patientia. n. vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei ſacientes, reportetis promiſ-*
Præſertim à ſpiritualib⁹ *ſionem* ait Apoſtolus. Quod ſi omnibus hæc virtus eſt neceſſaria; quantò magis perſonis ſpiritualibus? quæ plus etiam pati debent? Non arbitrentur ſeculares deeſſe ſpiritualibus viris fæminiſque occaſionem patiendi. Errant qui ita ſentiunt: ſcit Dominus Deus, etiam in clauſtro, etiam in ſpecu abſcondito dare materiam patiendi; quæ tantò maior eſt, quantò quis Chriſto IESV magis magiſque coniunctus eſt. Exemplis opus non eſt in re euidenti. Sufficiat nobis virginis, eiusdemque ſponſæ matriſque Dei viua imago.

ANNA

ANNA GRATIOSA ET MISERICORS agmen claudit. Quæ MORTIFICATIONE sua, & nominis sui interpretationi respondet, vt superius ostendimus; & omnem nos mortificationem docet, & actum eius excellentem nobis ob oculos ponit. Quantum sit omnibus necessaria mortificatio iam dictum est, vnum addo, quod non tam rem ipsam, quàm tempus concernit. Adsunt Bacchanalia, quo tempore virtus ista vel maximè est necessaria, quando maximè carni, linguæ, sensibus omnibus, ac passionibus habenæ laxantur. Pulchrum equidem & graue quibusdam mortificationis exercitium est, quod fit in quadragesima: at nescio an non pulchrius & difficilius sit, quod à piis exercetur in Bacchanalibus, Paradoxum id forte aliquibus videbitur, sed qui seriò (ex secularibus præsertim) mortificationi operam dare voluerit, approbabunt rem ita se habere. Nam quamuis dispar sit mortificationis ratio, cùm ibi ieiuniis, hîc conuiuiis detur opera: tñ æquè, & quibusdã etiam magis est difficile in epulis, & aliis carnis irritamẽtis cũ familiaribus mẽsurã nõ excedere, quàm cũ ieiunantibus ieiunare. Mortificationem itaque huiusmodi procurẽt omnes: spirituales verò addant etiam aliquid ampliùs tum legibus firmatum; tum vltrò assumptum, cùm corporis, tum animi mortificationem procurando. Vtrumque autem docet nos hæc sancta Anna. Mortificatio etenim

4. Mortificatione Annæ.

Quam hoc tempore sit necessaria.

Paradoxum

Quomodo procuranda. Præsertim à spirit.

 enim

Quid sit mortific: enim (secundùm viros spirituales) est contemptus mundanorum, viuificatio verò desideriorum æternorum. Vnde colligimus. Actum Mortificationis hunc esse præcipuũ:
Quis actus eius excellentissimus ita carnem cum concupiscentiis suis mortificare, vt Spiritus liber ad dominum euolet suum; quem habuisse ANNAM nemo dubitauerit, qui diligenter scr.. .a in Euangelio hodierno legerit. Corpus cum concupiscentiis, & prauis affectionibus illam habuisse edomitum, suadent tot & tanta exercitia, ieiuniorum, vigiliarum & his similium; mentem verò gessisse, plenam desideriorum æternorum, testantur tum orationes continuæ; tum verò quod PROPHETISSA fuisse dicitur. Nemo. ñ. sine talibus desideriis, talẽ qualis ipsa fuit prophetam aget unquam. Itaq; imitari eã debemus tantò feruẽtius, quãtò ad id præstandum maiores nunc dantur gratiæ post passionem Christi Domini, quàm olim; tantò diligentius, quantò magis ad id obstricti sumus promissis & votis nostris castitatis, paupertatis, & aliis; quibus Annam caruisse probabile facit legis veteris status, & natura: Denique quia in schola mortificationis sumus. Quid. ñ. est aliud vita religiosa, quàm mortificationis schola? Faciamus igitur officio nostro satis; & addamus condimẽta & emblemmata gratiæ, tum libenter & alacriter operando, quod operamur: tum misericorditer proximum iuuando. Sic. ñ. & id quod

quod re ipsa præstitit, & quod ipso nomine Anna, significauit, exequemur.

Hæc sunt quæ circa triumphum charitatis largiente domino hodie dicenda occurrebāt, quæ si nos quoque habuerimus, non solum huius temporanei, sed etiā illius æterni charitatis triumphi participes efficiemur, si inquam intellectum nostrum firmissimis Catholicæ fidei articulis roborabimus. Si memoriam spe viua, & sancta ad suprema erigemus; si quod voluntariè & spontaneè suscepimus, alacriter persoluemus: si has personas sanctas imitando, virtutes in rotis, & quadriga præsignatas habuerimus, easque pio timore propellemus Si cum Simeone in iustitia & obedientia, cum Iosepho in prudentia, & rerum diuinarum contemplatione; cùm Maria virgine matre in fortitudine, patientia, & humilitate: cum Anna in temperantia, & mortificatione corporis, & animæ nos sedulò exercuerimus, & eò diligentius ad illos actus perfectissimos properabimus, quò quidam nostrum ad id præstandum Deo se deuouerunt. Si denique in his omnibus, & cum candore castitatis, sinceritatis, bonæque intentionis, & cum feruore diuini amoris progressum fecerimus non retrocedendo, sed cum illis sanctis animalibus procedendo, ac in finem vsque perseuerando. Si, inquam hæc præstiterimus, emolumenta plurima inde referemus: quorum illud magnum est in

CONCLVSIO summā dictorum continens.

hiſce quatuor perſonis mirabiliter notatum. Hæ. n̄. ſunt, de quibus ex ſcriptura nobis cõſtare videtur, eas omnes Chriſtum IESVM infantem manibus ſuis geſtaſſe. Vnde de vna ex illis canit Eccleſia [ſenex puerum portabat, puer autem ſenem regebat] Idem omninò agetur nobiſcum. Feremus nos Chriſtum tot virtutibus ornati, & portabimur à Chriſto, ne deficiamus: quòd ſi in vlnis cordis noſtri Chriſtum geſtauerimus, quid cum illo non habebimus? Habebimus equidem omnia quæ piè & honeſtè deſiderari poſſunt: & inprimis hæc, de qua hucuſque diſſeruimus charitas aget triumphũ in nobis. Nam & ipſa portat & portatur, fertur & regit. Quẽadmodum. n̄. ii, qui triumphant in terra, terreno modo & feruntur, ducunturq́;, ac conſpicui redduntur à curru triũphali equisq́;: ipſi tñ hæc omnia magis decorant & ornant: ita in hoc ſpirituali triumpho vſu venit. Regina. n̄. ac triumphatrix noſtra charitas & fertur, decoraturque ab his virtutibus, & ipſa multò magis eas ornat, virtutes Chriſtianas facit, regitque, ac gubernat illas. Sicut hodie puer IESVS. Senem Simeonem regebat: quinimò non ſolum eum regebat, ſed etiam benedicebat, à quo tñ vnam cum parentibus benedicebatur. Ecce aliud myſterium quo finio, creditur Simeon fuiſſe ſacerdos: Certò ſcitur Chriſtum IESVM *ſacerdotẽ eſſe in æternum ſecundùm ordinem Melchideſech.*

Vtilitates quas inde conſequçmur

Chriſti geſtatio.

In die puri: B.M.V.

Charitatis triumphus.

Chriſti benedictio.

Pſ: 109.4.
Heb: 7.7.
Heb: 5.

Benedi-

Benedicebat proinde ille, benedicebat multò magis iste, qui maior fuit dignitate, licet minor esset ætate; maiorum autem est benedictio teste Apostolo. Benedicebat igitur sacerdos Iesus, quia maior, quia diuturnior, quia excellentior. Est. ñ. secundum ordinẽ Melchidesech, qui Aarone cui Simeon succedebat longè excellentior fuit, teste eodem Apostolo. Denique vt vno verbo omnia complectar, quia Deus. Rogemus igitur eum dilectissimi, vt nobis quoque dignetur benedicere, tum per se, tum per suos. Quare & ego instrumentum eius licet indignissimum benedico te popule Dei, hîc in Christi nomine congregate, & benedico te benedictione, quam ipse Deus suos olim docuit, lõgè tñ excellentiori modo, quam tum temporis. Itaque benedico tibi & precor, vt *Benedicat tibi Dominus* noster IESVS Christus sicut hodie benedixit Simeoni; *& custodiat te* ab omni malo, & ab omnibus tuis inimicis; vt possis in nomine eius triumphum agere ex illis, precor insuper, vt *ostendat Dominus faciem suam tibi*, sicut ostendit personis istis, quæ in Euangelio nominantur, ostendat inquam faciem suam tibi, faciem dulcem & suauem, *Et misereatur tui*, antiqua peccata dimittendo, & à futuris præcauendo. *Conuertat Dominus vultum suum ad te* ac illustret te gratia sua, & in ea conseruet. *Et det tibi pacem*, vt & hîc imperfectum, & illic perfectissimum triumphũ Nu. 6. 24.

agere valeas, raptus non iam ad cælum aéreum cum Elia; ſed ad cælum empireum; vbi Chriſtus IESVS viuit, & regnat cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus in ſæcula ſæculorum Amen.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Lucæ 2.

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cùm redirent remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum inuenerunt eum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei

tris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

PARTITIO.

Quicquid Christum Iesum in pueritia sua gessisse in scriptura legimus, id totum hodierno Euangelio continetur. Duodennis enim cùm esset, vadit Hierosolymam ad Pascha cum MARIA matre, & Iosepho patre putatiuo, ibique insciis illis, & redeuntibus remanet in templo: quæritur inter cognatos, nec inuentur; quæritur in templo, & reperitur inter Doctores stupentes prudentiam ipsius; respondet parentibus nonnihil quasi duriusculè, cùm quibus tamen redit Nazarethũ, & fit subditus eis, proficitque sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines. Hæc summa Euangelii, & pueritiæ IESV. Ex quibus occasionem timoris prębebunr nobis verba illa Christi. *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Fidem verò firmabunt cùm alia; tum verò nefaria hæreticorum, qui in hoc Euangelio scandalizantur, impudentia, & impietas. Spem eriget totum (quod per partes explicabitur) Euangelium. Charitatẽ denique omnem, docebit nos ipsa charitas Christus Iesus exemplo suo.

CONCIO PRIMA
Timor.

QVI BENE
QVI MALE
QVÆRIT
CHRI-
STVM.

 Quid est

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse.

QVamuis hoc, quod præ manibus habemus Euangelium, ſicut teneram Christi IESV deſcribit ætatem, ita vix quicquam in ſe continere animaduertatur, quod ſanctum in nobis excitet timorem: tamen ſi ea, quæ à puero Ieſu prolata ſunt, diligentiùs ponderemus, reperiemus, vt arbitror, aliquid à noſtro instituto non alienum; præſertim ſi addiderimus verba illa, à quibus Eccleſia mater noſtra hodiernæ diei ſacrum miſſæ officium orditur: mirabilia ſanè cum in ſe, tum verò quonam modo cætera illis reſpondeant. Cùm. n. notum ſit omnibus, ſolere Eccleſiam ita epiſtolam Euangelio; his verò reliqua accommodare, vt idem vniuerſa ſpirare videantur, quî fit, quòd ab hoc ſuo inſtituto hodie quodammodò deflexiſſe videatur? Itaque ne dicatur mihi, quod alteri dictum eſſe refert S. Bernardus (quis ſcit an non illi ipſi? phraſi enim vtitur haud abſimili ei, qua vſus eſt Apoſtolus) ſic inquiens: [Et ecce vox ad eum, donec iſtud tenebis, aliud non accipies] quod Deus ſuggeſſit fideliter vobiſcum communicare inſtitui. Itaque in hodierna concione.

Ber: in cāt: ho: 82.
2. Cor: 12. 2

PROPO. quadripartita.

Primùm quidem proponemus verba Eccleſiæ, & quonam modò Euangelio & repugnent,

gnent,& congruant,aperiemus. Deinde verba in themate posita explicabimus: tũ quænam ad terrorem faciant, ostendemus: tandẽ remedia, fructumque, qui inde hauriri possit indicabimus. Tu puer sanctissimè, qui infantium linguas facis disertas, da, vt ita hæc & consideremus, & eloquamur; vt ea, quæ patris tui sunt, & cognoscamus veraciter, & exequutioni mandemus fideliter ac diligẽter.

Mirabar equidem haud leuiter verba illa Ecclesiæ (neque enim ea in diuinis scripta lego literis) in ipso introitu, quem vocant Missæ posita; illa inquam; [In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum, psallentes in vnum; ecce cuius imperii nomen est in æternum] cæpique cogitare, quid hæc cum eò, quod legitur, Euãgelio, quo cum pugnare omninò videntur? Nam quid quæso habet excelsus thronus cum humili scabello, in quo inter doctores sedisse Christum Dominum potiùs credendum est bonis scriptoribus, quàm imperitis pictoribus; qui illum in excelsa sede collocant? Id enim & humilitati Christi, & grauitati scribarum ac pharisæorum, quibuscum saluator agebat, multum repugnat: illud verò & cõuenit vtrique, & scripturæ ipsi est conforme. Vt enim illud, quod Ioan: Baptista de eò ad pharisæos ait: *Medius autem vestrum stetit*; ita hoc, quod dicitur in Euangelio inuentum esse Iesum SEDENTEM IN MEDIO DOCTORVM,

I. MEMB: Inter introitum Missæ & Euangelium discrepantia.

Bedæ

1. Quomodo Christus sedit inter Doctores.

Io: 1. 26.

RVM, humilitatem potiùs, quàm magnificentiam denotat. Deinde quem Ecclesia virum vocat, hunc Euangelista PVERVM nominat. Præterea non Angelos hîc psallentes in vnum, sed parentes dolentes plurimùm, & cum dolore quærentes illum, conspicimus. Nisi fortè quis dicat Doctores parentibus de tam admirabili puero esse congratulatos, sed neque id in scriptura legimus; neque Doctores isti Angeli fuerunt, sed homines. Denique inquit Ecclesia [ecce cuius imperii nomē est in æternum] Imò verò potiùs, ecce cuius vilitatis, paupertatis, miseriæ non est finis, remanet solus orbatus parentibus, cognatis & notis, quid puero magis miserum? viuit mendicato. Vnde enim illi pecunia? humi procul dubio cubat; hoccine est imperium? quid igitur sibi vult ordinatissima spōsa Christi hæc adeò disparata in vnum coniungendo? Non absque causa credite mihi. Non solum enim in magnis, verumetiam in minimis habet rectorem Spiritum sanctum ideò magni facienda, ideò honoranda, ideò auscultanda. In hoc sanè facto multa subesse mysteria non dubito: vos vnum aut alterum à me accipite: plura aut per deuotas preces vestras à Domino impetrate, aut aliis de fontibus haurite.

Cur id Ecclesia fecerit. NOTA.

Sicut in aliis omnibus suis ordinationibus, ita in hoc quoque fecit Ecclesia, quod decuit & sponsam tanti viri, quantus est Deus; & matrem

matrem tot filiorum, quot fuerunt, futuriue sunt fideles; nam & suppleuit quodammodo quod Euangelistis deesse videbatur, & prouidit filiis suis de remedio contra morbum opportuno. Qui enim in scripturis sacris, & probatis historiis sunt versati, iis duo sunt nota: Alterum, omnes, vel penè omnes hæreses inde prognatas esse, quòd diuiderēt Christum, alii quidē solam tātum humanitatem, alii verò solam diuinitatem in illo agnoscentes; alii à sponsa sua dilecta eum separantes, alii alias diuisiones fingentes. Quam hæreticorum proprietatem considerans dilectus Christi discipulus Ioannes, præcipuam Antichristi notam hanc ponit, dum inquit: *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Quam quidem notam tum in antiquis, tum in modernis hæreticis vigere nemo est qui non videat. Alterum, constat sacros Euangelistas in descriptione, conceptionis natiuitatis, apparitionis, conuersationis, omniumque actionum Christi Domini id maximè conatos esse, vt vtriusque ipsius nostræ luculenta ederent testimonia: ac proinde quando in conceptione Iesu dicitur matri ipsius ab Angelo. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*; humanitas eius describitur. Dum verò paulò post subiungitur; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Trinitatis myste-

rium,

Proprium omnium hæresum diuidere Christum.

1Io:4.3

Proprium Euangelistarum vnire Christum.

Luc:1.31

rium, & Christi diuinitas denotatur. Similiter in vtèro matris constitutus it suo modo ad visitandam Elisabetham, vt homo: at verò exultare facit in Spiritu, & matrem, & Ioannem, & Elisabetham vt Deus. Deinde nascitur in stabulo vt homo, expedit legationem Angelicam ad pastores, & Magos vt Deus. Circumciditur vt homo: & accipit nomen Iesus quod interprætans Angèlus inquit.

Mat: 1.21. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, quod soli Deo proprium est. Magi postea

Mat: 2.11. *inuenerunt puerum* Iesum *cum Maria matre eius* vt hominem: at verò *prócidentes adorauerunt eum*, vt Deum. Quo etiam tempore turbat, & terret Herodem Regem,

Ver: 3. *& omnem Ierosolymam cum illo*, vt omnipotentem agnoscas Deum. Quod considerans D. Au-

Aug: ho: 30 de tempore. gust: exclamat dicens: [Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos Reges cuna terrebat infantis?] præsentatur postmodum in templo vt homo; sed vt Deus prophetico Spiritu implet Simeonem, & Annam. Denique (ne infantiam eius excedamus) fugit in Ægyptum vt homo: at vt Deus corruere facit idola Ægypti ad suum eò ingressum, vt I-

Is: 19.1. saias prędixerat: quemadmodum sancti Hieronymus, Cyrillus; & alii interpretantur.

Idem facit Ecclesia. Sequitur hodiernum Euangelium, in quo quoniam adeò clara diuinitatis ipsius non exstabant indicia, humanitatis verò erant & aperta, & multa, (decem vt minimum) icirco

circo Ecclesia sancta supplet, quod suo modò scripturæ deesse videbatur. Quamuis. n. dum Christus Dominus patris sui mentionem facit, de Deo patre suo cælesti loquatur: tamen tam obscurè id fecit, vt præter parentes nemo intelligeret. Ea verò quæ mirabãtur Doctores eiusmodi erant, quæ non solum diuinitatem non declarabant apertè: sed etiam ætatem illam plenè non excedebant. Quapropter Ecclesia, quæ eodem quo Apostoli & Euangelistæ regitur Spiritu, tam luculentum, tamque aptum diuinitati Iesu dat testimonium in ipso Missæ exordio, vt nescio an aliquid ampliùs hac in parte desiderari possit. Fecit enim ac si diceret: Ex hoc, quem in humili scabello, vel etiam humi sedentem conspicitis, ô filii mei, non scandalizemini, is enim est cui sessio in excelsio debetur throno. Is inquam est, quem olim videbat Isaias, *sedentem super solium excelsum, & eleuatum*: postea verò Ioannes vidit, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, stantem ante thronum, & in conspectu agni* huius videlicet IESV Christi: quē si nunc vt agnum mansuetissimum humiliter interrogantem, & audientem Doctores animaduertitis: postmodùm venientem *cum potestatē magna & maiestate* ad iudicandum omnes gentes conspicietis. Deinde hunc, quem vocari puerum audistis, scitote virum esse, & non solum tum temporis, cùm esset duodecim annorum, sed

etiam

Conueniētia inter Introitum & Euangeliū.

Is:6.1.

1

Apoc: 7.9.

Luc: 21.27

2

etiam in vtero matris virum fuisse. Nã quod
Ier: 31.22 propheta dixerat: *Fæmina circundabit virum*, in hoc impletum fuit, quando adhuc in vtero virginis S. Mariæ omnium virorum sapientissimus delituit; quantò igitur magis id
3 de duodenni credendum est? Præterea quem hic intuemini per triduum humi cubantem, ieiuniis, ac vigiliis sese conficientem, fortè etiam aquam bibentem, ac mendicato viuentem, nosse debetis, quod eum adorat multitudo Angelorum psallentium in vnum; quinimò etiam tum temporis id illi faciebãt.
Mat: 4.11. Quidni enim id officii puero prestarẽt, quod postea viro quadraginta diebus ieiunanti in
4 deserto exhibuerunt? Denique (ait Ecclesia) quem nunc subiectum parentibus secũdùm humanitatem esse videtis, huius ecce imperii nomen est in æternum. Breuiter; duo præcipuè in istis verbis, hocque cantu suo facit Ecclesia sancta: primùm diuinitatem eius demonstrat, cuius humanitatis multa hîc argumenta apparebant; deinde augustum & terribile illius iudicium ante oculos ponit, cuius & mortificatio abiecta, & submissio humilis in Euangelio describebatur. Atque tum ad intelligendum thema propositum: tum ad nostrum institutum multum hæc quoque conducunt.

Causæ duæ facti Ecclesiæ.

II. MEM: Thema explicatur.

Quamobrem vt ad id, quod secundo loco proposuimus, deueniamus; oratio hæc Christi Domini ad parentes suos, non fuit olim

olim tam difficilis, vt nunc illam hæretici suis commentis, obscuram reddiderunt. Eorum enim natura est difficillima scripturæ loca tanquam facillima populo proponere: clara verò (qualia sunt illa: *Hoc est corpus meum*; & sexcenta similia) obscurare, vt hac ratione incautos decipiant, & miseram miserè deludant plebeculam. Itaque vt alibi ita hîc nodum (quod dicitur) in scripto quærunt: & tam in hisce Christi Domini verbis, quàm in aliis, quæ ea præcedunt peccata Sanctissimæ Matris Dei inquirũt, & colligunt; vt in omnibus extremã suam & vniuersalem prodant impietatem. Quàm verò absurdè id hoc loco faciant, vel ex eò colligere licet; quòd nõ tam Beatissimæ virgini, quàm ipsi Christo Domino hîc calumnias struere, & peccata impingere conentur. Quamuis autem longè tanta blasphemia ab animis fidelium abesse debeat, tamen vt absurda hæreticorum argumentatio magis magisque in lucem prodeat omnibus; Sinite me quæso cũ filio pro matre agere; (vt ipsa vicissim patrocinium nostri apud filium suscipiat, quod obnixè rogamus): Tu verò pater sanctissime ignosce, si quid imprudentiùs loquar, cùm sim puluis & cinis: facio enim id, vt innocentia matris tuæ etiam perfidis innotescat. Quid est ergò oro, & obsecro Christe IESV, quòd parentem tuam tantoperè affligis? Nonne tu es, qui vẽturus eras ad consolandum tuos, quẽadmo-

NOTA hæreticorum consuetudinem.

Mat: 26. 26.

Impietatem

Absurditat

Patrociniũ virginis matris suscipitur.

NOTA.

Is: 51. 8.

admodum magna cum lætitia prophetæ prędixerant? & quis magis tuus, quàm mater
2 tua? Audiui etiam non ita pridem angelos
Ier: 31. 13. canentes. *Et in terra pax hominibus bonæ volun-*
Luc: 2. 14. *tatis.* Et ecce siue tuum beneplacitum ac voluntatem spectes, hæc digna est maximo tuo fauore; siue illam consideres, plena est gratia, plena bona voluntate; recordare quomodo suam voluntatem tuæ submiserit, di-
Luc: 1. 38. cens ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Cur igitur non est illi pax sed tribulatio? remanente te, illa inscia, & afflicta nimis, in Ierusalem? Nam quod dicis.

3 QVID EST QVOD ME QVÆREBATIS? non tollit, sed auget potiùs difficultatem. Nunquid enim non est hæc mater tua, quæ te in vtero nouem mensibus gestauit, tibique infanti lac dedit; tu verò cbscondisti te ab ea, & quæris QVID EST QVOD ME QVÆRE-
4 BATIS? Nonne illa est, quæ diligenter conseruabat, & conferebat in corde suo, quæcũque de te audiuerat? & quæ supra omnem, quæ sub sole & supra solem est creatura intẽsissimè te amabat, ac proinde quando te perdidit, cor suũ amisit, & tu quæris QVID EST
5 QVOD ME QVÆREBATIS? sed & illud nõ ignorabat virgò sapientissima quòd propheta
Isa: 55. 6. monuerat dicens: *Quærite Dominum dum inueniri potest.* Quæsiuit igitur te & dominum, & filium suum, & tamen ex te audit, QVID

EST

EST QVOD ME QVÆREBATIS? Denique 6
nonne tuipse deseruisti nonaginta nouem oues, id est, multa Angelorum millia in cælo, Mat: 18. 12.
vt quęreres vnam perditam, morbidam, spurcam, ouem, & inuentam tolleres, humeris tuis imponeres, & ad caulas æternas reduceres? nunc verò miraris quod mater tua te agnum Dei tollentē peccata mundi, præstātiorem omnibus & Angelis, & hominibus, cùm tanta diligentia, & animi sui dolore & angore quæsiuit? Ad extremum ad id quod addis Christe Domine.

NESCIEBATIS QVIA IN HIS QVÆ 7
PATRIS MEI SVNT OPORTET ME ESSE? equidem quid dicam ignoro. Sciuisse enim virginem matrem te patris æterni esse filium nihil penitùs dubito, imò certa fide credo: quomodo enim ignoraret, quod & Spiritu sancto Deo, & Gabriele Archangelo, & vtero denique suo attestante didicerat? arbitror autem quod si tu illi voluntatem tuam (diutiùs in templo manendi) manifestasses, illam id non solum non impedituram, sed etiam pro virili adiuturam, fuisse hoc sanè ego mihi persuadeo; quid igitur hæc in templu matre inscia remansio, verbaque ista sibi volunt?

Fateor, ac coram Deo, & Angelis, sanctisque ipsius, & coram vobis omnibus contra omnem hæreticam præsumptionem profiteor, me non solum incomprehensibile pelagus

protestatio contra hæreticorum superbiam.

lagus naturæ diuinæ lenticula ingenii mei mensurare nolle (quod hæretici non minùs stultè, quam impiè faciunt) verumetiam nec opera omnia, actionesque Christi Domini penetrare posse; dicam tamen quod sentio, & quod dominus suggerere dignabitur, cùm ea qua par est Deo, & Ecclesiæ ipsius, animi mei submissione. Quorum primum & caput cæterorum sit. Neque Christum Iesum, neq; parentes ipsius hoc in facto vel minimum quid peccasse. Absit à piorum animis vel cogitasse talia. Non peccauerunt parentes. In quo enim peccassent? In eò inquiunt hæretici quod supina negligentia sua Christum perdiderunt. At contrarium testatur Euangelium Pseudoeuangelici? Dicit.n. REMANSIT PVER IESVS IN IERVSALEM. Ipse ergò remansit, & voluntariè remansit, qui nihil faciebat, quod non esset voluntarium. Quòd si antiquissimo Origeni (qui id per traditionē cognoscere potuit) credimus, ita remansit, ita se abscondit parentibus, vt inuisibilem sese redderet, prout postea fecit & in patria sua, & in templo; quando præcipitare, & lapidare eum volebant Iudæi. Verùm si Origenis hæc non placet opinio, placeat quod placet piis omnibus, & quod hîc scriptura non obscurè docet, quòd subduxerit se à parentibus ipsis (absque omni culpa) penitùs ignorantibus. Hoc est enim quod dicitur remansisse in Ierusalem, quia iam è templo cum paren-

Parentes Christi non peccasse probatur ex textu.

Orige: ho: 19.

Luc: 4.29.

Ioa: 8.59.

parentibus egressus fuerat, & postea in ciuitate remansit. Quæ est igitur hic vel minima parentum negligentia? Quòd verò hæretici ex istis verbis Christi Domini, duo alia peccata parentum Christi colligunt, alterum fœde ignorantiæ; alterum grauis reprehènsionis, ita vt Christus penè illos abnegare voluerit; id more suo insipienter æquè ac blasphemè faciunt. Quæ. n. insipientia maior, quàm fateri ignorasse parentes, & tñ culpam in eos coniicere, qui ignorabant quod scire non poterant? Sed inquiunt, est quoque ignorantia culpabilis. Est sané (de qua paulò post disseremus) sed talis ista non fuit: quod vt elucescat, verba Christi iterum resumamus, & scripturam hanc per aliam scripturam explicemus in gratiam hæreticorum, qui id desiderant, si fortè resipiscant, & viuant, quod Faxit Deus. Dicimus igitur quando inquit Christus.

QVID EST QVOD ME QVÆREBATIS? Verba hæc non esse arguentis, sed esse mysterium explanantis. Quomodo enim reprehenderet, quod & ritè & tantò cum ipsius amore fiebat? Neq; verò tales phrases desunt in scriptura; sed omissis aliis, duas eiusdem ipsius Christi in medium proferamus. Altera sit illa, quando conuersus ad discipulos Ioannis se sequentes inquit: *Quid quæritis?* Nunquid repræhendit illos quod eum quærerēt? Minimè verò: imò tam gratum id habuit, vt

Neque à Christo esse repræhensos

Probatur simili modo loquendi in scriptura.

Ioa: 1.38.

eos ad hospitium suum inuitarit. Idem penitus hic accidisse effectus ipse demonstrat. Nã sicut ibi discipulos Ioannis amanter suscipit: ita hic non minori cum amoris declaratione cũ iis, quos reprehendere dicitur, DESCENDIT NAZARETH ET FIT SVBDITVS ILLIS. Quid clarius? Sed addamus aliud exẽplum: nam & illa verba eiusdem Iesu ad Magdalenam; *mulier quid ploras? quem quæris?* idem probare videntur: Amoris enim potiùs & beneuolentiæ, quàm repræhensionis signa sunt. O quam facilè Spiritus hæreticus calumniis inhians hîc non vnam, sed & alteram Christum calumniandi reperiet occasionem? Cur. n. interrogat, quod optimè nouerat? Nouerat. n, quod mulier ista & se quæreret, & propter absentiam ipsius ploraret. Cur factum repræhendit? quod ipse tam celebri apparitione præ omnibus etiã Apostolis soli Magdalenæ exhibita approbat? Stat igitur Catholica veritas, nihil in istis verbis repræhensionis esse. Videamus sequentia.

Item alio à fortiori.

Ioa: 20.15

Apostrophe ad Lutheranos,

NESCIEBATIS, inquit Iesus ad parentes suos, QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI SVNT OPORTET ME ESSE? Alloquar hîc Lutheranos, qui harum calumniarum contra parentes Christi, inprimis verò contra sanctissimam genitricem ipsius autores fuerunt: alloquar, inquam, eos verbis, quibus Christus murmurãtes discipulos est alloquutus, & dicam ô Lutherani, *Hoc vos scandalizat?*

Io: 6.61.

quod

quod Christus Dominus interrogat parentes suos de iis, quæ ignorabant? quæ nec scire quidem fortè poterant? *Si ergò videritis filium hominis* vel audieritis potiùs asserentem de seipso quòd *de die illo* vel *hora* extremi videlicet iudicii *nemo scit neque Angeli in cælo, neque filius, nisi pater*, quid dicetis? quomodo non scandalizabimini in verbis istis. quemadmodum proles vestra Anabaptistica, & suencfeldica est scandalizata? Quo auctore? nisi Luthero cum talibus suis coniecturis, vel calumniis potiùs? Quod si excusatis hac in parte Christum Dominum, prout facitis (cum Lutheranis. n. nunc ago acturus Deo dante aliâs contra alios) cum tn̄ Christus affirmanter asserat se ignorare, quod sciebat: qua frōte accusatis parentes Christi, qui tantūmodò interrogantur, an nesciuerint, quæ scire illos oportuisse vos asseritis, nos negamus? Vtinam vobis aliquando tandem effodiantur oculi clara scripturæ per scripturam interpretatione, vt effossis malis, qui vos cæcos reddunt, bonos & videntes acquiratis. Concludimus itaque, nequè parentes Christi in hoc facto quicquam peccasse, neq; à Christo repræhensos esse. Sciuisse etiam illos ea, quæ illos scire oportuit, nempè Christum IESVM fuisse verum, & vnicum patris æterni filium (quod paulò ante ostendimus) debuisse quoque illum exequi ea, ad quæ à patre suo missus in mundum fuerat: & id genus alia Mar: 13, 32.

 benè

benè nouerant: Quid verò ignorabant? Hæc, & his similia, an eò; videlicet tempore id fieri debuerit, an hac ratione, sedendo inter Doctores, an insciis parentibus; & alia generis eiusdem, quæ ignorare sine peccato optimè poterant.

Christus quoque à calumniis vindicatur.

Quid verò de ipso Christo dicemus, vt & illum à calumniis liberemus? (libera tu quoque nos Deus noster in hac, & in illa die à calumniis impiorum) Dicemus primùm siue nos mysteria quæ Christus in istis verbis abscondita intelligamus; siue non; asserimus tñ & confitemur non esse vllam iniustitiam apud Deum, nec esse vllum peccatum in eo, qui ausus est inimicis suis capitalibus dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Dicimus secundo ne vestigium quidem vllum hic esse alicuius minimi peccati, sed esse multa & præclara vestigia grandis mysterii: quę si nos plenè non capimus, quid inde? Quærunt hîc patres, & Doctores; cur Christus Dominus in templo manserit, cur in ista ætate, cur id parentes celare voluerit, cur inter Doctores inuentus, cur obstupescere eos fecerit, cur vsque ad trigesimum ætatis suæ annum nunquã ampliùs id fecisse legatur, cur paulò quasi asperius, parentes alloquatur? Ad quæ omnia, & alia his similia varii varia respondent: nobis vna responsio sit instar omnium, neque verò nostra, sed eiusdem Christi Domini in hoc Euangelio, imò in hoc ipso themate expressa.

Io: 8. 46.

Septem quę sita ex Euangelio.

pressa, nempe, quia hæc omnia erant in quibus secundùm ordinationem patris æterni oportuit illum esse. Quid ampliùs desideramus? Si hæc non sufficit ratio, quæ est ipsius Christi Dei, quæ nobis sufficiet? Veruntamẽ dicemus aliqua hac de re in sequentibus concionibus. Nam præter opinionem, ac intentionem nostram, & concionis huius institutum; huc dilapsi sumus, arbitrantes nostrũ thema rectè explicari non posse (quod promiseramus) nisi difficultates enodarentur. Itaque finem facio hoc verbo, & parentes benè fecisse quærentes Iesum, quia id illis incũbebat; quod ipse Iesus approbat, dum audit eos, dum redit cum illis Nazareth, dum ibi fit subditus illis: Et ipsum Iesum omnia optimè peregisse; quia hæc voluntas fuit patris æterni, vt doceret diuina humanis anteponenda esse, nec quicquam curandos esse parentes terrenos, cùm parens cœlestis aliud præcipit.

III. MEM. Quid hæc verba ad terrorem faciant.

Cæterùm hæc in sequentibus, vt dixi, explicabuntur copiosiùs, nunc vnam facti huius rationem considerabimus, quæ occasionem præbebit illius, quod tertio loco nos tractaturos recepimus. Si. n. iudex viuorũ & mortuorum Christus IESVS parentes suos, inprimis verò matrem suam purissimam, innocentissimam, sanctissimam ita tractat, vt nesciam an in scriptura reperiatur verbum à Christo ad illam, vel etiam de illa prolatum,

quod simili aliqua cum dicendi asperitate cõiunctum non sit: quid nobis peccatoribus, qui iniquitatem vt aquam bibimus, expectãdum erit? Ipsa vt ita dicam innocentia duriusculè tractatur à Christo, & nos nocentissimi pati nolumus, vt etiam pro concione dicatur quidpiam asperum contra illa vitia, in quibus sepulti iacemus? Qua fronte? quo animo? quam inique id faciamus; Vtinam nõ nimis tardè agnoscamus. In his autem Christi Domini verbis videtur mihi totius iudicii ipsius nouissimi forma esse expressa: vnde demirari ac laudare diuinam prouidentiam magis magisque non cesso, quò apertius video illa, quæ Ecclesia in ipso sacri hodierni exordio posuit, Euangelio hodierno pulchrè & aptè (quamuis subobscurè) quadrare nimis. Nam quæ in illa die & examinabuntur, & iudicabuntur, ad duo, triaue reducentur. Primum erit: An quæsiuerimus & sciuerimus, quæ sunt patris æterni, & quæ nos scire oportuit. *Secundum:* An postquam cognouimus in quibus oportuit nos esse, ea exequutioni mandauerimus? Postremũ addi potest, quòd tam strictè ista omnia excutientur, vt multa, quæ hic sancta esse videbantur, illic talia non fuisse inuenienda sint. Hoc est, quod Dauid insinuat loquens in persona Dei: *Cùm accepero tempus ego iustitias iudicabo*, id est, ego Deus per filium meum IESVM in illo die destinato, & iusto iudicio ipsius, etiam *iustitias* ipsas,

Iudicii forma tria includit.

1. Scientiam

2. Operationem.

3. Rigorem.

Ps. 74.3.

pſas, quæ hîc iuſtitiæ eſſe videbantur *indicabo* & ponderabo; an ita ſe habuerint. Hoc eſt quod ipſe princeps Apoſtolorum perhorreſcit dicens: *Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Huius etiam rei hîc typum habes, quamuis ex alio fonte & cauſa emanantem. *1 Pet. 4. 18.*

Verumenimuero cùm iſta, quæ hîc á Chriſto vel expreſſè dicuntur, vel non obſcurè iuſinuantur, & difficultates habeant varias; & doctrinas nec viles, nec paucas, ea omnia ad certa capita reducamus, indeq; quem prætendimus timorem ſanctum in nobis excitemus. Itaque primùm quærimus, quid eſt quòd Chriſtus Deus videtur quodammodo ægre ferre, quòd quærebatur, dicens: QVID EST QVOD ME QVÆREBATIS? cùm alibi non ſolum quærentes ſe ſuſcipit, vt vidimus de Andrea, & vt in Zachęo apparet: ſed etiam ad quærendum ſe hortetur omnes: imò etiam conqueratur de negligentia hac in parte commiſſa? Clamat enim Propheta, & Eccleſia ſæpè inculcat. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dùm prope eſt:* per Dauidem verò (vt viri ſpirituales contemplantur) lamentatur dicens: *Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam:* hoc eſt (phraſi Hebrea) meipſum. Quin etiam tum per ſe, tum per Euangeliſtam ſuum grauiter deplorat, quòd non ſolum quæſitus, verumetiam receptus non fuerit: *In propria venit, & ſui e-*

Quomodo Chriſtus quęrendus, & non quærendus.

Luc: 2. 48

Io: 1. 38.

Luc: 21. 3.

Iſ. 55. 6.

Pſ: 141. 5

Io: 1. 11.

sui eum non receperunt, inquit voce flebili D.
Io: 15. 22. Ioannes. Ipse verò Iesus. *Si non venissem*, inquit, *& loquutus fuissem eis, peccatũ non haberẽt.* Quid verò est eis locutus? Audi; ait enim:
Mat: 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.*

PRIMA difficultas de non quęrentibus Christum.

Petimus igitur quidnam sibi velit, Christum Dominum hîc quidem molestius quasi ferre, quòd quæreretur; & tamen alibi conqueri quòd non quereretur, nec reciperetur? Sed ratio huius differentiæ inpromptu est: Est enim nonnunquam in vitio quærere Iesum; & est in vitio non quærere illum: Imò verò sunt in vtroq; vitiorum gradus. Malum est quærere Iesum siue cum aliqua vana gloria, siue pure propter temporalia. Tales n. arguit ipse Christus dicens. *Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.* Datq; huic malo remedium omnium efficacissimum doctor omnium sapientissimus Iesus, subiungit enim: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; quem filius hominis dabit vobis.* Quibus verbis docet, propter temporalia non esse quærendum Iesum, nisi quatenus nos hæc ducunt ad vitam æternam Pulchra & digna & consideratione & diligenti recordatione Christi sentẽtia. Hoc igitur duplici modò quærere Christum non est bonum. At multò peius est quærere in hypocrisi: De talibus enim conqueritur Deus apud Prophetam dicens:

Tria genera vitiosè Christum quærẽtium.
Io: 6. 26.
1. Malum dupliciter tum ob vanam gloriã tum ob temporalia.
2. Peius in hypocrisi.

dicens: *Me etenim de die indiem quærunt, & scire vias meas volunt quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non derelinquerit.* *Is. 58. a.*

Quid putas inter Christianos talium sodales, inuentum iri? Inueniuntur equidem pro dolor. Taceo de hæreticis, & qui ab illis infecti sunt, hi enim inter Christianos non sunt censendi. Ex Catholicis quot sunt quæso, qui *de die in diem* Dominum *quærere* vidẽtur, pulchre de fide Catholica loquuntur, sacris adsunt quotidie, deuotionem foris ostentant: nihilominus tamen iniustitias, in quibus hęrent, deserere volunt, vsuras, vel vsurarios contractus, quibus sunt constrincti, retinẽt: vindictæ cupiditate & vlciscẽdi desiderio exæstuant, aliena, quæ iniustè acquisiuerunt, restituere negligũt, & multa huiusmodi perpetrãt. Similiter domini *vias scire volũt*, at postquam eas cognouerint, tanquam asperas auersantur; denique ita se gerunt, *quasi Iudicium Dei sui non dereliquerint*, licet viduas, pupillos & debiles opprimant; vt opes, & reditus suos augeant: licet si iudices sunt, munera diligant; si aduocati, propter pecuniam verum iudicium non deserunt modò, sed etiam peruertunt; licet communibus vitiis (& vt illis quidem videtur minimis, vel etiam nullis) vt ebrietatibus, commessationibus, detractionibus, scurrilitatibus, turpiloquiis, & plurimis eiusdem generis adstricti teneantur; imò & delectentur. Quot sunt tales inter Chri- *Exempla quotidiana.*

ter Christianos imò inter illos etiam, qui in sortem domini vocati sunt, qui tamen a plerisque magni fiunt, qui iustos se esse reputant, qui quærere dominum & iudicia eius facere, & vias inuestigare creduntur ab hominibus.

Dei iudiciũ iustum. At iudicium domini aliud est, prout hic audis per prophetam illum testantem: iccirco pertimescendum, iccirco cauendum, iccirco non fictè cum Deo agendum, iccirco suis non applaudendum vitiis, iccirco sincerè Deus est quærendus, qui sicut decipi non potest: Ps: 7. 10. Ier: 17. 10. (Est. n. *scrutans corda & renes Deus*) ita mauult potiùs, vt non quæratur, quàm vt hac ratione duplicato videlicet peccato quæratur. Ex scipso collige. Nunquid tù ipse idem non eligis? sit tibi fictus amicus, quem scis amicè & sincerè tecum non agere; quid facis? Non solum nõ fidis illi, verumetiam apertè testaris te malle, ne vnquam in ædes tuas veniat, ideò ad eius aduentum vel negas te domi esse, licet sis; vel fugis ipsius conspectum. Quid ita? Quia eligis potiùs nõ quæri, quàm ab hypocrita quæri. Idem de Deo tibi persuadeas velim, & Luc: 19. 22 recorderis dicti illius. *De ore tuo te iudico.*

3. Pessimum occidatur Vt Christus. Postremum & omnium pessimum quærentium Deũ & Christũ eius genus est, de quo Io: 7. 20. sæpiùs legimus apud D. Ioannẽ dicentẽ: *Quærebant eum Iudæi interficere*. Et ipse Christus ad illos. *Quid me quæritis interficere?* Et iterum: Ver: 34. *Quæritis me & non inuenietis*. Sed, inquis, hoc genus inter Christianos locum habere non

potest.

potest. Sanè ad cædem vt quondam quærebatur á Iudæis, hoc iam tempore saluator noster quæri non potest. Dicit enim Apostolus, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Verùm tum spirituali modò: tum illa ratione, qua clamat ad Saulum dicens. *Saule Saule quid me persequeris?* tam id est frequens, vt deplorandum sit vel maximè. Ro.6:9. Act.9.4.

Nam comprehendentur hic inprimis omnes hæretici duplici nomine. Primùm quando quærunt pèruertere fideles, vt in eis Christum per infidelitatem interimant: deinde quando non solum sanctorum scripta inuestigant, verumetiam scripturam ipsam diligentissimè legunt, non vt veram Christi doctrinam inde hauriant, & conuertantur, ac viuant: sed vt eam imposturis, & prepostèris interpretationibus suis peruertant. Hac n. ratione Christum Dominum perimunt & in scriptura nobis loquentem, & in animis fidelium per veram fidem residentem: Sicut enim qui alium occidit, facit vt is non sit ampliùs superstes in terra, ita hæretici (& alii de quibus paulo post) suis tum peruersis opinionibus, tum malis moribus efficiunt, vt Christus non sit in cordibus fidelium; in quibus antea residebat. Tales sunt hæretici. 1 2 Simili id declaratur.

Hæreticos sequuntur pseudopolitici, qui tanto etiam videntur illis esse deteriores; quantò id simulate magis faciunt, & hanc ipsam Tales pseudopolitici.

psam simulationem non dissimulant, sed docent: Docent n. tum vel maximè fictè agere oportere, cum aliquod grande facinus, vult princeps committere. Quem instruunt cum in aliis: tum vero in rebus, quæ ad religionem ac deuotionem spectant, simulatione vti. Hac n. inquiunt ratione, & scelus patrandum non animaduertetur, & populus ad benè sentiendum de principe inducetur: Cùm nihil sit quòd magis in officio contineat plebem, quam religio. Hinc non solum iuramentum datum violare concedunt, sed etiam sacramentis (atq; adeò Christo) vti, vel abuti potiùs suadent. Qui Historias legunt, norunt, non doctrinam tantum, sed etiam exempla ipsa. Prô Deum immortalem? quis vnquam credidisset ad tantam cæcitatem ac impietatem deuenturos Christianos, eosquę Catholicos, vt siuę ad vindictam propriam perficiendam, siue ad principatū hunc, & miserum dominium temporale stabiliendum (perdendum potiùs, quòd & experientia ipsa docuit) siue alia quauis de causa velint sacramentis diuinis abuti: imò ipsum Christum in Eucharistia præsentem quærere, & ad illum accedere, eo animo, vt illū cùm in aliis, tum in semetipsis perdant & iterum crucifigant? Nonne hoc expressis verbis testa-
Heb: 6. 6. tur Apostolus dicens: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes?* Quod si hæc verba dequouis post baptismum lethaliter pec-

ter peccante intelliguntur: quantò magis de istis? qui simillimi sunt Iudæis, ad quos dicta sunt verba illa à Christo. *Quid me quæritis interficere?* Illi enim in persona sua; hi in semetipsis quærunt crucifigere Iesum. *Ostentui* verò *filium Dei*, quis magis habere potest, quàm qui & sinceritatem ipsius dissimulatione sua irridet, & Christum foris ostentans, intus dæmonium alit? O deploranda dominandi libido, ad quantam impietatem mortalia pectora cogis? Hoc equidem vnicum tanti momenti est, vt ab omnibus, qui Christi nomine, & sanguine sunt insigniti tota pseudopoliticorum doctrina meritò sit explodenda, abiicienda, conculcanda: faxit Deus. *Io: 7.20.*

Denique omnes, qui aut in confessione peccatum aliquod graue scienter subticuerũt, aut conscii sibi peccati alicuius mortalis ad Eucharistiam accedũt aut deuotione ad pertrahendum aliquem in peccatum abutuntur hi omnes, inquam quærunt Christum ad interficiendum illum siue in seipsis, siue in aliis, siue in vtrisque. Omnes itaque isti, & his similes quærentes Iesum, & arguuntur, & cõdemnantur ab illo. Tales quidã etiam Catholici.

At verò è contrario arguuntur, & condemnantur etiam alii qui non quęrunt Christũ: quorum itidem variæ sunt species. Prima eorum, qui in operibus bonis, si quæ faciunt, non Dei Christiue, sed suum honorem, aut vtilitatem quærunt: tales & ipse Christus Tria itidem genera vitiosa nõ quærentium Christum. 1. Qui sua quærun nõ Christi. *Io: 5.44.*

Io: 7.18. perstringit sæpius, & Apostolus detestatur
Phil: 2.21. dicens: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* Excutiat quilibet conscientiam suam, & perquirat, an quidpiam tale in ea
2. Qui differunt quærere Christum. reperiatur, emendetque serio: Altera illorũ species est, qui & scienter, & voluntariè perdiderunt in se Christum, & tñ quærere illum aut negligunt, aut differunt. Calamitosum sanè genus hominum, qui vno denario, imò multo etiam minoris æstimãt Christum. Pe-
Luc: 15.8. rit denarius, *perij* (vt Christi exemplo vtamur) *drachma vna*, confestim candela, aut lucerna accenditur, domus tota euerritur & euertitur, neque à quærendo cessatur, donec quod perditum fuit reperiatur: at verò perditur Christus per peccatum mortale, & de quærendo ac inueniendo illo, pensi nihil. Nã aut penitus negligitur, aut inuentio eius ad annum differtur. Hæccine ô gens Christiana reddis Christo tuo pro tot in te collatis beneficiis, vt eum minoris, quàm obulum æstimes? Quis hæc audiendo non perhorre-
3. Qui eum sponte perdunt. scat, & ad cor non redeat? Postremo sunt aliqui qui non solum quærere Christum vel negligunt, vel differunt; sed etiam perdere illum siue in semetipsis, siue in aliis parui, vel nihili æstimant; imò, quod peius est, non-
In semetipsis. nunquam procurant. Tales sunt recidiui, quos vocamus, qui sicut leuiter & oscitanter per sacramenta Christo Domino reconciliati fuerunt; ita minima occasione data, vel accepta,

pta, imo sæpe etiam quæsita ad vomitum redeunt, & maioribus etiam se inuoluunt peccatis. Tales etiam, imò peiores sunt illi, quibus non satis est perdere Christum in semetipsis, sed quærunt insuper socios sibi gehennæ adiungere, dum ad peccandum alios allicere student. Tales denique sunt parentes, cognati, socii, qui siue à religione, siue à perfectiori vitæ genere suos modis variis abstrahere conantur; propter quos præcipuè hæc verba QVID EST QVOD ME QVÆREBATIS à Christo esse prolata volunt Doctores: vt dum innocentes arguuntur, nocentes quid cum illis illis agetur considerent, & perhorrescant; ac concepto timore sancto pænitentiam parent, & pariant. Verùm iam sequentia Christi verba audiamus. Pergit itaque & ad parentes loquens;

In aliis.

In tendentibus ad perfectionem.

NESCIEBATIS inquit. Figamus paulisper in hoc vno verbo, pedem, antequam ad alia progrediamur: dignum est n. consideratione. Nam sicut priora, ita hoc difficultatem habet, iudiciumq; Dei nobis ante oculos ponit. Videtur enim ex vna parte & ipse Christus hic, ac alibi, & multò magis scriptura alia ita arguere inscitiam, vt ignoratio aggrauare peccatum dicatur; ex altera verò parte inscitia non aggrauare, sed minuere videtur peccatum, ita vt Apostolus ignorantiæ conuersionem suam quodammodo adscribat, cùm inquit: *Sed misericordiam Dei conse-*

2. Difficultas de ignorantia.

1. Tim: 1. 18.

quutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Iccirco sciendum est sicut quęrēdi Christum: ita ignorantiæ varia esse genera; quorum alia minuunt, alia nullum faciunt peccatum, alia verò contra aliquantulũ, alia summopere illud aggrauant. Primi generis est, cùm hoc ipsum D. Pauli, tum verò quod prę manibus habemus exemplum parentum Christi. Pauli etenim ignorantia minuebat quidem aliquantulum peccatum incredulitatis ipsius, quia nesciebat Christum esse Messiam propter Rabbinorum, quos audiebat, peruersitatem: qui omnia loca scripturæ, quæ erant pro Christo, sinistris suis interpretationibus euertebant: (vt nunc hæretici faciũt) plene tamen non excusabat illum, quia si voluisset adhibere media necessaria, facile deuenisset ad agnitionem veritatis. Ideò ibidem vocat se primum, id est, maximum peccatorum. At verò inscitia parentum Christi, plenè illos ab omni peccato excusabat: nullo enim modo illi scire poterant quid cogitaret Iesus, quandoquidem id illis non fuerit reuelatum. Arguuntur autem quodammodo ab illo (licet innocentes) propter dictam causam. Quod haud insolens est in scriptura. Legatur liber Iob, & videbitur quomodo Dominus Deus acriter arguit Iobum *de turbine ei respondens*: & tñ innocentiam ipsius ibidem demonstrat, imò & dicta eius approbat, sic alloquens Eliphaz amicum eius: *Iratus est*

Prima est quæ minuit peccatum, vt Pauli.

2. Quæ tollit õnino peccatum vt hæc parentum Christi.

Exemplum Iob. *Iob. 40. 1.*

tus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Quanto magis itaque hoc de parentibus Christi sentiendum est? Hæ igitur sunt ignorantiæ, & his similes, quæ aut planè excusant peccatum, vt hoc parentum Iesu; aut diminiunt, vt illud Pauli. *Iob: 42.7.*

Verum sunt aliæ ignorantiæ, quæ non solum non excusant, sed etiam accusant, non tãtũ nõ minuunt, sed etiam aggrauant peccatũ, suntque in illis gradus nõ ad ascẽdẽdũ sed descendum in infernum, ni resipiscant. Primus est eorum, qui quæ ad salutem sunt necessaria ex negligentia, & socordia sua scire negligunt. Secundus peior illorũ, qui hoc ipsum ex habitù pessimo, & obstinatione in peccatis faciunt. De vtrisque illud Apostoli intelligitur. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Magna equidem pœna. Eueniet n. illi quòd accidit quinque fatuis virginibus, quibus exclusis á porta curiæ cœlestis dictum est. *Nescio vos.* Ac meritò sane is non agnoscetur qui agnoscere legem Dei noluit. Postremus deniq; gradus pessimus est eorum, qui non solum negligunt scire, sed etiam affectant nescire quod sunt nosse obligati. Huiusmodi describit Iob his verbis. *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Propterea tales fugiunt conciones, fugiunt confessiones, fugiunt & ipsas Cathecheses, ne cogantur nosse, quod ignorare exoptant.

3. Mala quæ fit ex negligentia.

4. Peior quæ ex habitu.

1. Cor: 14. 38.

Mat: 25. 13.

5. Pessima scilicet affectata qua laborant quidam.

Iob: 21. 14.

 Sed &

Sed & Dauid talem perstingit dum inquit
Ps:35.4. *Noluit intelligere vt bene ageret*. Quare? Quia
voluit ignorare, vt male ageret; vtq; liberius sine remorsu conscientiæ peccare posset.
Io. 8.34. Nam *omnis qui facit peccatum seruus est peccati*,
1. Tim:4.2 ait veritas Iesus. *O Cauteriata Conscientia*? quã detestatur, & deplorat Apostolus.

Etiam Ecclesiastici.

Quid? habetne hoc malum locum apud Christianos? vtinam saltem præcipuum non habeat, sed obuersatur sæpe inter præcipuos. Nolunt Ecclesiastici scire quid iuris sit de pluralitate beneficiorum, de residentia, de simonia, de secularibus negotiis non tractandis, deque his similibus. Quare? vt peccent liberius, & ipsam suffocent synderesim. Qui considerent quæso verba illa Dei apud Pro-
Ose: 4.6. phetam: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Et certè etiã in hac vita sæpe id vsu venit, vt plurimùm enim rarò tales celebrant, rarò sacramenta administrant, rarò alia sacerdotum munia obeunt, idque culpa, & negligentia sua: quid fiet in illa vita in pœna quæ eis infligetur?

Reges & Principes.

Nolunt prætererea Reges & Principes intelligere, quæ sit vera, quæ verò falsa Politica, & gubernandi populum sibi concreditum ratio, quæ subordinatio inter statum Ecclesiasticum, ac sæcularem (non alia sanè quam illa, quæ est inter animam & corpus) quouè sese ipsorum extendit iurisdictio, quo progredi vltra nòn licet. Quare? vt liberè tyran-
nidem

nidē exerceant, vt ſuam dominandi libidinē, quoquomodo expleant, vt vno verbo, illud verbum apud illos locum habeat [ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas] Hęccine nos Chriſtus docuit, qui nos ſanguine ſuo redemit? cui in Baptiſmo fidem dedimus: is inquam, qui & a famulo iniuſtè ſibi alapam dante, & à iudice id permittente non voluntatem, ſed rationem requirit, dicens: *Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, quid me cædis?* O quàm id in noſtros politicos conuenit? Dum iudicium ſuum diuino præferunt, dum leges Chriſti nihili faciunt, dum religione ipſius abutuntur, dum, quod dicitur, omnia ſurſum & deorſum euertentes, politicos ſe eſſe aſſerunt, dum pauperem, pro quo Chriſtus mortuus eſt, cane minoris faciunt. Vtinam aliquando tandem reſipiſcant, ne experiantur, quod per MoyſenDei nomine dicitur. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis, & his, qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes:* tantò acerbius, quantò tardius; tantò infeliciùs, quantò diuturniùs: quia in æternum & in ſæculum ſæculi. Deuorabit autem vltio diuina non ſolū carnes, ſed etiam animam & in hac, & in illa vita: nam etiam in hac vita rarò in talibus anima carnem deſerit morte naturali. *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* ait veritas

NOTA. (Exemplum Chriſti)

Io: 18. 23.

Deu: 32. 42.

Qui gladiū accipiunt. *Mat: 26. 52.*

veritas Iesus: Omnis autem accipere gladium dicitur, qui aut non datum sibi dominium, tyrannicè occupat; aut dato contra datam Christo & Ecclesiæ fidem, abutitur.

Hæretici. Quid dicam de hæreticis? ex quorum ore aliquando audiuimus. Ne loquaris mihi, ne turbes conscientiam meam, ne dubiam reddas, ne cogar dictis tuis acquiescere. Si hæc non est affectata ignorantia, nulla profectò procurata in mundo erit. Sed adhuc multò detestabilior est alia, ministrorum inquam, qui scientiam diuinam blasphemant. Hos duo Apostoli sic describunt Alter. *Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant.* Alter verò inquit, & pænam addit. *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.* Quod ideò dictum est, quia raro tales conuertuntur, qui *in captionem & in perniciem* malitia sua quodammodò nati, docent quæ non didicerunt; & blasphemant, blasphemareque faciunt, quæ malitia sua ignorant.

Ministri eorum.

Iudas v. 10. 2. pet: 2. 12.

Catholici quidam. Denique etiam in plebe Catholica haud rari sunt, qui contractibus illicitis irretiti, qui vitiis aliis inuoluti, nec consilium à peritis petere, nec conciones ipsas (vt diximus & experti sumus) audire volunt. Quare? ne inquiunt, scrupulum nobis pariant. O ingens scrupulus; qui dum quietam (si modo ita dici potest) reddit conscientiam, mactat animam

nimam. Videtis dilectissimi quantum mali ignorantia faciat? imò, si benè ponderetur, fons, & origo est omnium malorum. Non absque causa igitur dicit Christus parentibus, NESCIEBATIS; vt innocentes admonendo, nocentes & arguat & terreat, & ad frugem bonam adducat. Quod si quæris quæ scire te sit necesse: ecce disertis verbis docet te Christus dicens.

QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI SVNT OPORTET ME ESSE Scire igitur tenemur, quæ sunt patris nostri cælestis, id est, (vno verbo) quod Deus vult nos & scire ad credendum, & intelligere ad operandum; ac proinde & vera credere, & bene operari obligati sumus. Et circa hæc discernenda, atque diiudicanda totum extremi iudicii tempus à Christo IESV consumetur. Quæ enim sunt patris æterni eadem sunt & filii, eadem & Spiritus sancti. Quorum. n. est eadem essentia, est & eadem voluntas, est etiam idem imperium. Itaque intuere, & audi, quid Christus Dominus velit in suo vltimo decreto, (quod tibi manifestare voluit) & certò tibi persuadeas, hæc eadem esse PATRIS cælestis, in quibus OPORTET te ESSE. Atque iuxta hæc examina conscientiam tuam, & præpara tempestiue, quid tunc respondeas. Testatum reliquit filius Dei se condemnaturum non facientes opera bona; multò magis testatum esse voluit, se condemnaturum

Quid scire teneamur.

NOTA.

Iudicii diuini materia.

Mat: 25: 41.

Similitudo. eos, qui faciunt opera mala. Nam ex teipso experimentum, & iudicium cape: Molestum est tibi cùm seruus mandata tua non exequitur; sed multò adhuc fers grauius, cùm cognoscis illum contraria planè iussis patrasse tuis, tum temporis enim arguis maximè, in-
Rigor iudicii. crepas, castigas, punis. Idem à Deo tuo expecta, & aliquid amplius. Audisti enim quo-
Ps: 47.3. modo cùm acceperit tempus, iustitias iudicabit: quod fecisse illum etiam in hac vita nonnunquam testantur historiæ. Sufficiat illa
Ab exemplo. quæ Carthusianorum ordini occasionem dedit. Doctor ille mortuus piùs putabatur ab hominibus: verùm à Deo talis inuentus non est, ita vt condemnatum se esse fateretur.
A simili. Nec mirum solum Deum id nosse: si enim solius & periti trapezitæ est, quales & quanti precii sint gemmæ quæuis, aut lapilli preciosi diiudicare; vnde frequenter contingit imperitos ita in hoc errare, vt vitrum lapilli preciosi loco magno sæpe persoluant precio: quantò magis de Deo & sentire, & loqui debemus, illum solum esse, qui precium conscientiarum nostrarum optimè nouit? Nouit an aurum, an verò aurichalcum ibi splendeat, nouit num virtus, num species tantum
Heb. 4.13. virtutis in cordibus nostris lateat. *Omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius* ait Apostolus. Non solũ abditæ cogitationes nostrę, sed & intẽtiones & ipsa medulla intẽtionis, vt meus D. inquit Aug: Est igitur quod pertimescamus,

mus, est quod nobis iudicioque nostro non fidamus, præsertim in nostra causa, in qua amor proprius, ita oculos mentis excæcat nostræ, vt sæpe vitium turpissimum, virtutis actus nobis esse videatur. Ideò remedium est adhibendum.

Quid remedii? Excellentius vix reperiemus, quam, tum quod iam tractare cæpimus: tum quod hac sententia saluator noster Iesus nos docet. Si n. continuò ante oculos mentis meæ mihi obuersaretur QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI SVNT OPORTET ME ESSE, quid non mali fugerem? quid non operarer boni? sunt quædam dicta sacræ scripturæ, in primis verò quæ ex ore filii Dei altissimi prodierunt, quæ ad totam vitam nostram sanctè transigendam abundè sufficerent; si & in memoria nostra semper voluerentur, & executioni mandarentur. Talis est hæc, de qua tractamus Christi Maxima. Ea enim & tentationes omnes a nobis profligare, & veternum àc negligentiam nostram in tractandis rebus diuinis excutere, & (vt dixi) vniuersa mala vitare, bona verò exequi facile possemus. Exemplis aliquot datis res lucidior fiat. Tentaris a Sathana, & suadent tibi cogitationes tuę fornicationem, ebrietatem, fraudem, vindictam propriam, & sexcenta alia his similia, vel etiam deteriora: Responde in corde tuo: QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI SVNT OPORTET

IIII. MEM: Remedia duo.

1. Thematis cõsideratio.

Praxim NOTA.

ME

Me Esse: Iſta verò tantum abeſt, quòd ſint patris mei cæleſtis, vt etiam ſint ei ſummoperè contraria: ideo non audio, non acquieſco, non faciam. Abſit. Similiter rident te ſocii, quòd frequẽter cõfitearis & communices, quòd deuotioni inſiſtas, abſtrahunt te alii, vel iidem, vel etiam cognati, à ſanctis quæ concepiſti deſideriis, mutandi vitam in melius, ingrediendi religionem, Deo te deuouendi: Reſponde non corde tm̃, ſed etiam ore: Nescitis qvia in his qvæ patris mei (imò & veſtri, ſi illum præ oculis habere velletis) Oportet me esse? ne igitur impediatis meum propoſitum, ne retrahatis, ego enim non obedio vobis, ſed Deo: non legi carnis, ſed Regi ſæculorũ: diſcedite à me, non audio. Eadem verba valebunt, ad propulſandam in nobis omnem pigritiam, & in diuinis rebus tractandis puſillanimitatem. Eadem ad omne opus bonum benè, & alacriter perficiẽdum. Eadem denique ſunt, quibus omnia opera noſtra, ac vniuerſa, quæ nobis occurrunt ſiue facienda, ſiue relinquenda examinare, ac verſare, ac ſecundum iſta gerere nos debemus. Quicquid enim obuenerit tibi, his verbis excute, & expende, dicasque in corde tuo: eſt ne hoc opus Patris Mei cæleſtis, nec ne? Et ſi quidem eius eſſe cognoueris, perfice: ſin minus, relinque. Nonne iam apertè vides hoc Chriſti axioma quanti ſit momenti, quantæ

excel-

excellentiæ? Inde igitur collige quantæ etiam vtilitatis. Tantus equidem fructus inde nobis prouenire potest, vt maior esse nequeat. Inde enim & gratiam diuinam obtinebimus, & eam conseruare studebimus, & si in illa perseuerauerimus, quod omnium maximum est, vita perfruemur æterna. Fructus inde.

Quam ad rem iuuabit etiam plurimùm timor sanctus, de quo tota hac concione egimus, & ad quem nostros discursus direximus. Timorem verò sanctum & apprimè salutarem incutere nobis possunt, quæ vel dicta, vel insinuata fuerunt, tum á Christo, tum ab Ecclesia. Et sunt profectò hæc admiratione dignissima. Nam consueuistis vos parentes, cùm timorem incutere, & in officio continere vultis liberos vestros; arguere, atque etiam percutere famulos, aut ancillas vestras, licet innocuas, & culpa carentes, vt filii vestri petulantes id videntes metuant, ac ad frugem se recipiànt. Verùm hic videmus planè contrarium. Duriusculè etenim tractãtur, & quodammodo arguuntur parentes á Christo domino, innocentissimi, vt tu seruus & mancipium vilissimum, id considerando timeas, & exhorrescas. Neque verò id tantum facit filius Iesus Matri suæ sanctissimæ Mariæ, sed & pater filio, Deus Deo idem præstat: quod obstupescens Apostolus inquit: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quis hæc vnquam

2. Remediũ

Timor sanctus cuius argumenta.

1 Innocentũ punitio.

NOTA.

A dissimili.

Ro: 8. 32.

quam audiuit? puniuntur iusti vt timeant peccatores; vapulant innocentes, vt emendentur rei, patiuntur liberi filius & mater, vt perhorrescant serui, & mancipia? O admirabilis diuina ordinatio! O incompræhensibilis dispositio! Cuius si grati erimus, benè nobiscum agetur: sin minùs væ, & iterum iterumque, væ væ nobis. Nam quem nunc puerulum humi sedentem aut etiã iacentẽ conspicimus, eum certò certiùs aliquando (vt monet Ecclesia) in excelso throno residentem intuebimur. Quando *ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius*, quando cæli mouendi sunt & terra: quando veniet *in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate*; quando aderit, & adorabit eum multitudo Angelorum, illi quidem psallentium, nobis verò ingratis indignantium vnanimiter in vnum: quando hæc, vel his similia verba proferet Christus IESVS; nunquid non te monui, & exemplo, & verbo; QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI SVNT OPORTET te ESSE? Tu verò quomodo hæc perfecisti? imò quid non contrarium fecisti? quando non meam, vel patris mei, sed inimici mei dæmonis voluntatem expleuisti; quando cum illis contra me conspirasti, quãdo nec scire voluisti, quæ te scire oportuit, nec facere, quæ non ignorasti? quando socius dæmonum potiùs, quàm bonorum Angelorum esse elegisti; ito igitur in tenebras exteri-

2. Iudicis terror.

Ps. 96. 3.

Mat. 24. 30

. Exprobratio ac sentẽtia.

exteriores, & sis socius illorum in æternum.

Quid cogitas ô homo, in peccatis sepulte? quid meditaris? si hisce non credis, quomodo Christianus nuncuparis? Si credis, quomodo ad cor non redis? Conuertere obsecro, conuertere ad pænitentiam. Ecce humilis tibi monstrat, quomodo sublimem timere debeas. Reuertamur igitur dilectissimi, reuertamur, & ingredientes in penetralia cordis nostri quæramus. Quid cogitas ô anima mea? quid contemplaris? Vidistin puerulum Iesum vel humi, vel in scabello demissè sedentem? & tñ tum temporis Doctores in stuporem vertentem, ideòque terrentem, cùm stupori timor sit coniunctus? si talem vides, dum vsque ad terram sese humiliat, qualem videbis, quando de altissimo cælorum habitaculo veniens, etiam iustitias strictè iudicabit? Audistine eundem puerum Iesum, paulò quasi acerbius parentes alloquentem suos, quid tu tibi de teipsa hac in parte persuades ô anima mea? si taliter tractat parentes, quibuscum statim reuersus est NAZARETH, ET ERAT SVBDITVS ILLIS, illis inquam Mariæ, & Ioseph sanctissimis, & purissimis: quid agetur tecum ô turpissima & præuaricatrix anima, quæ toties Deo tuo restitisti, toties inobediens fuisti, toties iugum creatoris tui excussisti? Creator subditus est, creaturæ suæ, & tu creatori tuo neque in superioribus tuis, quos loco sui tibi reliquit; neque in perso-

CONCLVSIO per Apostrophen summã dictorum cõtinens.

persona ipsius, quæ tibi salutaria mandat, vis obtemperare? Intellexistinè etiam quomodo idẽ Iesus arguit, quodãmodo & quærentes se, licet id cum amore fecerint, & ignorantes, quæ nescire poterant? Quid ergò fiet tecum, quæ scienter, & voluntariè à te perditum, aut pænitùs quærere neglexisti, aut ad multum temporis id distulisti, & denario vno minoris Christum æstimasti? Quod si quæsiuisti eum, fecisti id vel propter temporalia, vel modis illicitis. Quid præterea tecum agetur, quæ ea in quibus OPORTVIT te ESSE ignorasti; quia non solum scire ea neglexisti, sed etiam ne illa scires ideo procurasti, vt liberiùs peccare posses? Hæc mente reuoluamus dilectissimi, & timore sancto sanctam in nobis excitemus pænitentiam, ac fusis lacrymis dominum deprecemur vt dimissis peccatis nostris, faciat nos IN HIS QVÆ PATRIS ipsius sunt semper esse, vt deperditum quæramus, quæsitum innueniamus, inuentum custodiamus, & ad finem vsque vitæ nostræ retineamus, præstante eodem Domino nostro IESV Christo, qui cum patre in vnitate Spiritus sancti viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum Amen.

SPONSAM CHRISTVS DITAT, SPONSVM IPSA HONORAT.

CONCIO SECVNDA Fides.

Ex præ-

EX præſtantiſſimis & clariſimis Eccleſiæ Christi figuris atque notis, eæ haud inter poſtremas, ne inter primas dixerim numerandæ ſunt; quæ ex natura ſponſi, ſpõſæque deſumuntur. Quemadmodum enim ad cognoſcendam illuſtrem aliquam familiam, nihil eſt efficacius, quàm noſſe coinugũ nobilitatem, naturam, gentileſque domus illius conſuetudines pari ratione ad cognoſcendam *domum Dei* (quæ eſt Eccleſia teſte Apoſtolo) &, familiam Christi hæc noſſe cõfert plurimum. Iam verò Christum eſſe ſpõſum, ſponſamque habere, ſi quis contentiosè negauerit, neſcio an ſolo etiam nomine tenus inter Christianos eſſet cenſendus; adeò tum veteris, tum noui teſtamenti, hac de re ſunt clara teſtimonia. Quid enim aliud ſapiens agit integro illo libello, quem canticum canticorum vocamus, quàm hoc ipſum demonſtrat. Vt præcurſorem ipſius Ieſu interim taceam, diſertis id affirmantem verbis, cùm de illo loquens inquit: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi* (ſeipſum notat Ioannes Baptiſta) *qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Quid Christus nonne ipſe ſponſum ſe eſſe fatetur loquens de ſeipſo & diſcipulis ſuis ac dicens: *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* ſponſus igitur eſt Christus, ſponſa verò Eccleſia, teſte Apoſtolo, cùm de matrimonio diſſerens ſubinfert. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego*

Coniugiũ ſpirituale ſignum Eccleſiæ.

A ſimili.

1 Tim: 3. 15

Christus ſponſus.

Io: 3. 29.

Mat: 9. 15.

Eccleſia ſponſa.

Eph: 5. 32.

Natura vtriusque.

est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Iam verò quis non solum qui Christianum, sed etiã qui hominem tantum se esse nouit, negauerit, quod naturæ ipsi insculptum esse videt, nempè solere sponsum quidem sponsæ dona tribuere; sponsam verò honestam ac legitimam non solum sponsum, sed amicos etiam sponsi venerari, obsequentem sponso esse, illumque quantum potest in vita & moribus imitari consueuisse. In quacunque igitur congregatione hæc reperientur, eam veram ac legitimam Christi IESV familiam, quæ verò contrario progreditur modo, illã adulteram esse; cuilibet, luce meridiana clarius enitebit. Hoc verò nos, Euangelio hodierno insistentes, hac concione demonstrare instituimus.

PROPO. quadripartita.

Primum itaq; considerabimus donum quoddam hoc Euangelio adũbratum, quod inter alia multa Christus dominus sponsæ suæ Ecclesiæ in terris reliquit. Deinde quam vicissim gratitudinem illi sponsa declarauit cùm in aliis, tum verò in eo, quod & spõsum suum summo honore prosequatur, & amicos ipsius veneretur, Præterea docebimus quonammodo sponsa sponsum suum sapientissimum, & castissimum non obseruare tantùm, sed & quãtùm in ipsa est imitari consueuerit. Postremò qua ratione vera in terrîs Christi Ecclesia fictaq; inde cognosci possit ostendemus. Tu Christe Iesu da, vt ita hæc perpendamus,

damus, quò viua membra sponsæ tuæ esse, & in finem perseuerare, valeamus.

I. PARS Christum dona reliquisse Ecclesiæ probatur.

Ps: 67.19.
Eph: 4.8.
1. Ex script.

Ditissimus ac liberalissimus Christus Iesus dominus noster, *ascendens in altum* innumera & eximia valde *dedit dona hominibus*, sponsæ videlicet suæ, quæ ex hominibus constat, ac omnes fideles complectitur. Ex quibus quidem donis haud exiguum est facultas constituendi & dispensandi multa in iis, quæ ad ordinem, necessitatem, ac vtilitatem Ecclesiæ pertinent. Si enim quædam ex iis concessa fuerunt á Deo ancillæ id est synagogæ veterem legem complexæ, quanto magis decuit vt Christus dominus Deus multò plura huius etiam generis largiretur sponsæ suæ Ecclesiæ? Decuit equidem ideoq; fecit. Qua de re pulchrè, & profundè (vt assolet) disserit Apostolus, ac ex figura *Abrahæ duos filios vnum de ancila, & vnum de libera* habente, conuincit Galatas (ad legis cæremonias redire volentes) Synagogam ex ancilla, Ecclesiam verò ex libera procreatam esse. Quod experientia etiam ipsa nos docet.

2. Ex discursu D. Pauli.
Gal: 4.22.
Gē: 16.15.
Gē: 21.2.

3. A simili.
NOTA.

Quemadmodum enim paterfamilias qui caret vxore, ipse per se famulis, & ancillis suis ordinat omnia siue quæ ad victum, siue quæ ad vestitum, siue quæ ad ordinem domesticum pertinent: postmodum autem sponsa habita, hæc & alia generis eiusdem vxori tractanda, & constituenda concedit, ac committit. Ita Deus sapientissimus & beni-

gnissimus in veteri quidem testamẽto singula etiam minima per se præscripsit; nempè quid ex carnibus & piscibus manducare, à quibus abstinere, quomodo vestiri, cum alii;
Nũ: 15.38. tum verò Leuitæ & sacerdotes deberent, nec nõ quibus vti cæremoniis, quas coinquinationes fugere, quæ & quomodo festa celebrare ac quomodo sexcẽta alia obire tenerentur, ipse illos edocuit, ipse dictãdo Moysi famulo suo omnia præscripsit: quorũ tamẽ nil in nouo testamẽto fecit, sed omnia sponsæ suæ Ecclesiæ ordinãda reliquit. Cur quæso? ideo videlicet, vt & differẽtiã ab Apostolo notatã animaduertas, & pro tanto beneficio, quas potes, gratiarum actiones illi agas, habeasque perpetuò. Nihilominus quamuis in illa le-
4. A minori ge tam exactus fuerit Deus, vt & constituere omnia per semetipsum & in omnibus dubiis peti á se consilium vel mandatum volue-
Nũ: 15.38. rit: (cuius rei exstant exempla in illa lege;
Num: 9.6. quale fuit de eo, qui ligna in sabbatho colligebat, de iis qui pascha suo tempore celebrare non poterant, & his similia; minuta sanè) nonnunquam tamen aut concessit, aut ratũ, gratumque habuit, quæ á Synagoga, siue superioribus eius circa obseruationem quarundam rerum, quæ lex illa præscribebat immutata, & dispensata fuerunt. Quare si hoc in le-
Act: 15. 10 ge illa rigida & iugo quod *neque patres nostri* (ait princeps Apostolorum D. Petrus) *neque nos portare potuimus*, obseruabatur, & permitte-

mittebatur, quantò magis id concedi debet legi, & iugo gratiæ dulci? de quo ipse saluator ait. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* *Mat:11.29*

Itaque sit ratum firmumque hoc axioma, notam verè Christi in terris Ecclesiæ continens. Ibi est sponsa Christi, vbi est potestas tum constituendi ordinandiq; omnia, quæ ad festa, ieiunia, cultum, cæremonias, & his similia pertinent: tum dispẽsandi circa multa etiam ad ipsum vsum sacramentorum (salua illorum substantia) spectantia pro rerum, temporum, & locorum varietate. Huius notæ primam partem probabimus Deo dante, quando de ieiuniis, vel aliis, quæ in ea includuntur, agemus: altera verò eius pars, totidem fere verbis in Conc. Trid: expressa in hac concione tum ex Euãgelio quod præ manibus habemus: tum ex aliis sacræ sripturæ locis nobis comprobanda erit. Sit igitur hoc ex fundamento iacto, & deducto argumentum. Fuit potestas in antiqua lege dispensandi, circa aliqua, quæ lex illa præcipiebat, aut vetabat: Multò igitur magis id in noua lege reperietur. Valere id argumentandi genus ex Apostolis Petro, & Paulo, imò ipso Christo ostendimus. Iam propositionem ipsam demonstremus. Primum ex Euangelio, deinde aliunde exemplis petitis. In Euangelio habemus (immediatè ante ea quæ recitauimus) hæc verba. *Et ibant parentes eius per omnes*

Axioma. Signum Ecclesiæ facultas dispensandi, quod probatur.

Sess: 21: cap: 2.

1. Ratione.

2. Exemplo ex Euãgelio

Luc: 2.41.

ſed etiam pueris eius permittit ſacerdos manducare hos panes. Qua auctoritate? contra apertum mandatũ Dei teſte etiam ipſo Chriſto, qui dicit *ſolis ſacerdotibus* licuiſſe eos edere? Non alia profectò, niſi auctoritate ſummi pontificatus, quo tunc Achimelech fungebatur. Inde enim poteſtatem habuit in talibus & ſimilibus neceſſitatibus diſpenſandi etiam in lege diuina. Quod ita ipſe Chriſtus dominus approbat, vt contra impios murmuratores hoc exemplo ſeſe tueatur. Vnde multa habemus. Primùm quidem fuiſſe talem poteſtatem etiam in illa lege. Secundùm Iudæos id ex traditione habuiſſe. In tota n. ſcriptura non oſtendent nobis hæretici, vbi hæc poteſtas expreſsè data fuerit à Deo ſacerdotibus. Poſtremùm multò magis id competere legi gratiæ: nam præter dicta, & dicenda, ipſe Chriſtus dominus eo, quo nos argumentandi modo (quod à minori ad maius nuncupatur) hîc vtitur.

5. Ex facto Ezechiæ Reges. 55. Eſt & aliud exemplum Regis Ezechiæ, qui totam ſolennitatem paſchalem tranſtulit

2 Par: 30. 1 in alterum menſem contra apertum Dei mãdatum qui ſtrictè præcipiebat, vt primo mẽſe paſcha celebraretur. Ideò ipſe etiam Moyſes, cum quibuſdam perſonis particularibus

Num: 9. 6. qui ex tactu mortui, immundi erant, noluit diſpenſare, ſed conſuluit dominũ, quid hac in parte facto eſſet opus: accepitq; reſpõſum in duobus tantum caſibus diſpenſari poſſe,

alias non: Ait n. Deus: *Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis.* Ibidem 13
Videtis quàm rigidè id Deus pręcipiat? & quanta cum pæna? & quomodo nonnisi duo genera hominum nempè immundos, & absentes excipit, & de personis tantum particularibus loquitur? At verò Rex Ezechias penè omnia his contraria fecit. Primùm totam solennitatem Paschæ in alium mensem transfert, quod nunquam nec antea, nec post factum legimus, Secundò, quia non sigillatim cũ aliquibus personis; sed in vniuersum & secum, & cum toto populo dispensat. Tertio, quia fecit hoc, etiamsi nullam ex illis caussis habuerit, propter quas Deus id olim concesserat, sed aliam longe diuersam. Denique non scribitur, qua id auctoritate effecerit: (Quamuis apud nos certum sit non Regem cum cõsiliariis suis, sed summnm Pontificem, qui tunc erat, in eo dispensasse) illud cõstat, rem istam adeò parui momenti non fuisse, cùm propter legis illius austeritatem, quæ minimarum etiam rerum strictam requirebat obseruationem: tum propter figuram. Pascha. n. Iudæorũ Christi passionẽ denotabat teste Apostolo, cùm inquit: *Pascha nostrum immolatus est Christus:* Christus autem dominus non secundo, sed primo mense immolari in cruce pro salute humani generis debuit; quod & fecit. Dicant igitur nobis hære- 1. Cor: 5. 7.

tici, & directè respõdeant velim, rectè ne hæc facta fuerint in illa lege, necne? Si ritè facta esse negabunt, non solùm sanctos viros, & fæminas, nempè parentes Christi, Annam prophetissam matrem Samuelis, Dauidem,
Eccl: 49. 5. & Ezechiam, qui ex tribus illis Regibus Iudæorum fuerunt, quos scriptura asserit non peccasse; sed ipsum etiam filium Dei (quædã ex his approbantem) condemnabunt. Sin id verebuntur, vereantur etiam & erubescant suam inscitiam, & temeritatem, qui id con-
Gal: 4. 22. cedunt ancillæ Agar, absque vllo scripturæ testimonio, quod Saræ liberæ concedere nolunt; licet ea & scripturam pro se adducat, & exempla plura ac excellentiora habeat.

6. Ex D. Paulo. NOTA. Scripturam pro se & pro hac veritate adfert Ecclesia legitimè in sancto concilio con-
1. Cor: 4. 1. gregata, ex D. Paulo, qui inquit: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ecce verbum etiã ipsum di-
1. Responsio hæreticorũ regeritur. spensationis. At inquiunt de prædicatione hoc intelligitur, vt ex aliis locis patet. Quis negat? verùm non de hac solùm (hoc verò vocabulum, sola, quæ mala in eorum fidem non inueit?) Quo teste? Ipsismet hæreticis: qui officium ministrorum Christi duplex ponunt, prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum. Nonne apertè videtis ex illorum sententia quid sit esse di-
2. Respõsio retorquetur. spensatores mysteriorum Dei? Aiunt; sed vos Papistæ aliter dispensatoris & dispensati-

onis nomen sumitis, videlicet pro immutatione rerum quarundam quæ sunt in scriptura, præsertim circa administrationem sacramentorum; ideoque communionem sub vtraque specie in vnam commutatis, & alia facitis his similia. Ita sanè sumimus: quia hoc quoque ad dispensatoris munus pertinet, vobismet ipsis iterum testibus. Quot enim sunt in sola Eucharistiæ administratione clara in scriptura, quæ vos non obseruatis? vt est tempus vespertinum, vt fiat post cænam, vt præcedat comestio agni paschalis, vt adsit lotio pedum, & alia. Quo iure? vbi de hac dispensatione vel immutatione quicquam in scriptura? Dicite vos qui Euangelici vocari vultis, & nihil præter scripturam vos facere apud imperitam plebem gloriamini: ostēdite hac de re in Euangelio, aut etiā toto nouo testamento vel vnicum iota, vbi in his dispensandi facultas detur. Respondent hæc non esse de substantia sacramentorum, ideò relinqui, vel immutari posse. Contra. Primùm quidē. Fatemini igitur esse potestatem dispensandi in Ecclesia etiam circa ipsa sacramenta (quātò magis circa alia) Hoc verò quid est aliud, nisi ex vno ore (quod dicitur) simul calidum & frigidum? Asseritis coram plebe non esse in terris potestatem dispensandi, siue immutandi, siue addendi, siue minuendi aliquid ex iis, quæ sunt clara in scriptura: priuatim tāen contrariū conceditis & ipsi factitatis? Vbi est

3. Responsio regeritur.

Mat: 5.37. bi est illud *sit sermo vester, est, est, non, non?* O quam seuerum vos Dei iudicium manet ni resipiscatis!

Peto præterea, quis vobis dixit illa, quæ recensuimus non esse de essentia sacramenti, alia verò esse? proferte scripturam, qui asseritis & pro concionibus, nec vobis credendum esse, nisi claram adferatis sripturam. stupẽda sanè cæcitas, ne dicã insania. Vni, vel altero Ministro dicẽti absq; vlla scriptura, hæc esse de essentia, illud verò nõ credere, vniuersę verò Ecclesię hoc ipsum discernẽti atq; decernẽti credere nolle, quę potest esse maior in re-

4. Respõ: retorquetur. rũ natura stultitia, ne dicã dementia? At inquiunt, hac ratione posset nobis Ecclesia auferre etiam totum sacramentum, prout nobis aufert partem illius. Posset equidem si esset synagoga Sathanæ, vt est vestra; in qua hoc ipsum nõ videmus tantum, sed & palpamus: abstuletunt Anabaptistæ sacramentum Baptismi infantibus, abstulerunt sacramentarii pręsentiam corporis Christi in Eucharistia, abstulerunt Lutheriani, & omnes alii tot sacramenta, quot illis collibitum est; & adhuc cæci sumus? Ceterùm sponsa Christi Ecclesia hoc non potest, alias n. redundaret error in magistrum Deum. Ipsa n. regitur á spiritu sancto, ideò securi sumus, & diuinam prouidentiam, Christique gratiam laudare non cessamus.

In quibus fieri possit. Petes, quæ ergo sunt in quibus potest Ec-

clesia

clesia dispensare, vt hac in parte securi esse possimus? Quamuis hæc quæstio ad scholas pertineat, nobis verò satis esse debeat euicisse contra hæreticos, esse talem potestatem in Ecclesia Christi, ad consolationem tamen Catholicorum, & conuersionem aberrantium, omissis disputationibus dico ex effectu optimè & facillimè id cognosci posse. Quacunque enim in re Ecclesia aliquando dispensauit, illud non fuisse de substantia siue sacramenti, siue stricti iuris diuini, ego quidem certò mihi persuadeo. Memini enim quid Christus dominus Petro tale quid sciscitanti responderit dicens: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens: quem constituit dominus super familiam suam?* Quæ verba non solum Petro, sed etiam de Petro, & de successoribus eius dicta esse non ambigo. Docet n. IESVS se Petrum talem dispensatorem Ecclesiæ suæ constituturum; quod & fecit. Nam ita se rẽ habere experientia per mille quingentos & ampliùs annos nos docuit. Credo itaque & firma fide teneo, sapientissimum & prudentissimum IESVM, talem dedisse & constituisse Ecclesiæ suæ siue vnum *dispensatorem* (vt illum hîc ipse vocat) siue plures, quibus nõ solum regimen commisit domus & Ecclesiæ suæ; sed etiam illos edocuit, & edocet, in quibus dispensare possint, vel non possint. Si enim inter homines prudentes, patresfamilias id facere consueuerunt œconomis, & dispen-

dispensatio
NOTA.
Luc. 12. 42
Ostenditur ex scriptura
A simili.

dispensatoribus suis, quibus & curam familiæ commitunt & facultatem res dispensanditradunt, quantò magis sapientia patris id pręstitit. Dispensatorem verò quem fidelem & prudentem futurum Christus prædixit, & prophetauit nihil contra fidelitatem suam facturum vnquam, quis dubitabit, qui Christum ipsam esse veritatem nouit?

Denique exemplis noui testamenti axioma probatur.

Verùm doctrinæ Apostolicæ addamus exempla, in quibus vsus huius potestatis in nouo testamento apparet euidenter. Et omisso illo, quod aliquoties repetitur in actis

Act: 2.38. *Act: 8.16.* *Act: 10.48* *Mat: 28. 19.*

Apostolorum: *Baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* vnde quidam colligunt Apostolos etiam formam ipsam Baptismi à Christo traditam immutasse: id enim non constat apud omnes. Illùd certum est, ab ipsis Apostolis dispensatum fuisse, vt mersio in aqua in Baptismo fieri solita, ad id non requireretur. Quomodo n. tam pauci Apostoli *circiter tria millia* hominũ aliquot horis baptizare potuissent, si omnes in aquam non solum descendere, sed etiam immergi debuissent? Similiter in dispensatione sacramenti Eucharistiæ nõ pauca à D. Paulo vel addita vel mutata fuisse constat. Is n. inquit: *Si quis esurit domi manducet*, quod tamen non legimus vel requisiuisse, vel fecisse Christum in institutione huius Sacramenti Insuper plura adhuc se mutaturum promittit dicens: *Cætera autem cùm venero, disponam.* Ex quibus illud fuisse

Act: 2.41. *1 Cor: 11. 28. & 34.* *Ibi: ℣ 34.*

iſſe creditur, vt ieiuno ſtomacho Euchariſtia ſumatur, quod etiam ab Hæreticis obſeruari video: licet nihil hac de re in ſcriptura habeant, & ſciant Chriſtũ in inſtitutione huius Sacramẽti cõtrariũ feciſſe. Qua auctoritate igitur id immutarunt, cùm & talẽ poteſtatẽ eſſe in Eccleſia negent, & traditiones reiiciant? Sed & in matrimonio tale quid videmus. Nam Chriſtus dominus diſertis verbis aſſerit non eſſe dimittẽdam vxorem *niſi ob fornicationem*. At verò Apoſtolus eius Paulus id concedit etiam propter infidelitatem, non obſtante illa Chriſti particula excluſiua, *niſi*. Imò permittit etiam tranſire ad alias nuptias, vt omnes & ſancti, & doctores colligunt ex illis verbis, *Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi*: ac proinde id ab initio Eccleſiæ ſeruatum fuit ſemper, & nunc obſeruatur, ſicut & alia, quæ recenſuimus. *Mat. 19.9* *1. Cor. 7. 15*

Quare concludamus & argumentum & punctum iſtud totum hoc dilemmate. Quæro ab aduerſariis. Eſtne in Eccleſia poteſtas, immutandi & diſpẽſandi in quibuſdam, quæ ſunt expreſſa in ſcriptura, ſiue in inſtitutione Sacramentorũ, ſiue in aliis, necne? & quamcunque partem elegerint, conuincuntur ipſi non eſſe in Chriſti Eccleſia. Nam ſi conceſſerint eſſe talem poteſtatem in Eccleſia, ipſi profectò in illa non erunt qui nõ ſolum ſe ſegregarunt ab ea congregatione, quæ id aſſerit; ſed etiam hoc nomine eam & inſectantur, & Anti- Hinc oſtenditur hæreticos non eſſe in Eccleſia. 1

Antichristi congregationem esse asserunt, vel blasphemant potiùs. Quod si negabunt talem potestatem esse in Ecclesia, duplici ratione demonstrabunt se non esse in Christi con-
2 gregatione. Altera, quia hæc potestas sẽper fuit in Ecclesia, minus quidẽ in veteri, multò plus autem in nouo testamento, vt pro-
3 batum est. Altera, quia dùm quod negant ipsi in synagogis suis publicè faciunt, opere ipso fatentur, se non in Christi, sed in Antichristi esse congregatione. Notam ñ. quam Antichristi esse aiunt ipsi in se gerunt.

Sed esse datos in reprobum sensũ. NOTA. Modum & exempla. *Ro.1.28.* *2Tess.2.11.*

Et videte obsecro (quod paulo ante tetigimus) quomodo vt in aliis ita hac in parte dati sint *in reprobum sensum, vt credant mendacio* qui veritati credere noluerunt, & quomodo à patre mendacii deludantur & turpiter, & euidenter. Hæc est ñ. Hæreticorum consuetudo accipere quidpiam, quòd est in sacramentis minùs principale, & ita huic rei mordicus & temerariè inhærere, vt etiã quod præcipuum & substantiale est sacramenti, omninò tollatur. Qua in re impletur in illis quod Saluator noster dixit Patribus eorum Pharisæis. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Verè enim ita se rem habere nimis est euidens in omnibus. Nam Anabaptistæ dum insistunt trinæ in flumine mersioni, in qua totam Baptismi vim & deuotionem posuerũt, auferunt interim totum Baptismum non solum infantibus, sed etiam adultis prout non

Mat.23.24

In Anabaptistis.

raro

rarò vidimus,& videmus. Similiter ſacramē- In Caluiniamis.
rum, dum & vtramque ſpeciem cum Lutheranis, & ſeſſionem ad menſam in præſentia multorum (ideò ægrotis Euchariſtiam dare recuſant) & alia his ſimilia mordicus & pertinaciter defendunt, præſentiam interim corporis & ſanguinis Chriſti Domini ex ſacramento tollunt, Chriſtumque inde toto abeſſe cælo aſſerunt. Egregia ſanè pietas, de accidentibus contendere, ſubſtantiam verò ipsā è medio tollere. Quid dicam de Lutheranis In Lutheranis & cæteris.
& aliis? Idem omninò. Hi enim dùm pertinaciter calicem exigunt, ſeipſos corpore Chriſti priuant. Quot. n̄. iam habent ſacerdotes qui ſacramentum illis conficere poſſunt? Vix aliquem, minor. n̄. eſt iam per diuinam gratiam Apoſtatarum numerus, quàm antea fuit. Dum verò illis laicus panem & calicem porrigit, tantundem eſt ac ſi Iudæus, vel Machometanus aliquis id faceret. O iuſta diuina iudicia: ſpecies deſiderarunt, ſpecies ipſa re vacuas, tam Lutherani, quàm Caluiniani & omnes alii habent: poteſtatem datam à Chriſto Eccleſiæ, diſpenſandi in quibuſdam minutioribns hæretici oppugnarunt, ipſi verò nulla habita poteſtate, maxima & eſſentialia quæqe immutarunt, abiecerunt, conculcarunt. Quis hæc non demiretur? quis diuinam non laudet ſapientiam? quis non videt quomodo hominès iſti, dum excolant culicem camelum glutiunt fœdè à dæmone

O deluſi?

delusi? Orate pro illis dilectissimi diligenter, vt aliquando tandem à tanta cæcitate liberati lumen veritatis recipiant, ac in eo secundùm diuinam voluntatem sanctè ambulare studeant. Nos verè ad alia ranseamus.

II. PARS Ex sponsæ gratitudine deducitur.

Vidimus quomodo sponsus Christus potestatem dispensandi in quibusdam sponsæ suæ Ecclesię liberaliter concesserit: videamus iam quam sit illa grata, & huius & aliorum ab eo beneficiorum acceptorum. Inter alia, autem gratitudinis signa, illud est non leue, primum de benefactore ipso, deinde de amicis eius benè sentire, eosque colere venerari, aduersus obtrectatores. Hoc verò præstarę Dcclesiam Catholicam Romanam, secus autem sese gerere eos, qui ab ea segregati sunt, tùm aliũde, tum hinc quoque patet. Isti enim accepto scandalo ex hodierno Euangelio, & Christum IESVM filium Dei minùs aliquando fuisse sapientem, & tum amicos eius Apostolos, tum ipsam etiam matrem ipsius sanctissimam peccatricem extitisse non minùs impiè, quàm pertinaciter asserunt.

Apud hæreticos non esse Ecclesiã.

Romana è contra Ecclesia Christum Dominum non solùm in hodierno Euangelio, sed etiam adhuc in vtero matris, imò in ipso instanti suæ conceptionis, sapientissimum semper fuisse; matrem verò illius Mariam virginem neque in eo actu, quem hodiernum describit Euangelium, neque aliâs vnquam peccasse, non solùm asserit; verumetiam cõtra o-

Sed apud nos.

tra omnes omnium calumnias protegit, tu-
eturque. Quis igitur hinc quoque non ani-
maduertit, quænam ex his congregatio sit
Christi in terris Ecclesia? an hæc, quæ opti-
mè & de ipso, & de matre eius sentit, an ve-
rò illa, quæ vtrique aut ignorantiam, aut
peccata appingit?

At nos inquiunt veritatē docemus. Quid
si mendacium, quod propinauit vobis pater
omnis mendacii Sathan? Certè de peccatis
Benedictæ virginis non vnum, sed & multa,
& crassa nimis protulistis mendacia. Osten-
dimus iam id ex parte in prima, quam de hoc
Euangelio habuimus concione, ostendemus
sequenti die Dominico pluribus, quãdo vos
quoque plura accummulabitis non Sanctissi-
mæ matris Dei, sed vestra propria peccata.

Mendaces esse hæreticos.

Nunc de Christo agamus, quem fuisse aliquã-
do ignorantem non solum antiqui Arriani,
Samosatani, Photiniani, & noui Seruetiani,
Gentilistæ, Anabaptistæ, sed etiã Caluinus,
ac Lutherus cum suis sentiunt. Nec mirum
id quidem de prioribus, qui hoc tantum de
Christo quod de aliis hominibus credunt: at
de cæteris qui Deum illum fuisse fatētur, mi-
rum illos eo dementiæ deuenisse. Nunquid
non possumus occinere eis illud Dauidicum?
*Et stulti aliquando sapite: qui plantauit aurem non
audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Dicã
n. eis similiter, qui omnem efformauit intel-
lectum sine intellectu erit, & fons omnis sa-
pientiæ,

Monstratur quomodo omnes hæretici Christũ ignorantem faciunt.

Ps: 93.8.

Cuius probatur cõtrarium. pientiæ, ſine ſapientia reperietur? Neque verò mihi reſpondeant ſe diuinitati quidem id concedere, de humanitate verò negare. Nam

1. Ex Ioan: *Io: 1. 14. & 16.* D. Ioannes poſtquam dixiſſet, *Et verbum caro factum eſt?* teſtatur illum fuiſſe *plenum gratiæ, & veritatis*: & ſubiungit: *& de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et ita nos credimus de hominè Deo Chriſto IESV, nempè quòd quam primum *verbum caro factum eſt plenum gratia & veritate*, ideoque ſapientia illum fuiſſe & *de plenitudine eius nos omnes accipere*, & *gratiam pro gratia*, & ſapientiam pro ſapientia, ac proinde vt hæc omnibus dare poſſet animam illam ſanctiſſimam ab inſtanti ſuæ conceptionis plenam fuiſſe & gratia & ſapientia confitemur: Et non ita plenum vt alii ſancti pleni eſſe dicuntur ſed ſuperabundanter plenum vt inquit Ioannes ita vt non ſolum plenitudini huic nihil addi potuerit, ſed etiam in alios qui gratia & ſapientia digni inuenti ſunt inde ſuperflueret. Hæc nos de anima il-

2. Ex natura incarnationis. la ſanctiſſima ſentimus & credimus. Et certè qui illam admirabilem & incompræhenſibilem verbi cum anima & carne humana cõiunctionem humiliter contemplabitur, tantum abeſt, vt de eo dubitet vt contrariũ pro impoſſibili ſit habiturus, Animaduertet enim mens pia, ac Deo deuota illam Chriſti animam, quæ (vt omnes aliæ humanæ animæ) ſpiritualis eſt, verbo diuino, quod ipſe quoque Spiritus eſt, hypoſtaticæ vnitam

tam

tam turpem defectum, quanta est inscitia & ignorantia, sustinere minimè potuisse. Itaque stupendam illam vnionem consequebatur statim & gratia & sapientia tanta, quantam anima illa sanctissima capere potuit, potuit autem capere suo modo infinitam.

Quòd verò hæretici illis verbis hodierni Euangelii, ET IESVS PROFICIEBAT SAPIENTIA, ET ÆTATE, ET GRATIA APVD DEVM, ET HOMINES scandalizati, & ad hanc impiam de ignorantia Christi sententiam adducti fuerint, mirum non est. Quot enim sunt in scriptura ipsa etiam luce meridiana clariora verba, ex quibus tamen ipsi scandalum acceperunt? Propterea non mirari, sed recordari vos oportet, quid Christus Dominus responderit Apostolis ad hanc quæstionem. Cum. n. illi dixissent. *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Respondit Iesus inter alia: *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Tales omninò isti. Ducatum præbent cæcis, quasi ipsi sint videntes, cùm nihil videant, sed tantùm palpent vt talpa: & contingit illis, quod cæcis mutuò sese ducentibus. Fit enim nonnunquam, vt is, qui præcedit palpato vno qui in itinere est lapide moneat alios vt sibi caueant, quod dum faciunt & cauent vnum, vna cum duce impingunt in alium, quem non viderant vicinum lapidem; ita istis euenit, qui videntes vnum scripturæ locum paulò obscuriorem, nec pōderan-

Cur hæretici facilè scādalizentur.

Mat. 15. 12

Ostenditur ex scriptura

Item à simili.

derantes aut videntes quid alibi dicat scriptura, impingunt & conquassantur & ipsi, & quibus ducatum præbent. Fatemur verba hæc Euangelii aliquid habere difficultatis, ideò per faciliora interpretanda sunt. Et quia & illa, quæ iam ex D. Ioanne attulimus, & alia quæ nos docent caruisse Christum omni ignorantia multò sunt clariora, quàm quæ in Euangelio hodierno leguntur, ideò per illa, hæc interpretari debemus.

Regula interpretandi scripturam.

Dicimus itaq;, verba Euangelii hodierni, & alia his similia. non esse adeò abstrusa. Nã illam tantum habent difficultatem, quomodo puer Iesus profecisse dicatur in sapientia, & gratia coram Deo, cùm alibi plenus esse dicatur, & plenus superefluenter? Neq; solus Ioannes id asserit, sed & Paulus de Christo inquit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Et verò cùm Apostolus nõ assignet tempus in quo hæc in Christo cæperint, quis nisi impius & præsumptuosus dicere audeat, fuisse tempus quando hæc non competebant Christo & fuisse qnando de illo verificabantur? Nos verò intelligentes vt verba sonant dicimus & omnes thesauros nullo excepto, & semper ex quo tempore Deus homo esse cepit, in Christo non solum quatenus Deus fuit, sed etiam vt homo erat, omnes thesauros scientiæ absc̃oditos fuisse: quia Apostolus de Christo IESV loquitur, quæ nomina vtramq; naturam complectuntur.

Quid difficultatis sit in Euangelio.

Col. 2. 3.

Probatur 3. ex Apostolo Christi pueri sapientia.

Sed ad

Sed ad Euangeliũ redeamus, in quo hæc ſola eſt difficultas, quomodo Chriſtus dominus & plenus gratia, ſciẽtia & ſapiẽtia fuiſſe dicatur; & tamen in his creuiſſe aſſeratur idq; corãDeo. Nam de hominibus nullum eſt penitus dubium: ita enim ſenſim hæc manifeſtabat, vt ſicut ætate, ac gratia, ita etiam ſapientia proficere ab omnibus iudicaretur, verum quonã modo hæc etiam apud Deum locum habebãt conſiderandum eſt.

Enodemus igitur hæc verba, & enodem9 ea vt ipſi volunt per aliam ſcripturam. Quamuis autem ea, quæ allata ſunt, ſufficerent ad id, vt cogantur Hæretici dare iudicem, qui inter me, & illos ſine errore decernat, quis noſtrũ verum dicat, cùm vterq; pro ſua ſentẽtia ſcripturam adducat: tamen addamus alia, vt conuertantur, & viuant, & reſpondeamus ad hoc non vno, ſed duobus modis. Quæris itaque quomodo Chriſtus dicatur profeciſſe in ſapientia apud Deum, cum ſecundum nos plenus illa fuerit, ab ipſa conceptione? Reſpondeo primo, eo modo, imò multò etiam faciliori id dici, ſicut dicitur Deus cognouiſſe quod ab æterno iam ante bene nouerat. Nunquid non aperte id quod dicitur in Euãgelio, intellectu eſt faciliùs quam illud? Faciliùs n. poteſt quilibet intelligere quomodo quis dicatur profeciſſe in ſciẽtia, qua antè prçditus fuit, quam quomodo dicatur ſciẽtiam acquiſiuiſſe, quam multò ante perfectè habuit.

Explicatur Euangeliũ per aliam ſcripturam dupliciter.

1. Per inſtantiam.

habuit. Id verò de Deo dici, testatur ipse Deus sic loquens ad Abrahamum, de excidio Sodomæ. *Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita vt sciam.* Quid? Tuné id ignorasti qui omnia scis ab æterno? tuné dubitas an sit ita, quod ita esse etiam homines, & vicini omnes nouerât? Similiter eidem Abrahamo filium immolare volēti ait Deus *Nūc cognoui quod times Deū.* Tune ò Deus id nescisti, quod ipse in animo eius formasti? Ad hæc igitur (multis aliis omissis, aliâs contra alios adferēdis) velim mihi aduersarii respondeant, & quicquid respōderint pro se capiant, & à me idem responsum habeant. Insuper parent etiā responsum ad illud argumentum à maiori seu difficiliori.

Gē: 18. 20.

Gē: 22. 12.

2. Directè.

Secundo respondeo ad interrogationem per aliā scripturā, per illam videlicet D. Pauli. *Et quidem cum essèt filius Dei didicit ex iis quæ passus est obedientiam.* Audis in Christo fuisse varia genera cognitionis! Num asseuerabis filium Dei antequam pateretur ignorasse quid esset obedientia? Itaq; habuit Christus dominus scientiam & sapientiam diuinam, habuit & infusam, habuit & beatam, & in istis tribus non proficiebat, habuit & quartam, quā ex D. Paulo siue experimentalem siue obedientialem vocare possumus: & in hac sola proficiebat. Vis exemplum ex scriptura? Cape, vt tandem deponas cæcitatem. Sicut n. primus Adam per infusam sibi in creatione scientiam

Heb. 5. 8.

In Christo quadruplex scientia.

Exemplo id illustratur.

entiam, per quam *cunctis animantibus & volatilibus quæ Deus adduxit ad* eum, indidit nomina, sciuerat etiam, quid esset labor, quid sudor, quid terræ spinas & tribulos producentis duritíes, quæ tamen post maledictionem alia scientia, praxi videlicet & experientia didicit: ita secundus Adam in ipso momento conceptionis suæ nouerat omnia scientiâ infusâ, longè etiam excellentiori, quàm primus Adam habuit, quædam tamẽ ex his didicit postea experientiâ vt testatur Apostolus, & de hac scientia optimè intelligitur, quod dicitur in Euangelio illum profecisse in sapientia sicut coram hominibus ita coram Deo: quia quod verum fuit coram hominibus, verum etiam erat apud Deum, nihil enim veritas IESVS fictè vel simulatè agebat. De gratia verò nulla est difficultas, proficiebat ñ in illa quatenùs & sibi resurrectionem, quędamq; alia, & nobis omnem gratiam, ac bona merebatur vniuersa à Deo. Gẽ: 2.19. Gẽ: 3.17.

Neque verò desunt aliæ scripturæ sanctæ testimonia, quæ hanc Catholicorum confirment sententiam Perstringamus aliquot ad laudem Iesu & ad consolationem Catholicorum, conuersionem verò aberrantium. Primum sit ex veteri testamento, celebre illud, quod D. Hieronym: maximi, vt par est, fecit, & inde hoc ipsum quod nos deduxit. Illud inquam Ieremiæ, qui admirabile hoc mysterium considerans inqui: *Creauit Dominus no-* Ier: 31.22. Probatur 4. pueri IESV sapientia ex prophetia.

Hier: in hunc locū. *uum super terram, fæmina circumdabit virum.* Hoc n. tum temporis impletum est, quando virgo sanctissima Maria, vtero suo circumdedit Iesum, qui vir erat non ætate, sed scientia, & omni sapientia. Nouum quid sanè, nec antea, nec post auditum super terram, sed hæc Deo dante aliquando vberiùs pertractabimus.

Item 5. ex facto Ioannis Baptistæ. Luc. 1. 44. Ad nouum testamentum veniamus vbi illud, quod de Ioan: Baptist: mater ipsius Elisabeth testatur dicens: *Exultauit in gaudio infans in vtero meo,* plurimum apud me momenti habet. Talis n. qualis hæc fuit exultatio in gaudio, sine intelectuali amore esse non potuit: amor verò intellectualis cognitionem requirit, cognitio vsum rationis præsupponit sciens igitur & sapiens fuit Ioannes clausus adhuc in vtero matris: & Iesus ignorans erit? Quod concedimus saltem in parte præcursori, seruo, puro homini; non concedemus in toto Messiæ, Domino, Deo incarnato? quæ maior esse potest cæcitas & pertinacia? O si audiretis quid SS. Patres Græci, & Latini hac de re scriptum reliquerunt, puto quod & vos quoque exultaretis in gaudio: Verùm scitis nostri instituti non esse longas Sanctorum Patrum sententias in medium proferre: qui vult legat S. Chrisost: copiosè & pulchre (vt assolet) introducētem S. Ioannem, adorantem de vtero in vtero infantem Iesum miraque dicentem, & Ambrosium eadem

Chrisost: apud Metaph: mēse Iulio.

Amb: lib: 2

adem

adem consideratione sese oblectantem cum Bernardo & aliis; nos nostra agamus. *in Lucā. Ber:ho:2. sup missus est.*

Postremùm sit haud postremi & valoris & consolationis, si diligenter quis meditetur, quod facite quæso, ego enim leui tantùm illud manu attingam, gustum eius vobis relinquendo. Est verò illud & Apostoli, & Dauidis. *Ideò ingrediens mundum* (ait Paulus) *dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio* Relinquo concordem differentiam inter Apostolum & vatem, & quomodo vnus explicat alterum, hoc solùm accipio, quòd nostro subseruit instituto. De Christo sermonem esse nemo dubitat, qui *ingrediens in mundum* non antea vtique, quàm primo conceptionis suæ die, tunc enim primum in mūdo esse cæpit, quando vitam humanam in vtero virginis matris inchoauit. Et *tunc dixit. Ecce venio* quod testatur vterque. Nos verò increduli erimus Spiritui sancto, & in vet: & in nouo testamento idem testanti? Absit. Credimus igitur illum tum temporis in illo instanti conceptionis suæ dixisse hæc, quæ audis verba sapientiæ plenissima, quibus loco omnium veteris testamenti sacrificiorum obtulit seipsum patri æterno, in odorem suauitatis, in vtero adhuc matris constitutus. Abeat nunc ergò antiquus serpens, & per ministros suos susurret, Christum ignarum & insipientem fuisse,

6. Ex D. Paulo & Dauide

Heb:10.5. Ps:39.7

ac vt alios homines secundum ætatem, in scientia profecisse: tu verò Catholice mi confortare, & esto robustus, mendacia ipsius reiiciendo, & quos potes veritatē instruēdo.

Sensus verborum Euāgelii.

Sensus itaque verborum istorum (vt tandem concludamus) hic erit Christus IESVS, filius Dei, & filius virginis, Deus incarnatus quamuis à prima die conceptionis suæ fuerit *plenus gratiæ & veritatis* siue sapientiæ vt de illo testatur D. Ioannes, vel vt paulò ante noster dixit Euangelista. *Et gratia Dei erat in illo*, etiam si inquam fuerint hæc, & ita fuerint in illo, *vt de plenitudine eius nos omnes acciperemus*; tamen PROFICIEBAT SAPIENTIA, quotidie maiorem omnibus sapientiam suam demonstrando. ET ÆTATE, secundùm illam crescendo; ET GRATIA, eam in singula momenta magis magisque demerendo, APVD DEVM ET HOMINES, id est, Deo, & hominibus omnia approbantibus, & probantibus. Omnia ñ. dicta, factaque Christi Domini placebant vniuersis vsque ad diem illam, qua Pharisæi inuidiâ exagitati, ei resistere cæperunt. At inquit hæreticus in verbo illo APVD DEVM est Hebraismus. Nihil. ñ. aliud id significat quam verè: verè ergò proficiebat Christus in sapientia. Respondeo, quamuis falsum sit in scriptura nihil aliud hanc phrasim significare: tamen ne contentiosi esse videamur sit ita. Quis verò Catholicorum dubitat, verè ita se hæc habuisse

Io: 1. 14.

Luc: 2. 40.

Obiectiò soluitur.

buisse prout exposuimus? sicut ergo verè dixit Deus Abrahamo. *Nũc cognoui quod times dominũ*, licet id nosset ab æterno, tũ quia feci vt id alii quoque cognoscerent; tum quia factũ Abrahæ approbauit. Ita iisdem de causiis hic dicitur Christus profecisse SAPIENTIA CORAM DEO, id est, verè, quia verè sapientia ipsius; & manifestabatur omnibus hominibus & approbabatur à Deo, imò & ab ipsis quoque, quibuscum versabatur hominibus. Constat itaque & vera scripturæ per scripturam in Ecclesia interpretatio, & eius erga Christum obseruantia, & hæreticorum tum impietas; tum vanitas, qui vocant se Euangelicos, cùm non sint. Gē:22.12.

Vltimum quod in hac concione tractandũ suscepimus, est, demonstrare, quo nã modo sponsa Ecclesia sponsum suum Christum non solum reuereri, sed etiam imitari consueuerit, memor quid & ab ipso, & ab Apostolis eius audiuerit. Ipse enim Christus per lotionem pedum, discipulis actu eximio humilitatis exhibito, inquit: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ecce exemplar imitationis. Princeps verò Apostolorum testatur Iesum nobis exemplũ dedisse, *vt sequamur vestigia eius*. Paulus verò clamat: *Estote ergò imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Hæc igitur & his similia sciens & ponderãs Catholica Ecclesia quantũ potest (potest autem eo adiuuante plurimùm) Christũ imitari

III. PARS Quomodo sponsa Ecclesia sponsum Christum imitatur.

Io: 13.15.

1Pet.2.21.

Eph: 5.1.

tari

tari ſtudet, ſecus verò faciunt, qui ſe ab illa ſegregarunt. Exempla multa ſunt nimis. verùm nos in hac concione illis tantum, quæ nobis hodiernum porrigit Euangelium contenti erimus.

1. Faciendo ea quæ non obligatur.

Sit primum, ſicut Chriſtus & mater ſua, iuerunt hodie ad ſolennitatem, licet id facere obligati non eſſent; Chriſtus quidem, quia erat ſupra omnem legem: Maria verò quia lex non niſi Maſculos obligabat: ita Eccleſia docet (& per membra ſua facit) poſſe, & optimè fieri à quouis aliquas deuotiones, ad quas lege conſtricti non ſumus; hæretici verò omnia eiuſmodi reiiciunt, imò ſuperſtitiones vel maledictiones uocant & maledictis inſectantur.

Ex: 23. 14.
Deu: 16. 16

2. Peregrinãdo ad loca ſacra.

Secundo, Chriſtus dominus peregrinatur ad templum Ieroſolomitanum, deuotionis cauſa, idem fieri ad loca ſancta & docet & facit Eccleſia Catholica; ii verò qui ab ea aberrarunt, quibus id conuiciis non lacerant? quomodo nos Deum quaſi non vbiq; præſentem quærere inclamitant? Scilicet Chriſtus ignorauit Deum eſſe vbique, & tamen Deum Hyeroſolymis quærebat. Idẽ ſibi Hæretici de Catholicis perſuadeant velim, quod ſi facere nolunt, iudicium ſuum ipſi portabunt, nos Chriſtum noſtrum imitari nunquã deſiſtemus.

3. Parentes propter Chriſtum relinquẽdo.

Tertio Chriſtus inſciis, imò afflictis parentibus manet in templo, vt eſſet in iis quæ ad

patrem ipsius spectabant, idem fieri suadetur in Rom: Ecclesia illis, qui ad hoc munus vocantur à Domino, neque quicquam curare parentes aut cognatos ægrè id ferentes, dissuadentes, eiulantes. [Per calcatum perge patrem siccis oculis ad vexillum crucis euola] dicit Hier. faciunt multi. At verò Hæretici insultant, stultitiam vocant, impossibile denique esse autumant. Proh pudor, pro vesania, tum suam prodere effrenatam concupiscentiam: tum alienam scelestè rodere famã: tum verò impiè diuinam blasphemare gratiam, & adiutorium. Hoccine est impossibile, quod non solum à viris, sed & à fæminis, nõ tantum ab adultis, verum etiam pene à pueris non ad aliquot tantum annos, sed ad decrepitam planè ætatem factitatum, & factitari videmus? cuius exemplum ad huc in tenera ætate Cristus hodie dedit, quod postmodùm etiam consuluit, qui sicut præcipere, ita consulere impossibilia nõ potest vnquam? Quotiescunq; enim aliquid siue precipit, siue consulit, siue monet, siue commendat; toties ad id perficiẽdum auxilium & vires suppeditat sufficientes. Quod quidem auxilium & gratiam quia auctor omnium harum nostri temporis tragediarum & blasphemiarum Lutherus aut accipere noluit. aut accepta per apostasiam repudiauit, in illud impietatis & spurcitiei baratrum delapsus est, vt non solum virginem Deo dicatam ipse eodem, vel simili

Epist: ad Heliodorũ.

NOTA. Triplicẽ hęreticorum vesaniarum

ſimili voto adſtrictus violaret, ſed etiam factum ſuum turpiſſimum per ſcripturā impudenter defendere conatus eſt, hacq; ratione tum exemplo tum doctrina ſua infinitos Monachos & moniales ad ſimile ſcelus pellexit & pertraxit. Conferte obſecro iſtud Lutheri factum cum hoc Chriſti Domini, de quo habemus in Euangelio & obſtupeſcite. ſupra cæcitatem hominum iſtorum, qui & Doctorem talem ſequūtur, & videre nolunt, an ibi Eccleſia eſſe poſſit, vbi talia non ſolum impunè, ſed etiā cum laude aguntur. Sed de his aliâs plura; nunc reliqua pueri Chriſti facta, in quibus hæreticorum veſania magis etiam apparebit, recenſeamus.

4. Carnis mortificationem.

Quartū igitur habemus, quòd ſicut Chriſtus dominus corpus ſuum tenerrimum ieiuniis, vigiliis, inſtanti oratione, chameuniis id eſt ſuper pauimentum dormitionibus, & his ſimilibus hoc triduo mirum in modum afflixit & mortificauit; ita maiorem in modum Eccleſia Catholica per totum terrarum orbem diffuſa, hoc ipſum commendat, cum omnibus; tum verò monachis, religioſis, ſacerdotibus, & vniuerſis qui caſtitatem complexi ſunt, ſiue clericis, ſiue aliis, imò etiam ſecularibus. Nouit namque ſponſa mentem ſponſi, neque n̄. Ieſus id ſui cauſa fecit, qui corpuſculum ſpiritui habuit obſequentiſſimum, ſed noſtri ergô; qui talibus plurimùm indigemus: quæ ſi Lutherus cum ſuis ſincerè

& de-

& deuotè adhibuisset nunquam ad tantam peccatorum voraginem deuolutus fuisset: at verò contrarium factum est, fitque etiam nunc. Nam non solum iis non vtuntur remediis, verumetiam vtentes irrident, & remedia ipsa carnificinas vocant. O deplorandum genus hominum, phreneticisque persimile, qui cum sint ægerrimi, & sanos se esse reputant, & omnem medicinam non refugiunt modò & auersantur, sed etiam conuitiis & execrationibus lacerant. Mortificasse autem Christum Dominum isto triduo carnem suam quis dubitare audebit? Vnde enim lectũ mollemque culcitram cum puluinari habuit, in quibus recumberet? otiosusne aut dormiens in templo mansit, qui ab Anna fæmina optima ex templo non discedente, sed ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacante adorari & laudari voluit? quis verò illi cibum tulit? imò mendicato victitasse piè creditur. Phrenesis.

Postremum itaque sit, quia sicut Christus Iesus Dominus noster puer Sanctissimus: tria illa, quæ postea in consiliis posuit, multũ sibi placere declarauit in hoc Euangelio exercere voluit: castitatem inquam, paupertatem, & obedientiam. Exercuit enim castitatem, cum amica & conseruatrice ipsius mortificatione vt vidimus; exercuit paupertatem, nihil possidendo, & mẽdicatò viuẽdo, vt piè credimus: exercuit obedientiam parentibus sese subiiciendo, vt in Euangelio audimus. Ita Ecclesia 5. Consilia Christi sequenda.

sponsa eius hæc tria vehementer filiis suis cõmendat, votis etiam illa firmare consulit, ac quædam in precipuis membris suis (nam votum castitatis omnes Prelati habent), omnia verò in religiosis valdè approbat, & obseruat. E contra verò gens peruaricatrix quas non Philippicas contra hunc statum edit? quę scõmata non euomit? quomodo contrarium non operatur? quis pius legendo scripta, videndo facta eorum non obstupescit? Verterunt, Deo promissam castitatem in Sacrilegas nuptias, paupertatem in bonorũ Ecclesiasticorum direptionem, obedientiam in ipsis etiã Ethnicis exosam licentiam; nihilominus & Christi imitatores & vera Ecclesiæ eius membra dici haberiq; voluit. Diiudicet hæc quilibet cordatus, qui vel micam rationis habet, nos verò dicta in fasciculum colligamus & veram Ecclesiam inde demostremus, ac finem huic concioni imponamus.

Impietas hæreticorum.

IIII. PARS Ex dictis vera Christi Ecclesia demonstratur

Quare cùm & ex scriptura, & ex ipso quod signatum est super nos in ipsa creatione lumine naturali constet, spõsi naturã & cõsuetudinem esse, sponsæ sua dona vberrima largiri, muneris verò sponsæ est cùm amicos sponsi, tum verò sponsum ipsum & venerari, & quãtum fieri post imitari: Constat etiam profectò apud nos, qui per gratiam diuinam huius sponsæ membra sumus, veram Christi quam in terris habet Ecclesiam reperiri. Hic etenim dona à Christo suis relicta vberrima cernuntur;

Et summa dictorum.

tur; tum alia; tum facultas diſpenſandi in iis, quæ non ſunt aut de ſubſtantia Sacramentorum aut ſtricti iuris diuini; quæ poteſtas vt erat etiã in veteri teſtamento ſignũ veræ Dei Eccleſiæ, ita nunc tantò eſt excellentior, quãtò excellentiorẽ prę aliis facultatem à Chriſto hæreditauit. Hîc preterea honorantur amici Dei, inprimis verò mater Dei & ipſe filius Dei, quem ab ipſo puncto conceptionis ſuæ, Sapientiſſimum fuiſſe & docetur, & creditur. Hîc imitatores reperiuntur Chriſti tũ in aliis, tum in his quæ egit in pueritia ſua, & quæ nobis deſcribit hodiernum Euangelium. Hîc namque fiunt ad laudem Dei etiam illa ad quæ conſtricti lege diuina non ſumus, hîc peregrinationes ad loca ſancta ſuſcipiuntur, hîc inſciis imò inuitis etiã parentibus ac cognatis Dei vocationem multi ſequuntur: hîc afflictio & mortificatio carnis pro Chriſto & bono animæ ſuſcepta valde laudatur: hîc denique plurimi conſilia Chriſti ſequuntur, ac ad ea præſtanda Deo ſeſe deuouent.

2 (beside "hæreditauit. Hîc preterea honorantur amici"); 3 (beside "entiſſimum fuiſſe & docetur"); 4 (beside "deſcribit hodiernum Euangelium"); 5 (beside "conſtricti lege diuina"); 6 (beside "ctio & mortificatio"); 7 (beside "que plurimi conſilia")

E contrario verò cùm hæretici non ſolum Chriſto & operibus eius, ſed etiam ſubiipſis repugnẽt, quando poteſtatem talem eſſe in Eccleſia negant, & tamen ipſi ea impudenter etiã in iis quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorũ abutuntur, cùm præterea matrem Dei peccatricem, ipſum verò filium Dei aliqñ. ignórantem fuiſſe aſſerant, & tamen ipſi mulierculis etiã ſuis omnẽ adſcribunt ſcientiã quam

E contrario Sinagoga oſtenditur.

1 (beside "cleſia negant"); 2 (beside "abutuntur"); 3 (beside "catricem"); 4 (beside "rantem fuiſſe")

primum ad fidem eorum conuertuntur, quod Chriſto in puritia negant (videte quæſo ve-
5 ſaniam) cum denique non ſolum imitari Ieſum nō ſtudeant, ſed etiā Ieſu contrarium faciant, non ſolum n̄. nihil operari volunt, ad quod pręcepto diuino adſtricti non ſunt, ve-
6 rumetiam ipſa præcepta Dei prauis ſuis interpretationibus euertunt: non ſolum non
7 peregrinantur ad loca ſancta, ſed etiam tales peregrinationes conuitiis lacerant: non ſolum corpus ſuum non affligunt, vt ſpiritui ſit ſubiectum, ſed etiam mortificationem
8 carnificinam vocant non ſolum cōſilia Chriſti non ſequuntur, ſed etiam vota Deo facta violant tum in ſeipſis, tum in aliis: Cùm inquam hæc omnia faciant, euidentiſſimè non vno ſed multis nominibus demonſtrant, ſe neque fideles, ſed infideles eſſe, neque in Chriſti, ſed in Antichriſti congregatione manere.

Conclusio per exhortationem ad gratitudinē

Quæ cùm ita ſint, vt vnde cæpit hæc noſtra terminetur concio, per ego vos amorem huius ſponſi Eccleſiæ inclitiſſimi Chriſti IESV, perque merita eius oro, obſecro, obteſtor, vt & ii qui ex vobis ab hac ſponſa Chriſti (quæ alia non eſt quam Catholica Eccleſia) animis & ſancta conuerſatione aberrarunt, eo iterum reuertantur, vnde exciderunt; & vos qui per veram fidem membra ipſius eſtis fidei veſtræ gratitudinem ſanctāque operationem adiungatis. Grati ſimus dilectiſ-

lectissimi tum eorum quæ audiuimus: tum aliorum infinitorum, tum verò illiùs beneficii, quod nobis & Dauid, & Paulus expressit verbo illo, *Ecce venio*, quo verbo Christus Dominus patri suo se obtulit in ipso suo in mundũ ingressu, ac proinde in vtero matris virginis. His quasi patrem æternum alloquens verbis: scio pater mi tibi holocaustomata, & omnia veteris legis sacrificia non placitura ampliùs, scio adesse tempus, quo *qui immolat bouem quasi qui interficiat virum, qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem*, scio aliud te sacrificiũ desiderare, & non aliud quàm meipsum, ideò & *corpus aptasti mihi*. (Sic ait Paulus) & tanquã perpetuo seruo *aures perfodisti* (sic est in Hebræo apud Dauidem) seu *perfecisti* mihi, propterea pater æterne *ecce adsum*, ecce in carne assumpta confestim me offero tibi, paratus pro humano genere tibi satisfacere. Accipe igitur hoc sacrificium, & remitte delictum. Hoc est charissimi quod in verbis istis considerare debemus, & considerando gratias agemus pro tanto beneficio, quod tantum fuit, vt hic solus actus & oblatio Christi in vtero facta sufficeret ad redimendum genus humanum, sed non sufficiebat bonitati & liberalitati Christi, qui multò plura adiecit, vt esset *copiosa apud Deum redemptio*. Reddamus igitur illi quas possumus gratias pro tantis gratiis, & quilibet pro statu suo & viribus suis sanctis operibus eum

Is:66. *Heb:1.* *Ps:129.*

imitando studeat, vt viuum eius membrum efficiatur & permaneat hic & in æternum & in sæcula sæculorum Amen.

EVANGELIVM CVM DOCTRINIS.

CONCIO TERTIA
Spes.

Ps. 51. 10. Christus oliua fructifera.

EGo autem sicut oliua fructifera, in domo Dei, speraui in misericordia Dei, in æternum & in seculum seculi. Confitebor tibi in seculum quia fecisti & expectabo nomẽ tuum quoniam bonum est, in conspectu Sanctorum tuorũ. Liceat mihi: tum de pueritia Christi tum de spe in nobis excitanda acturo, verbis istis loco exordii hodie apud vos vti, scopũ enim vtrumque pulchrè mihi ob oculos ponere videntur. Hodie nãque puer Sanctissimus Christus Iesus in *domo Dei & orationis* (vt ipse templum illud vocabat) solus insciis omnibus mansit. Hodie *sicut oliua fructifera* edere fructum cæpit, dum & legisperitos in admirationẽ rapit, & tristes parentes lætitia implet, & omnes suo exemplo instruit. Hodie qui nil habuit quod speraret cum ab instanti conceptionis suæ sicut sapientissimus, ita beatissimus esset, ac proinde omnia quæ nos speramus re ipsa iam possideret, docuit tamen quomodo *in misericordia Dei* sperare nos oporteat. Hodie denique is, cui olim Dauid cantabat; *Confitebor tibi in sæculum*

Mat. 21. 13.

culum quia fecisti, factus pro nobis homo confitebatur in templo patri suo æterno *in conspectu Sanctorum* Angelorum eius, vt nos idem facere & in spe cantare in cordibus nostris domino *exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est*, doceret. Cuius quidem spei naturam, bases, auctorem, media, & fructus varios, in his duobus versiculis mirabiliter Dauid expressisse videtur, quæ nos circa finem concionis considerabimus. Sed prius viam ad id nobis sternemus, historiã hanc sanctam, quæ Christi Domini pueritiam describit diligenter intuendo & contemplando.

In hodierna igitur concione Euangelium lectum explicabimus, ac inde tum ad iuuentutem educandã, tum ad mores nostros corrigendos; tum ad spem Sanctam in nodis excitandam, doctrinas vtiles hauriemus. Tu *oliua fructifera*, imo ipse fons olei Christe Iesu da, vt ita & hæc perpendamus, & te imitemur, vt *de misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi* lætari mereamur. PROPO. Euangeliũ explicabitur & inde doctrinæ.

CVM FACTVS ESSET IESVS: Bene factus esse dicitur, quia illa hîc precipuè natura eius describitur, quæ facta est, humana videlicet, iuxta quam fuit tunc. Christi natura duplex

ANNORVM DVODECIM. Nam secundum diuinam naturam & factus non est, sed genitus; & annorum eius non est numerus. Ille enim est de quo Daniel. *Aspiciebam donec throni positi sunt & antiquus dierum sedit*: ille in- Dan. 7. 9.

 quam,

quam, de quo dicitur quòd nec principiũ annorũ nec finem habeat. Et secundum vtrãq; naturam auctor spei nostræ est; vt Deus in nobis illam creando, vt homo nobis eam merendo. Recurramus igitur ad eum dilectissimi, quia & potest, & vult eam nobis donare. Iuxta istam igitur naturam.

Christus vtroque modo spes nostra.

Spei materia.

ASCENDENTIBVS ILLIS, id est parẽtibus, Iosepho videlicet, patre putatiuo, Maria verò matre vera & legitima ascẽdentibus, ascendit & ipse Iesus eum eis, licet lege ad id minimè is constringeretur, qui erat supra omnem legem; sed docere nos voluit superogare Deo etiam illa, ad quę obligati nonsumus. Hoc enim facere magnam in piis fiduciam generare solet.

Pax quomodo acquiratur.

HIEROSOLIMAM autem ascendisse dicuntur, secundum litteram quidem; quia hæc vrbs in editiori loco erat, quàm Nazareth, vnde illi veniebant: secundum mysterium verò datur intelligi, vt is qui Hierosolymam vult ascendere, ex Nazareth id faciat. Nam Ierosolymam visionem pacis significare, Nazareth verò siue Sanctificatam & separatam, siue custoditam & floridam denotare scitis. Qui ergò ad visionem pacis cùm temporalis quæ in spe viua: tum verò æternæ, quæ in visione beata consistit, vult ascendere, separare se prius á peccatis per contritionem, ac sanctificari per Sacramenta, deinde super custodiam sui stare, & bonis operipus florere debet: tũc

enim

enim demum pacem videbit, quia *non est pax impiis dicit Domonus* apud Isaiam Prophetam. Is.48.22
Complaceant sibiipsis impii, & polliceantur pacem quantum velint, tu ne æmuleris illos, sed crede Deo, & fac quod doceris, ne vtraq; priueris pace. Ascendentibus igitur illis: tum parentibus: tum Christo Ierosolymam.

Bona puerorum educatio.

SECVNDVM CONSVETVDINEM DIEI FESTI, Paschalis videlicet, id enim paulò antè dixerat, Cur autem ad hanc solam festiuitatem itauerint in alia concione declarauimus: nunc morale quid notandum est & eximium sanè; tum pro parentibus, tum pro liberis: hi vt obediant, sicut Christus, illi verò vt doceant liberos suos deuotionem, catechismum, vt in templo frequentes sint, vt omnem pietatem colăt, quemadmodum fecerunt parentes Christi accipientes eum secũ ad solennitatam. Fitne idem à vobis? Fit non dubito; sed neq; ab omnibus, neque tàm frequenter vt oporteret, neque cum ea qua par est pręparatione. Quot enim sunt qui liberos suos docent rudimenta fidei Christianæ? vtinam faciatis omnes: sed vereor ne aliqui, vel etiam aliquæ doceant Filios, & filias suas prius seculares gesticulationes, & aulicismos; quàm diuinas cæremonias, & genuflexiones: ante cantillare sæcularia, ne dicam obscæna, & turpia, quàm diuina: citiùs maledicere, quàm Pater, Aue, Credo, & alia necassaria recitare. O quam seuerũ Dei iudicium eiusmodi pa-

Pessima & cauenda.

di parentes manet! ô quam ſatius fuiſſet libe-
Mat: 23. 15 ros non genuiſſe, quam feciſſe *filium gehennæ duplo quam vos* ipſi eſtis peiorem, tum deliciis, tũ ex emplo peſſimo corruptum! Propterea excidistis ſpe etiam Politica quam de illis habuiſtis quia deſperatè non Chriſto ſed Sathanæ eos educatis. Videant qui tales ſunt, & emendent tum in ſe, tum in ſuis hæc tempeſtiuè: quæ niſi hic emendentur ſine fine, & ſpe veniæ emendanda erunt in inferno. Et non ſolũ neceſſaria eos doceant, ſed audiant quod adiungitur in Euangel'o.

Continuanda deuotio. CONSVMMATISQVÆ DIEBVS ait, & dies intelligit octo, vt arbitror: tot ñ. in lege illa ſolennitatibus aſſignabantur, ſiue à Deo ſiue ex conſuetudine. Vnde aliam haurietis doctrinam & pro vobis, & pro liberis veſtris, nempè vt vos perſeuerantiæ in deuotione aſſuefaciatis. Fuit hæc laus olim gentis noſtræ, o Poloni, & Lituani mei (prout ipſi ad huc meminimus) orationes in templo ad multas etiam horas protrahere. Nec uerò parentes id tantum factitabant, ſed & liberos ſibi adeſſe volebant, quos ad duas, treſue horas in templo detinebant. Quo fiebat vt & multa euitarentur mala, & plurima orirentur bona. Aſſueſcebant ñ. puellæ aut piæ lectioni, aut continuæ orationi, filii cantui Eccleſiaſtico; omnes verò perſeueranti deuotioni. Quæ ſi propter malos lubricæ ætatis mores ac ſodalitates ad tempus ceſſabant, efferue-
Quis inde fructus.

ſcente

ſcente tamen ætate, quæ in pueritia ex conſuetudine in habitum tranſiuerant, facile iterum recuperabantur. Hinc frequens in templis hominum concurſus, non matutino tantum, ſed & veſpertino tempore viſebatur. Fit etiam nunc quidem in ſolennitatibus pręcipuis, ſed fiat frequentius obſecro, reſumptis antiquis & ſanctis conſuetudinibus. Ita enim & parentibus, & liberis ſpes erit in nouiſſimo, Conſumatis igitur diebus deuotioni aſſignatis.

Cvm Redirent Parentes Ieſu Naſarethum in Galilæam in domum ſuam. Remansit Pver Iesvs. Non ñ. illi ſufficiebat parentum deuotio, aliquid ãplius addere voluit, vt doceret eos, qui in ſorté ipſius ſunt vocati, communi deuotione contentos eſſe non debere, ſed tantòplus hiſce vacare, quantò in altiori candelabro Eccleſiæ poſiti ſunt, *vt luceãt omnibus qui in domo ſunt* Eccleſiæ. Optandũ vt fiat. Turpe ñ. eſt hominem Deo dicatum ab vxoratis ſæcularibus imò ipſis etiam mulierculis, in iis, quæ ipſius ſunt propria, ſuperari Remanſit autẽm Ieſus. Magis id faciant ſpirituales. *Mat. 5. 15.*

In Hiervsalem. Dicitur id vt arbitror, quia iam egreſſi erant é templo in Ciuitatem, vbi ſe Chriſtus à parentibus ſubduxit, & ibi manſit, ac poſtea in templũ rediit: quomodo, qua ratione, quo conſilio, ipſi ſoli eſt cognitum penitùs, qui nihil vnquam inconſideratè, ſed omnia ſapienter fecit. Sed de his diſſeruimus iam contra hæreticos: Nũç ſub-

iungamus aliquid morale cõtra eos, qui non-nunquam in solennitatibus relinquunt, & perdunt Christum dum epulis, scurrilitatibus detractionibus, turpiloquiis, ebrietatibus, & quæ hæc consectantur, luxuriis, contentionibus, rixis, pugnis, ipsis deniq; homicidiis vacant. Nostis exempla, nouimus & nos ac deploramus. Tantò autem infelicius tales vacui Christo domum remeant, quantò minus illis competit, quod sequitur.

Solenitates & peregrinationes.

ET NON COGNOVERVNT PARENTES EIVS. Vos enim sæpè cognoscitis, scitis, videtis, quod perdidistis Christũ. O deplorãda infelicitas ibi perdere Christum vbi inueniri debuit! Cur n̄. itis ad solennitates? cur ad loca sancta peregrinationes suscipitis? Nonne vt deuotioni insistatis? vt per Sacramenta Christo reconciliemini? vt per intercessionem illius sancti, qui ibi honoratur veniam peccatorum obtineatis? vno verbo, vt aut Christũ inueniatis, si gratiam eius perdidistis, aut per augmẽtum gratiæ, quod in Sacramẽtis datur, crescere in vobis illum faciatis? Si alio fine id facitis, minus dextrè operamini, mansissetis potiùs domi. Quod si hæc quam retulimus est intentio vestra, videte quanta calamitas sponte perdidisse, quod inueniri vel augeri debuit. Reuertimini obsecro ad cor ne in solennitatibus vestris inueniatur voluntas, vel etiam malitia vestra, ne Deum offendatis, ne animas vestras perdatis, ne iu-

Cur suscipiendæ.

Quãta mala in abusu.

niores

niores scandalizetis, ne deniq; nomẽ Catholicum blasphemari ab inimicis faciatis. Auditis enim quid hac de re loquãtur Hæretici, quàm grauiter insultent, quomodo inde suos in perfidia confirment, pusillos terreant, omnes subsanent. Scio factam aliquam emẽdationem post illa tempora, quando Lutherus cæpit venenum spargere suum, eo n̄ tempore, maximè hoc malum serpebat in illis prȩsertim partibus, & maximè in encæniorũ solennitate. Deferbuisse iam aliquantulũ huius mali flammã videmus, & diuinam sapipientiam làudamus, quæ in Ecclesia sua bonum per malos, & emendationem per inimicos suos efficere dignata est Non n̄. putandum est gratis esse Hæreticos in mundo, permittũtur namq; à Deo, vt vel ipsi conuertantur & viuant, vel per illos Catholici probentur, qui verè fideles sunt, vel abusus emendẽtur, quorum iste vnus est. Qui abusus tollantur obsecro è medio tum à magistratibus, qui prohibeant, imò euertẽdas curent tabernas, quæ eriguntur circa Ecclesias; & alia huiusmodi: tum ab omnibus qui caueant non tantùm peccata, sed etiam speciem peccatorum: tum verò in primis, à parochis & sacerdotibus, qui totis viribus prohibeant & impediant mala, excitent verò fideles ad opera bona, ad deuotionem, ad conciones audiendas, ad frequentanda Sacramenta; idq; cùm verbo, tum verò exemplo sancto faciant, rogo. Si

Tres causæ Curà DEO permittantur hæretici.

Remedia.

go Si n̄. nos seriò vitam moresque nostros emendabimus, Deus quoque auferet flagellum Hærticorū, eosque cessare faciet, quod optare & ab illo precibus efflagitare debemus obnixissimè.

Sed ad parentes Christi reuertamur; si priùs illud adnotauerimus magnam esse differentiam inter illam Christi mansionem, & hanc de qua iam disseruimus; nec non inter nos, & parentes Christi. Illi. n̄. inscii & inuiti Christum reliquerunt, nos scientes & voluntariè id facimus: illi absque vlla sua culpa, nos cum ingentibus sæpè peccatis. Ibi Christus sponte remansit, hic inuitus dimittitur, vel potiùs perditur & exploditur; proinde illos præmium, nos pænæ, ni conuertamur, manent. Sed, inquis, parentes Iesu etiam peccasse, quia debebant cognouisse an remanserit Christus Hierosolymis, nec ne. Hæc vox impiorum est hæreticorum, quibus respondetur; illos nec potuisse quidem id cognoscere, quomodo ergò obligabantur ad id, quod scitu illis erat impossibile? Nam vnde quæso nosse poterant? A Christo ne? At is consilium suum eis manifestare noluit. Ab aliis? At omnes ignorarunt. Ex seipsis? sed qui scirent quod in corde filii latuit? Latuit autem quia cęlare id eos voluit Christus, cælare autem voluit non ideò, ne fortè mansionem ipsius impedirent (id n̄. persuadere mihi non possum) sed quia ita expedire nouerat

Parentum Christi ignorantia vnde.

uerat is, qui omnia nouit; sed non omnia quæ nouit, manifestat. Sufficiat nobis ratio data, nēpè vt doceret iuuenes, quomodo se gerere debeant cū parētibus, si à Deo ad opus ipsius vocātur. Deniq; subiungitur causa cur id ignorauerint cum dicitur.

EXISTIMANTES AVTEM ILLVM ESSE IN COMITATV. Mós enim erat apud Iudæos, vt seorsim viri, seorsim fœminæ incederent. Id testantur & Doctores qui gentis illius fuerūt, & textus ipse. Quomodo enim poterāt existimare illùm esse in comitatu, si vnus tantū fuit comitatus, in quo simul omnes incedebant? Duplex igitur erat, fæminarum alter, virorū alter, pueris verò licitū fuit alterutri parti sese adiungere. Qua in re vtinam eos vos quoque imitemini. Nam promiscua ista vtriusque sexus peregrinatio, multa post se trahit peccata sæpe actualia, sæpius verbalia, sæpissime mentalia, de quibus Saluator *omnis qui viderit mulierem* (& mulier virum) *ad concupiscendam eam, iam mæchatus est eam in corde suo*. Quod quoties fiat, Deus scit, ideoq; ne fiat auferendæ sunt occasiones, Itaque propter hunc distractum comitatum, dum & virgo existimat Christum esse cùm Ioseph, & Ioseph putat comitari illū matrem suam.

Mos Iudæorum imitandus.

Mat. 5. 28.

VENERVNT ITER DIEI. Illius videlicet diei, quo Hierosolymis erant egressi conficientes tot, quot sibi condixerant milliaria.

Cùm.

Cùmq; ad locum destinatum peruenissent, & vidissent Iesum neque cum matre, neque cum patre esse.

Bene quærunt parentes Christũ inter cognatos.

REQVIREBANT EVM INTER COGNATOS ET NOTOS Id enim facere ius ipsum naturæ cogebat eos. Nam cùm Christum visibilem perdidissent, inter visibiles cognatos & notos quærere illum oportuit. At nobiscum secùs se res habet, quibus dictũ est: *Inimici hominis domestici eius*. Magnum paradoxum, sed verissimum; quia à veritate prolatum. Nec verò mirum. inuisibiliter enim in anima & in Spiritu (nam anima nostra Spiritus est) Christum perdidimus, frustra igitur eum in carne quæremus. Eueniet enim nobis quod sequitur.

Mat. 10. 36.

At nos malè.

Quia potiùs perditur.

ET NON INVENIENTES. Parentes quidem Christi non non eum inuenerunt, quia inueniri ibi noluit, sed in templo, nos verò quia tantum abest quod ibi inueniatur, vt etiam sæpè iam habitus perdatur, cùm inter COGNATOS tum inter NOTOS. Inter cognatos quidem: quia cognati sunt nobis secundum carnem & sanguinem, non secundum Spiritum cognati, quid ergò isti suadeant nisi quæ carnis & sanguinis sunt? At verò cognatio Spiritalis contrario planè procedit modo. Nam scriptum est quod *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* Christus in nobis nascitur, & nos in illo. Quare quid mirum si inter cognatos non

Tum inter cognatos.

Io: 1. 13.

tos non

tos non solũ non inuenitur, sed etiã perditur Christus? O quam frequẽter accidere id non modo videmus, sed & dolemus. Nostis exempla & antiqua externa, & domestica recentia. Hunc Pater à religione auocat, illum mater, voluptatibus perdit, alium sorores blanditiis corrumpunt, alium cognati tùm minis, tum pollicitationibus à recto itinere deflectere faciunt Magnum periculum: sed maius adhuc inter NOTOS vnde enim maior pars peccatorum, & quod peius est consuetudinũ in vitiis, indeque obstinationis prouenit, quàm ex malorum consortio? In scriptura & historiis infinita sunt exempla & prẹmonitiones; multò etiam plura, in vsu quotidiano. Adferamus pauca ex multis. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas* ait Dauid. Et Apostolus ex pöeta: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, quãtò magis consortia praua? quibus tamen plenus est mundus. Quamdiu vixit Ioiadas sacerdos, Ioas Rex Iuda benẽ̈se gessit, quia eius familiaritate vtebatur: *Postquam autẽ obiit Ioiada ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt Regem qui delinitus obsequiis eorum* factus est pessimus, & idololatra, & homicida imò propheticida: Occidit.ñ. Zachariam prophetam filium Ioiadæ à quo homo ingratissimus regnum obtinuerat. Tantùm valet adulatio (quæ hîc graphicè describitur) & amicitia ac societas malorum.

Exempla. Tum inter notos. Exempla. Ps:49.18. 1Cor:15.33 2Par: 24. 17. NOTA.

Q Sed in-

Quales socii adhibendi. Sed inquis NOTOS & familiares oportet nos habere. Sanè absque illis esse non possumus: ideò videndum & diligenter perpendendum quales ii esse debeant. Et hæc maxima parentum erga liberos cura esse debet, vt bonos eis adiungant socios, ne ætas tenera & lubrica in notitiam eorum, vel earum veniat, à quibus à teneris vt dicitur vnguiculis corrumpatur. O quam id est frequens domi & foris. O quam minima parentum hac de re cura, cum maximo suo malo. Videbunt aliquando miseri, qui nunc videre vel exequi potiùs nolunt. Corrigamus nos & liberos nostros obsecro, ne sine remedio corrigamur.

Præsertim pueris.

Cur Christus non inuenitur. Denique tam parentes, quàm nos Christum non inuenimus, quia non ibi eum quęrimus vbi est, sed ibi vbi non est. Non est.n. vt plurimum inter cognatos & notos, vt vidimus *nec inuenitur in terra suauiter viuentium* ait Iob; nec in consortio auarè colligentium, nec in numero superbiam exercentium, nec denique ibi, vbi illum plerumque mundus quærit, reperitur. Vbi ergò? Audi quid fecerunt parentes Christi.

Iob:28.13.

Vbi quærendus. REGRESSI SVNT IN HIERVSALEM inquit Euangelista. Idem nos quoque spiritualiter facere debemus. Ierusalem scitis visionem pacis denotare: Reuertere igitur vnde excidisti, nempè ad visionem pacis in anima tua. Examina conscientiam tuam, & reduc tibi in memoriam vbinam relinquis Christũ; quando,

quando, in quo actu, in vno, an in pluribus! Regredere ad visionem pacis, pæniteat te facti. Regredere non procedas vlteriùs de vitio in vitium, de peccato in peccatum, de malo in peius. Reuertere si hæreticus es, ex Babylonica confusione ad Hierusalem. Si Catholicus ab impietate ad pænitentiam. Imitare parentes Christi, qui licet sine culpa sua perdidissent Iesum, tamen cum summa diligentia eò regressi sunt, vbi illum reliquerant.

REQVIRENTES EVM. Ita tu quære & require diligenter: tantò maiori cum dolore, quātò magis voluntariè, & iniquè & scienter illum reliquisti, & post carnem tuam, mundum, & diabolum Christo exploso, iuisti. Si ñ. id cum ea qua par est, animi contentione feceris, eueniet quod sequitur.

ET FACTVM EST POST TRIDVVM INVENERVNT ILLVM. Magnum tridui mysterium. Sed prius literam videamus; arbitror tertia die parentes Iesum inuenisse. Nā prima die confecerant iter vnius diei, secunda verò reuersi sunt tantundem itineris emetientes, & Ierosolymam redeuntes, vbi postridiè inuenerunt illum. Neque deest talis phrasis in scriptura. Nam quod dicunt Matthæus & Marcus post sex dies factam transfigurationem, Lucas asserit *ferè dies octo* intercessisse, quia numerabat non solum intermedios, sed etiam alios dies; ita hîc idem D. Lucas eodem modo loquendi vtitur. Clarius

Triduum literaliter.

Mat. 17. 1.
Mar. 9. 2.
Luc. 9. 28.

Mat: 27. 63. Mar: 8. 31. autem est illud *post tres dies resurgam.* Mysteriũ verò tridui norunt Catholici: Sciunt. n. tres partes esse pænitentiæ, per quas Christus inuenitur: nec alius est modus illum recuperandi, quàm intensissimus dolor de peccato commisso, seu contritio valida, confessio integra, & satisfactio à confessore iniuncta. Ad hæc igitur tria recurrite quicunque Christum perdidistis, abiecistis, conculcastis, & inuenietis eum per gratiam ipsius.

Triduum spiritualiter

Fructus pænitentiæ.

IN TEMPLO SEDENTEM. In illo inquam templo, de quo Apostolus: *Vos estis templum Dei viui. Sicut dicit Deus quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Tantum valet pænitentia. Festinate igitur ad illam. Cæterùm est hic & alia doctrina scopo Euangelii inprimis seruiens, nempè educationi puerorum, de quo paulò post. Inueniunt itaque parentes Iesum in templo.

2 Cor: 6. 16 Leu: 26. 12

Officium discipulorũ

IN MEDIO DOCTORVM. O quam pulchra sunt ista tum pro parentibus qualem liberis educationem dare: tum pro Doctoribus, quomodo eos instruere: tum pro pueris ipsis quomodo se exemplo Christi gerere debeant. Sequitur insuper.

AVDIENTEM ILLOS ET INTERROGANTEM EOS Doctores videlicet audiebat, Doctores interrogabat. Hoc n. duplex est discipulorũ erga præceptores officiũ. Verùm quia is, qui vt puer interrogabat, erat

etiam

etiam vir ſapientiſſimus, & Doctorum ipſe Doctor, ideò ſubiungitur.

STVPEBANT AVTEM OMNES QVI EVM AVDIEBANT. Stupentes facit illos, quorum reſpectu alii homines ſtupidi erant: Doctoris enim eſt ſtupidos inſtruere. Quanta igitur hæc potentia, quanta ſapientia, illius quem Hæretici inſpientem fingunt? Ab ſit hoc à Catholicis, quorũ proprium eſt quàm optimè, & de filio & de matre ſentire. Quid verò hi Doctores ſtupent? Stupiditas hæreticorũ

SVPER PRVDENTIA ET RESPONSIS EIVS. Græci pro prudentia intelligentiam ſeu acumen habent. Quæ tamen omnia talia declarabantur à Chriſto, qualia ætatẽ quidem illam non excedebant, ſed tamen ætatis illius ſupremam prefectionem attingebant. Reſpondebat enim, vt duodennis quidem, ſed tamen vt perfectiſſimum duodẽnem decuit, qualis nec fuit nec erit vnquam, ita vt canos etiam in ſtuporem verteret. Et hæc erat Chriſti Domini in toto vitæ ſuæ decurſu conſuetudo. Omnia enim opera ſua omnibus circumſtantiis ornata: tam perfectè perficiebat, vt (exempli gratia) multò perfeſtior eſſet actio Chriſti quando manducabat carnes, & bibebat vinum, quàm comeſtio locuſtarum, vel laticis hauſtus, imò ipſum etiam ieiunium Ioannis Baptiſtæ. Quod obſeruatu eſt digniſſimuũ, ne imitemur imperitam plebem, quæ non modum operandi, ſed opus ipſum maximè con- Sapientiæ & operũ Chriſti perfectio notanda.

mè considerare solet: ac proinde ex Christo non solum plebs, & Pharisæi, sed etiam discipuli Ioannis iniquè scandalizabantur. Idem ne nobis contingat perperam in diiudicando minus strictiorem vitam prelatorum, ac aliorum in victu, vestitu, & similibus, cauendũ est. Scimus enim etiam ipsos Philosophos solo naturali lumine intellexisse, & iudicasse non tam rem ipsam, quàm modum bona benè operandi considerari oportere: ac proindè illi non tam opus, siue iustum, siue prudens, siue temperatũ, quàm iustè, prudenter, continenter & secundum virtutem factum laudibus extollebant. Quantò magis nos id facere decet? quibus precipitur non tam vt sobria, iusta, pia opera, faciamus; quàm *vt sobriè, & iustè & piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatã spẽ, & aduentũ gloriæ magni Dei*; quo tẽpore hec omnia & exactè, & excellenter diiudicabuntur. Hæc paulo còpiosiùs, sed, vt puto, vtiliter dicta sunto: tum propter Hæreticos, tum propter eos, qui ab illis infecti sunt, & multa hac in parte iudicia temeraria committere solent.

NOTA. In quo perfectio consistat.

Tit. 2. 12.

Iam ad nostra redeamus, & aliam doctrinam ex dictis verbis hauriamus. Audiuimus obstupisse Doctores ad responsa pueri Iesu. mirũ; at mirandũ magis cur non recipiebãt, cuius prudentiã acumẽque & videbãt & laudabant. Maximè verò omnium nosmetipsos mirari debemus, qui licet receperimus Christum

Stupendum quod non obstupescamus.

ſtum licet fidem in Baptiſmo illi dederimus, tamen quotuſquiſque eſt noſtrum, qui ſtupet ad opera Chriſti? tum ea, quæ olim fecit, tum illa quæ quotidie in nobis operatur? Quæ ſtupenda ſanè ſunt, ſed vſu apud nos viluerũt. Peiores igitur Doctoribus iſtis ſtupentibus ſumus, ideoq; videamus, ne ab illis condemnemur. Multò verò magis illo nomine id pertimeſcamus, quod inſtinctus Chriſti tum per ſe ad cor noſtrum: tum per concionatores ad aures noſtras loquentis, & ſalutaria documenta proponentis non ſolum non recipimus: ſed etiam conciones quidem fugimus, internas vérò admonitiones repudiamus, fidem denique operibus negamus, colligamus nos obſecro & obteſtor, vt nomini noſtro reſpondeamus. Chriſtiani ſumus Chriſtianè viuamus. Sequitur in Euangelio.

Et Videntes Admirati Svnt: quod de parentibus Chriſti intelligi arbitror, tum quòd iam de aliis dixiſſet, tum quòd iam pridem parentes id facere conſueuerant vt ante octiduum audiuimus. Si enim mirabantur quæ de illo dicebantur, quantò magis quæ ex ore ipſius procedebant eos mariri decuit? Ideò.

Et Dixit Mater Eivs Ad Illvm. *Luc. 2. 48* Cur non pater? Quia hæc fidentior, quia maiori erga filium amore æſtuans, quia aſſueta magis admirationi vt de illa teſtatur ſcriptura. Ac proinde admirans inquit.

NOTA Multa mysteria in paucis verbis B. V.

FILI QVID FECISTI NOBIS SIC! Paruum in literis, at magnũ eſt in affectu hoc vocabulum SIC. Videtur enim tribus literis tres vel quatuor affectus expreſiſſe, nẽpe admirationis, amoris, doloris & lętitiæ. Miratur plus quam Doctores: amat magis quàm Ioſeph, ideò ipſo tacente illa in verba prorumpit: dolet perditum, lætatur inuentum. Hæc inter alia ſignificat vocula SIC: Sed & reliqua verba eximia ſunt valdè. Sunt enim in ruinã Hæreticis, in conſolationem Catholicis, in interitum ſynagogæ, in ædificationem Eccleſiæ, in declarationem ſolliciti amoris matris erga filium [Res eſt ſolliciti plena timoris amor] ait ille licet impius, tamen verè. Omnia enim iſta in Maria vides, imò etiam plura. Nam quia amabat, ideò relictum dolebat, dolendo (ne abſens mali quid pateretur) timebat, timendo ſollicitè quærebat, quærendo tandem inuenit Ieſum, inuentum alloquitur. Qua cum lætitia? quis vel animo cõcipiat? nemo equidem. Meditentur hæc pii & ſpirituales viri imitarique ſtudeant, quoties ſeſe illis Chriſtus dominus occultat: blaſphemias autem impiorum Hæreticorum plus cane & angue deteſtentur, contra quos & egimus iam, & agemus poſtea: nunc interim reliqua virginis dicta conſideremus. Addit enim.

Ioſeph pater Chriſti dupliciter.

ECCE PATER TVVS putatiuus videlicet, imò & alio ſtrictiori modo pater Chriſti dici potuit Ioſeph; quia inter Beatiſſimã virginẽ & i-

& ipsum, verum intercesserat matrimonium: non n. carnis, sed fidei coniugalis coniunctio matrimonium efficit: hæc verò fuit inter virginem & Iosephum, ac proinde cum coniūx legitimus matris Iesu esset Ioseph, benè pater etiam Iesu dicebatur. Addit virgo.

Et Ego Dolentes Qværebamvs Te. Posteriori loco seipsam posuit, quamuis & vera Christi mater esset, & Iosepho longè excellentior, vt doceret modestiam, ac sibi amicam humilitatē, cùm omnes tum verò vxores: vt norint quomodo maritos honorare debeant suos. Dolebat autem & quærebat vterque: virgo, quia mater: Ioseph, quia talis nutritius, v amore erga Iesum omnes patres anteiret. Iam quid animi habuerint quærentes talem filium, domi vobis meditandum relinquo. Volunt quidam, illos quod olim, etiam nunc timuisse, ne ab Archeláó interciperetur, verùm quicquid sit hac in parte, quod á solicito amore proficiscebatur, non peccati, sed meriti; non vituperii, sed laudis plenissimū opus fuit. Itaque quod sequitur.

Humilitas B. V. imitanda.

Mat. 2. 22.

Et Ait Ad Illos, Christus videlicèt, respondens vtrique ad id, quod mater vtriusque nomine proposuerat.

Qvid Est Qvod Me Qværebatis; Non est reprehendentis peccatum, vt copiosè in alia explicuimus concione: nec est quòd ibi dicta iterentur ne fastidium pariant.

ant. Adamus quæ illo loco omissa sunt.

De ignorantia obiectio soluitur.

Luc. 12. 47

NESCIEBATIS inquit Iesus. Quæ scientia excuset, quæ verò accuset augeatq; crimen, disseruimus multa. Restat dictum Christi soluendum de duobus seruis, quorum alter sciuit voluntatem Domini sui, & non fecit, ideoq; *vapulabit multis*: alter verò non fecit, quia nesciuit, iccirco *vapulabit paucis*. Posset enim quispiam eo abuti, ad excusandam affectatã (quã vocant) ignorantiam, siue in se, siue in alio. Verũ nihil est hîc illis subsidii: nihil enim minùs quàm pro talibus isthæc dicuntur: quod ex teipso colligere potes: Tu enim seruum quidem qui aliqua sua negligẽtia ignorauit mandatum tuum, ideoque illud non perfecit castigas paucis; magis verò eum qui sciuit & neglexit; sed omnium maximè punis illum, qui licet esset admonitus, contempsit tamen ad te venire, ne cogeretur & cognoscere, & exequi voluntatem tuam: idem de Deo tuo tibi persuadeas: nam duplicis contemptus reus est, qui affectatam habet ignorantiam: Contemnit namq; & nosse quæ scire iubetur, & facere quæ præcipitur; ideoquè duplici pœna puniendus erit, nisi resipiscat. Cæterùm quòd ad parentes Christi attinet, hi neq; huius, neq; alterius etiã minimæ, quæ ex ignorantia procedit, culpæ, rei erant (vt ostendimus) Dicitur autem à Christo hoc verbum & sequentia.

In affectata ignorantia duplex contemptus.

Quomodo Christi ver-

QVIA IN HIS QVÆ PATRIS MEI

SVNT

SVNT OPORTET ME ESSE. Sicut nos pueris sæpè non reprehendendi, sed instruendi causa dicere consueuimus; nescis id ita fieri oportere! idem omninò Christus dominus parentibus facit, quod & ex modò loquendi, & ex affectu clarum est homini, qui pertinatia & impietate oculos non excæcauit suos. Itaq; proferens hæc verba Christus Dominus, instruit parentes suos de iis, quæ vel ignorabant, vel propter maximi amoris solicitudinem non considerabant. Et verò licet id faciat ipse Christus nihilominùs dicitur. ba intelligenda.

ET IPSI NON INTELLEXERVNT VERBVM QVOD LOCVTVS EST AD ILLOS. Quòd verbum quæso te non intellexerunt parentes Iesu? Num quòd alium patrem haberet preter Ioseph? certè non. Sciebat n. Ioseph se patrem ipsius non fuisse, & multò magis id nouerat virgo. Quid ergò? Num ignorabãt quòd alium patrem non haberet quàm ipsum Deum? neq; hoc; quomodo enim ignorarent quod & ab Angelo, & experientia ipsa didicerant? Vel fortè nesciebãt, quia in his quæ patris ipsius erant oportuit eum esse? neq; istud arbitror eos ignorasse. Nouerant enim illum esse verum Messiam, nouerant ex Angelo, quod *ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, & nouerant quòd ad hoc requirebantur aliqua opera, verùm tum propter eandem sollicitudinem ex intẽso amore procedẽtem, non plenè hæc fortasse con-

Quidnam parentes Christi non intellexerĩt.

Mat: 1.22

sè considerabant: tum vero alias ignorabant circumstantias, nempè quòd hac ætate, opus suum aggredi deberet, quòd hac ratione, quòd cum doctoribus agere, quòd ipsis non præmonitis eos deserere, quòd in tẽplo solus manere, & his similia nesciebant. Hoc verò quod dicimus valdè confirmant verba Euangelistæ, quæ subiuguntur. Nam dicitur.

ET DESCENDIT CVM EIS Ex effectu n. causam, ex descensione cum eis cognoscimus verba illa non obiurgantis, sed mysterium pandentis fuisse. Si enim in iis quæ patris eius erant oportuit Christum esse, CVR DESCENDIT CVM EIS quos obiurgare dicitur? cur.

Difficultates variæ proponũtur

ET VENIT NAZARETH, relicta Ierosolima, & templo, & Doctoribus illis. Itane exiguo tempore solo triduo ea in quibus iussu patris oportuit eum esse expediuit? Et quod mirandum magis, nullam hic conuersionem, sed tantum stuporem Doctorum videmus; propter solum autẽ stuporem Christum à patre in mundum missum fuisse quis credat? Denique non solum descendit cum eis ET VENIT NAZARETH, sed

ET ERAT SVBDITVS ILLIS vt testatur Lucas, credunt fideles. Quid est hoc obsecro? si peccant parentes illum quærẽdo, cur & descendit, & fit SVBDITVS ILLIS? Si non peccant, cur duriusculè tractantur? Rursum, si oportet eum in templo manere, cur non

cur non manet diutiùs, quàm triduo? Si non, cur quærentes se arguere dicitur? Denique cur usque ad trigesimum ætatis suæ annum nihil tale de eo legitur? Dicant quæso nobis Hæreti ad hæc singula, qui omnia mysteria se nosse gloriantur, licet non mysteria diuina, sed peruersa norunt iudicia humana, imò diabolica, qui eis suggessit tum peccata matris Dei, tum ignorantias filii Dei colligere. Nos verò cum Apostolo exclamabimus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius? & inuestigabiles viæ eius? Quis n. cognouit sensum Domini?* Ro:11.33.

Dicamus tamen nos quoque non nihil nõ ex nostro, sed ex Ecclesiæ & sanctorum sensu, & simul satisfaciamus quod in principio proposuimus, nos de educatione liberorum dicturos aliquid. Itaque manet Christus in templo, in domo Dei, in domo orationis; quia à Deo initium est omnis boni, á quo gratia est impetranda: vt rectè procedãt omnia. Manet dum esset duodecim annorum: hæc enim ætas pubertatis quando iam ad vsum rationis plæne omnes ferè perueniunt aptissima est & ad opus humanum, quod ex deliberatione procedit inchoandum, & ad vitæ nostrę statum eligendum. Quod non ignorarunt etiam ipsi Philosophi gentiles: ac proinde hac circiter ætate fingebant Herculem in biuio constitutum de constitutione vitæ suæ deliberantem. Deinde inuenitur Iesus in medio Do-

Soluuntur. 1. Cur Christus manet in templo.

2. Cur duodennis.

3. Cur in medio Doctorum.

dio Doctorum templi, qui in lege diuina e-
rant verſati, vt ſcias á piis & doctis viris con-
ſilium hac in parte petendum eſſe. Iſtis tamẽ
Chiſtus dat conſilium, non accipit ab illis,
quia fuit illis ſapientior, quia ſanctior, quia
Deus caro factus, tu accipe ita tamen vt Chri
ſtum intus loquentem audias, ſi fortè illi à
4. Cur inſcijs parentib᷒ recto tramite deuiarent. Præterea cælat hæc
parentes Ieſus, vt te idem facere doceat pro-
pter dictas cauſas ſuperius. Caro n̄. & ſanguis
non capiunt ea, quæ ſunt ſpiritus. Nihilomi-
5. Cur ſubditus illis. nus poſtmodùm vadit cum eis & fit ſubditus
illis, vt doceat liberos obedire parentibus,
quoties parentes contraria non pręcipiunt
Deo. Stupere facit Doctores, vt futuræ præ-
6. Cur obſtupefacit Doctores dicationis ſuæ ſemina iaciat. Triduo id perfi-
cit, propter myſteriũ datum de ſacramẽto Pę-
7. Cur triduo. nitentiæ, & alia quæ ipſe nouit, & vos ab illo
8. Cur tacet poſtea. impetrate. Tacet triginta annis, quia illa æ-
tas ad prædicandum requirebatur apud Iudę-
os, & nunc ab Eccleſia in Epiſcopis requiri-
9. Cur duriuſcule reſpõdet. tur. Paulò quaſi duriuſculè reſpondet paren-
tibus. Ita enim ille conſueuit tractare in mũ-
do quos amat. Ideò ſi tale quid in nobis non
ſentimus, , pertimeſcamus: Si ſentimus, pa-
tienter feramus, & gratias agamus. Hæc de
Chriſto & pro Chriſto pro tenuitate noſtra.

QVÆ IN EDVCATIONE liberorum ſeruanda. Iam ad liberorum educationem veniamus
& ad vos ô parentes noſtrum conuertamus
ſermonem. Vobis itaq; prima incumbit cura
vt quam primum filium filiamué mundo ſe-
cundum

cũdũ carnẽ genueritis secundũ spiritũ Christo quoque liberos edatis, & per Baptismaregenerari eos, faciatis. Duo hic interim fugientes, quorũ alterũ timor extorquet, alterũ mundus suadet. Timor impellit, vt nutrices vel obstetrices natũ puerũ statim sine vlla necessitate baptizent, quod non nisi in periculo fieri debet vt Sacramento maiestas sua relinquatur. Mũdus verò vult vt propter quosdam eius (quos vocant) respectus, diutius differatur baptisma cum periculo sæpè, cum morte nonnunquam infantum. Extrema igitur hæc sunt cauenda: Curñ. differs? Vt patrinos (inquis) illustriores puer habeat, vt conuiuium baptismale preparetur, vt alia ad id necessaria (superflua melius dixisses) conficiantur. Nunquid non vides quam id absurdè agas.? Infans & patrini nomine illius, imò tu quoque suo modo antequam puer baptizetur debetis abrenunciare carni, & pompis huis mundi, tu contra hæc ad ipsum actum adornas: Quid ineptius, ne dicam stolidius? Quamprimùm igitur & cũ debitis Ecclesiæ cæremoniis à peccato originali abluẽdus est puer, vt hac ratione efficiatur filius Dei. Quo facto scias te iã infantem suscepisse educadum, non solum vt filium tuum, coniungisq; tuæ, id est, filium hominum: sed etiam vt filium Dei: Cogites ergò & diligenter perpendas velim, quomodo illum tractare te oporteat, quomodo nõ solum tibi, imò minus tibi, quam Deo aptũ

cum

1. Vt efficiatur filii DEI Caue hic.

Tum nimis celeritatem

Tum procrastinatio-nem.

Tum epulas.

2. Vt educetur vt tales decet.

NOTA cum reddere debeas. O quam vtilis est hæc cogitatio, & cardo totius bonæ educationis. Si n. toties quoties filium filiamque intueris diceres in mente tua, ecce filius, ecce filia Dei, curæ meæ commissa, quàm bene & tecum, & cum illis ageretur? Facias igitur quæso tanto diligentiùs, quantò magis pueri crescunt ætate.

5. Vt lactentur à matre. Et verò vt sunt liberi vestri non est quod vobis illos commendem caro enim vestra docet, quomodo carnē vestrā tractare debeatis: ideoque facitis maiori etiam quàm oportet cum diligentia. Eo excepto (quod arguunt sancti ac proinde neque nos tacere debemus) quod matres tam facile liberos suos tradunt enutriendos lacte alieno, aut nulla aut modica de causa, imo ob causam non causam, sed puta propter excusationem, ob aliquod fastidiū. Non fecit hoc mater Moysi, non Anna mater Samuelis, non illa fortissima fæmina (octies martyr) septem filiis suis ex quibus vnum sic contra tyrannum animat. *Fili mi miserere mei quæ te in vtero nouem mensibus portaui & lac triennio dedi &c.* Has igitur Sanctas potius sequimini o matres quam alias prophanas & pompose delicatas (ne quid grauius dicā) fæminas. Inprimis verò matrē Iesu, quā idē fecisse & creditur & prędicatur: tū à muliere quadam in Euangelio exclamante ad Christum Dominum *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti*: tum ab Ecclesia cantante

Exempla sanctarum. NOTA Ex: 2. 8. 1 Reg: 1. 28 2 Math: 7. 27.

Luc: 11. 27.

tante[Sola virgo lactabat vbere de cœlo pleno],Nunquid Christianas fæminas verba hęc ad idem præstandum non permouebũt? Magna equidem auctoritas, sed neque vtilitas parua. Prodest corporibus infantum, qui sæpè ex lacte nutricum pessimos contrahunt morbos, vt exempla nostis. Prodest & animabus eorum, quæ haud raró inficiuntur, cùm eadem de causa: tum veró quia ab impuris fæminis discunt,verba impura, quæ illos postmodum impuros efficiunt. Prodest & matribus & propter continentiam, & ne tam multiplici prole eneruentur. Tempus non pręscribo (triennium audiuistis in scriptura) ad alia transeo. Vtilitates.

Venio igitur ad id,quod caput est,& quod iterum iterumque inculco, & clamo, Memineris te filium Dei suscepisse educandũ Deo, non diabolo. Cauete ne sitis causa planè radicalis,interitus eius spiritualis,quod fit quãdo educatis liberos vestros vt gentes, quæ Deum non norunt, secundum mundum, in carne, sine Deo. Hæc tria perdunt animas filiorum vestrorum,sæpe etiam & corpora & facultates omnes. Hæc igitur obuersentur vobis semper ante oculos, vt officio vestro satisfaciatis, vt veri parentes Sanctorum sitis. Instruitis etenim illos mundo imò ipsi etiam diabolo *principi huius mundi* (vt illum Saluator vocat) quando vna cum lacte instillatis illis superbiam in vestitu, in pompa, in mundanis

4. Vt tria caueant nêpè. Ne educent mundo vel diabolo.

Io: 12.31. Et 14. 30.

Ne in carne ceremoniis, in verbis maledicis, in superstitiosis obseruationibus, & his similibus. In carne verò enutritis eos, quoties nimis delicatè tractatis, cibis exquisitis, vinoque assuefacitis, quoties obscena aut ipsi loquimini, aut loqui alios ipsis audientibus permittitis, quoties inter diuersos sexus, aut petulantias, aut cubilia non impeditis. O quot ita perierunt?

NOTA At ais pueri adhuc sunt ideo impotes rationis. Sed sunt compotes carnis, icirco actus carnis sunt prohibendi. Non intelligunt isthæc inquis: sed postea intelligent, & eritis & illis, & vobis in ruinam. Intelligite quid dico, & videte an non ita se res habeat.

Ne sine Deo Sine Deo verò educantur, quando fidei rudimenta, deuotiones, pietatem cæremonias sanctas non edocentur. Hinc fit quod vbi ad vsum rationis perueniunt, vel peruenire incipiunt, quæ didicerunt ea consectantur. Diuina ignorãt, imò & contemnũt, quæ mundi sunt complectũtur, imò quæ Sathanæ ipsius, carnis verò opera ita exercent, vt perpetuò continuent. Inde habitus contrahuntur, ac quasi in naturam transeunt.

Quæ inde incõmoda. Inde euenit vt tales animam semper, corpus frequenter, substantiã plerumque perdant. Denique inde fit, vt quod tu multis annis magno cum labore conquisiuisti illi magna facilitate minimo tẽporis spacio omnia abliguriant. Quis tãti mali autor? quis pręter te ipsum, qui talem eis educationem dedisti? Nonne hæc frequenter

adhuc

adhuc ſuperſtites & videtis, & lugetis? Cauete igitur ne ſine remedio & ſine fine vllo in æternum, non ſolum lugeatis, ſed & pœnas luatis, & pro illis, & pro vobiſmetipſis.

Remedium autem contra hæc omnia nullum præſtantius honorificentius, efficacius, quàm exemplū & doctrina Chriſti, quorum hæc eſt ſumma (audite auribus, & perficite manibus) vt detis omnem operam ô parentes, ne liberi veſtri malos, ſed bonos contrahant habitus, ne peſſimas, ſed pias induant conſuetudines; ne fædis aſſueſcant moribus ſed optimis (ab ipſo lacte & teneris annis) imbuantur, & moribus & diſciplinis. Ecce exemplar Chriſtus IESVS duodennis. Qui vbi nam quæſo reperitur, num vbi ſaltitatur, & aliæ mundi exercentùr vanitates? Non, ſed in templo, vbi pietas erga Deum viget. Quid facit? luditne cum pueris? Non, ſed ſedet. Vbi verò ſedet? num in turba petulantium adoleſcentulorum? Minimè. Sed inter Doctores is, qui doceri non indiguit: vt te doceat cuius filii doctrina indigent, quid tibi facto ſit opus. Quomodo autem veſtitur? nū aut purpura & byſſo, aut ſerico vel etiam holoſerico, vt non ſolum iam nobilium, ſed etiam ciuium pueri aſſolent? Non equidem in eam eo ſententiā: ſed neq; quenquam veſtrum id opinari arbitror. Quid autē manducat? num cibos exquiſitos? Quid bibit? vinane præſtantiſſima? Quomodo cubat? nū in mol-

5. Vt exemplo Chriſti bonos contrahant habitus.

Deuotionis.

Grauitatis.

Aſperitatis.

Abſtinentiæ

in mollibus plumis, acuque præciosè pictis linteaminibus? vt mundus & docet, & facit? Nihil horum; ſed totum planè contrarium, veſtitus honeſtus quidem, ſed vilis; lectus humus, puluinar fortè lapis capiti ſuppoſitus: cibus vel fames, vel tantillum panis cum obſonio, potus aqua.

NOTA. Stupendũ ſanè (vt de hoc vltimo aliquid dicam) quî fiat, quòd in Italia Hiſpania & locis aliis vbi natiui vini ſumma eſt copia non guſtetur vinum ante decimumquintum, imò & vigeſimum ætatis annum (inde tot in illis partibus abſtemii) hîc verò quò vinum, vt aromata aliunde defertur, ideoque cariſſimo venit, nihilominus à quibuſdam vix non viceſimo poſt partum die inſtillatur infanti. O peruerſitatem magnã, ô abuſum nõ ferendum! Propterea non miremini ſi tales diſpoſitiones, huiuſcemodi effectus ſequuntur, quales videtis. Quid enim lubricus adoleſcẽs purpuris, byſſo, ſericis, vinis (vt alia taceam) hiſq; ſimilibus deliciis à puero aſſuetus tandẽ cuſtode remoto aliud faciet, quàm quod quæret in dies ſingulos hiſce preſtantiora queq; & hac ratione omnia ſua, ſeque penitùs perdet & peſſundabit? Quare ne id fiat, tempeſtiuè à parentibus & tutoribus eatur obuiam, vt non talibus, ſed contrariis potiùs aſſueſcant pueri, nempè veſtitus aſperitati, victus frugalitati, cubilis duriciei, templi quoque frequentationi (quod certè non inuiti faciunt

pueri

pueri quamdiu ſanguis Chriſti, quo in Baptiſmo abluti ſunt in illis bullit) doctrinæ Chriſtianæ, piis precationibus, ſanctiſque operationibus, & vno verbo humilitati, & omnimodis virtutibus. Ita. n̄. fiet, vt & eorum quæ in Baptiſmo promiſerunt conſuetudinem exercitationemque capiant, & totam vitam ſuam benè poſtea tranſigant. Sed iam quod reliquum eſt Euangelii perficiamus, & finem concioni imponamus. Sequitur itaque.

Et Mater Eivs Conservabat Omnia Verba Hæc. Per verba hic facta quoque intelliguntur, phraſi conſueta ſcripturæ ſacræ. Cur autem Mariæ non Ioſephi fiat mentio, dictum eſt aliâs, quia videlicet ipſa ſapientior, quia propinquior, quia charitate feruentior. Ideò conſeruabat omnia.

In Corde Svo imò & conferebat, vt ſuperius dixerat. Iam enim eximiæ huius contémplationis B. virginis Lucas in hoc ſolo capite, tertio facit mentionem. Nec immeritò ſanè, neque gratis. Tria enim inter alia meruit Maria hoc ſuo excellentiſſimo actu, primum eſſe dicique magiſtra Euangeliſtarum. (Sic. n̄. eam ſancti vocant) inprimis verò huius S. Lucæ quem explicamus, qui & hanc ipſam, quam tractamus hiſtoriam, & quæ eam præcedunt ab hac virgine creditur didiciſſe. Deinde meruit confuſionem hæreticorum. Poſtremò conſolationem & inſtru-

B. V. contẽplatio, tria meretur.

Luc. 2.19.

ctionem Catholicorum. Solatur. n. nos contra impias blasphemorum linguas: instruit autē nos & delectari in rerū diuinarū contemplatione, & nihil præcipitanter agere; sed omnia diligēter in corde cōferre. Denique cōcluditur Euangeliū sententia iam aliâs trutinata:

Duo docet nos virgo.

Et Iesvs Proficiebat vt homo. Notatur autē neque hîc neque vnquā amplius Iesum vocari puerum; vt scias cùm ad vsum rationis veneris, & statū vitæ bonum tibi elegeris, te quoque puerū esse, & ad pueritiam redire non debere. Sed proficere de virtute in virtutem; sicut proficiebat Iesvs.

Duo Christus.

Sapientia Et Ætate Et Gratia. Quæ verba iam declarauimus. Tu quoque si sapis idem facito, non peruertendo, sed sequendo diuinum ordinē.

Duo præpostera fugienda.

1 Nobis enim plerumque prima cura est ætatis, nempè vt liberi nostri crescant, vtque compti ac polituli appareant; reliquorum minor vel nulla. At secundum Christum ætas sollicitudinem habet minimam, vel nullam, vltro enim veniunt anni, & currit irrefragabile tempus: sapientiæ verò & gratiæ suprema cura esse deberet, tam nostri causa, quàm liberorum nostrorum ratione. Fiat itaqua & fiat sincerè & verè atque vt hic dicitur.

a Cor: 8. 21.

Apvd Devm, Et Homines. *Prouidemus. n. bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* ait Apostolus. Sed hic quoque præposterus ordo est fugiendus, & valde, nempè
2
ne præ-

ne præcedere velint homines Deum. O quàm id peruersum, quàm turpe: & tamen frequẽs! Quoties. n. diuinam gratiam perdimus, vt humanum fauorem demereamur? Quoties vt sapientes coram hominibus videamur, diuinam sapientiam (quæ nos docet nil adulatoriè agere) postponimus? Peruersus sanè ordo, & dicto huic contrarius. In quo priùs vt auditis ponitur APVD DEVM, postmodum APVD HOMINES. Exercendi itaque & pueri, & nosmetipsi sumus diligentissimè hac in parte, vt omnes actiones nostræ primum sint coram Deo, & si quidem sunt tales quæ illi displicent relinquantur: sin verò sunt quæ placent Deo, deriuentur etiam ad homines, illo modo, quem nos docuit ipse Christus dicens. *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Hæc de Euangelio dicta sufficiant. *Mat: 5.16.*

Concludamus iam concionem iuxta promissa, iisdem quibus cæpimus versiculis psalmi, vt tum ex illis, tum ex Euangelio spem in nobis erigamus. Dicit itaque Dauid. *Ego autẽ sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti & expectabo nomen tuum quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Quibus in verbis mira breuitate, & artificio omnia quæ ad spem sunt requisita, notantur. Notatur etenim hîc natura spei, CONCLVSIO continens. *Ps: 51:10.* Tum spei naturam.

hæc verò non est alia, quàm expectatio futurorũ quæ hîc recẽsentur. Notãtur duę bases eiusdẽ spei; videlicet *misericordia Dei*, & fructificatio nostra. Notatur autor spei illis verbis: *Quia fecisti.* Nemo ñ. alius nisi solus Deus illam in nobis creare, firmareque potest. Notatur & misericordia & bonitas, qui sunt duo fontes, vnde spes à Deo in nos effũditur. Notantur & media, quibus spes viua acquiritur, multa sanè & necessaria. Primũ est, vt per fidem simus in *domo Dei*: extra Ecclesiam. ñ. non habetur. Secundum, vt simus *oliua*, *oleum*, habentes *cum lampadibus* alias ñ. à nuptiis sponsi excludemur. Tertiò, vt simus *oliua fructifera*, fructus bonorum operum edentes; sine quibus spes nulla est, quia viua non est. Ideo ficus fructum non ferens à domino Iesu maledicitur, & statim arescit: idem nobis cauendum valde. Notatur & oratio ac imploratio diuini auxilii, & sanctorum eius, quæ multum ad spem firmandã conferunt. Notantur denique commoda, ac vtilitates, quæ inde proueniunt singulares & excellentissimæ. Confessio videlicèt, ac laudatio continua, diuinæ bonitatis ac munificentiæ: confessio etiam vilitatis, & miseriæ propriæ, quæ magna indiget misericordia. Coniũctio item ac consortium sanctorum omnium, quod fit per charitatem, qua omnia membra, & quæ in cælo, & quæ in terra, & quæ subtus terram sunt, admirabili modò copu-

Fundamenta duo.

Auctorem DEVM.

Fontes duos

Media quatuor.

Mat: 25. 4.

Mar: 11. 21

Fructus totidem.

copulantur, & in vnum corpus, cuius caput Christus est, coalescunt. Ad extremum suprema vtilitas est conspectus cum sanctorũ omnium, tũ verò ipsius Dei in vnitate trini in æternum & *in sæculum sæculi.*

Hæc sunt quæ breuissimis verbis Psaltes cõplexus est, & hæc ipsa in Euangelio explicata, si non omnia, certè pręcipua videre licebit. Sit ab infantia bona puerorum educatio. Bona verò erit, si nõ nobis, sed Dei Deo filios enutrire studuerimus: Deo autem (qui Spiritus est) illos formabimus, si quæ spiritus sunt vna cum lacte illis instillauerimus, deuotè non pompose; spiritualiter non carnaliter, asperè potius quam delicatè eos tractando bonis Doctoribus bene instruendos tradendo; bonam status vitæ electionem nõ solum non impediendo, sed etiam promouẽdo. Deniq; ad omnem virtutem & pietatem teneram ætatem assuefaciendo. Sit & adultis potissima cura de salute propria, fugiendo quæ fugere, sectando verò quæ facere nos Euangelium docuit. Sit omnibus tam iuuenibus, quàm senibus sollicitudo summa & esse, & perseuerare in iis, quæ patris nostri sunt cælestis, vt nos puer sanctissimus Iesus docuit: proficere quoque in gratia, & sapientia corã Deo prius, deinde secundum Deum coram hominibus. Hæc n. si fecerimus erit in extremis spes, & vobis, & liberis vestris; post spẽ verò res ipsa; àdeptio videlicèt ciuitatis Hierusalem.

Tum summam dictorum.

rusalem, visionis pacis æternæ, vbi videbitur, & laudabitur, & gustabitur Deus Deorum in Sion in æternum, & in sæculum sæculi. AMEN.

DVODENNIS IESVS DOCET TRIPLICEM CHARITATEM.

CONCIO QVARTA.
Charitas.

Excusatio de imitatione Christi & SS. repellitur.

EST plerisq; in more positum, quando eos ad vitam piè, sanctè, ac vt Christianos decet transigendam propositis sanctorum, & ipsius Christi Domini exemplis excitamus, illam prętexere excusationem, vt dicant sanctos quidem insigni sanctimonia homines fuisse, se verò peccatores esse: Christum autem Iesum, verum Deum & hominē quis (dicere soletis) imitari poterit? Verùm neutra excusatio valet quicquam. Nam quod ad sanctos attinet, constat certè omnibus, illos eiusdem naturæ nobiscum fuisse: Erant n. homines sicut nos homines sumus: erant vt & nos in peccatis concepti, & nati: erant in mundo isto, qui teste scriptura *totus in maligno positus est* constituti, vbi nos quoque collocati sumus: quæ verò illi ad pietatem & sanctitatem siue incitamenta, siue auxilia habuerunt, eadem & nos vel habemus, vel habere poterimus, si facere voluerimus, quod illi fecerunt, quod vtique in nostra (sicut in illorum

1 Io. 5. 19.

illorum fuit) ſitum eſt poteſtate. Peccatores verò quot fuerunt etiam ex iis, qui inter ſanctiſſimos cenſentur? Quare ſi placuit nobis eos imitari in vitiis, placeat æmulari in pænitentia, & bonis operibus: ita enim nos quoque ſicut & illi ſancti erimus. Ratione autem Chriſti IESV poſſet excuſatio iſta aliquem locum habere, ſi ſiue nos, ſiue alii vos hortarentur, ad imitanda Chriſti opera diuina. Verùm ſecus imò contrarium fit omninò. Quis enim veſtrum audiuit vnquam concionatorum ſuadentem vobis vt pedibus ſupra mare ambuletis, vt mortuos ſuſcitetis, vt alia his ſimilia faciatis, quæ feciſſe Chriſtum conſtat? Arbitror equidem tam ſtolidum fuiſſe neminem: id verò noui & me, & alios monuiſſe vos frequenter, imitari patientiam Chriſti, quia idipſum multò ante docuit vos princeps Apoſtolorũ Petrus. Memini etiam ſuaſiſſe nos vobis, ſectari humilitatẽ Ieſu, quia ad hanc ipſe ore nos ſuo hortatur Chriſtus dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quod ſi potuit ſe humiliare tam altus, tam magnus, tam omnipotens, ipſe denique Deus, cui humiliatio in propria repugnat natura, ideò noſtram aſſumpſit, vt humiliare ſe, & nos humilitatem docere poſſet: quãto magis poterit, imò debebit humiliare ſe homo, cinis, puluis, putredo, & vermis? Patientiam igitur, humilitatem, & his ſimilia docemus, ſuademus, inculcamus vobis, quæ ſi exequi

Chriſtus quomodo imitandus.

1 Pet. 2. 21.

Mat. 11. 29

Humilitatis ſtimulus.

exequi recusatis, nulla profectò erit vestra excusatio. Cæterùm ne vos terreant exempla virtutum Christi in virili facta ætate: ecce adsunt in ipsa pueritia exhibita, in qua nihil eum fecisse quòd esset supra vires ætatis illius affirmare videtur ipsa Ecclesia, quæ libellos de miraculis infantiæ Christi conscriptos repudiat. Imitari itaque duodennem saltem non pigeat: tum iuuenibus iuuenem, tum adultis, vel etiam senibus puerum. (vt illum hodiernum Euangelium vocat) Verũ ne vel minima excusandi nobis remaneat occasio, in eo vobis hodie Christum imitandum proponemus, quod est rerum omnium, quæ sunt in mundo suauissimum ac dulcissimum, ideoque factu facillimum. In amore inquam, quo nihil delectabilius in nobis auctor naturæ creauit. Neque verò amoris alicuius particularis, sed omnis omninò charitatis exemplum nobis dedit hodie puer amantissimus Christus IESVS: Audistis etenim in charitate imaginem Trinitatis relucere, ac proinde charitatem trinam & vnam reperiri in nobis. Totius igitur rei huius typum habemus in Euangelio & exemplum admirabile.

Dõ: 3 Adu: conc: 4.

PROPO. tripartita.

Quare iuxta datam diuisionem, tria nunc nobis consideranda obueniunt: Primum, quę in amando Deo, deinde, quæ in dilectione nostri, postremo, quæ in charitate proximi nobis sint Christo instruente seruanda. Tu amor

amor Iesu doce nos amare, non solum exemplum dando, sed etiam Charitatem in nobis creando, ac in æternũ nos in ea conseruando.

Non sine causa, nec absque grandi mysterio is, quem pręmanibus habemus Euangelista Lucas sacer, alterum, quem Ecclesiæ reliquit, & Acta Apostororum intitulauit, librũ suum sic exorsus est: *Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theoplile, quæ cæpit Iesus facere, & docere.* Duo etenim inter alia nobis his verbis insinuare videtur de Christo domino: Alterum, illũ prius *facere*, quàm *docere* incepisse: alterum, eum longo tempore fecisse, paruo docuisse. Magnum mysterium, quod merito ipse Lucas solus attigit, quia ipse tantum nobis descripsit, quæ Christus Iesus in sua pueritia, & adolescentia gessit. Hæc verò hodierno continentur Euangelio, in quo paulo quidem copiosius tractat, quæ duodennis in templo fecit Christns, reliqua verò quæ vsq; ad trigesimum ætatis suę annum operatus est, tribus perstringit verbis dicens ERAT SVBDITVS ILLIS: parentibus videlicet. Iccirco cum Ioseph fuisset faber, etiam ipse Christus creditur cum illo artem fabrilem exercuisse: ac proinde etiam ipse à Iudæis faber nuncupatur. Tringinta itaq; annis multa fecit, pauca docuit; tribus autem annis & aliquot mensibus verbo etiam docuit, & sermonem suum signis ac miraculis confirmauit. Vnde euidenter apparet, decimam tantum quasi partem

I. PARS. Christus prius opere quam verbis docuit.

Act: 1.1.

Mat: 13.55

Mar: 6.3.

Et multò diutius opere. *Ioa. 15.24*

partem ætatis suæ Christum predicationi dedisse. Quòd verò hic sit mysterium nouit ipse, & is, cui voluerit reuelare. Nobis sufficiat duas inde haurire doctrinas. Vnam, vt studeamus nos quoque ad Christi imitationem prius facere, quàm docere; & multo tempore in operibus bonis nosmetipsos exercere, postmodum ad munus prędicationis vel Doctoris accedere. Alteram, vt sciamus longè maioris esse momenti, opere, ac bonæ vitæ ædificatione, quàm verbis docere: hæc enim sine illa nihil vel parum admodum valent; illa sine sermone multum; factis enim ipsis loquimur: si tamen vtrumque coniungetur, magnæ efficaciæ opus erit. Hoc fecit Saluator noster hodie, paucis verbis, multis factis nos docendo, cùm alias virtutes, tum verò charitatem & charitatẽ vnam & trinam. Nam etiamsi in se vna tantum sit charitas, vnus secundum Deum amor: attamen tres habet respectus. Ferimur enim charitate & in Deum, & in nosmetipsos, & in proximum nostrum: & Deum quidẽ in se & propter se, nosmetipsos verò in Deo, proximũ autem nostrum propter Deum diligimus.

Idem nobis faciendum.

Docuit autem charitatem vnam & triplicem

Hinc oritur vnum illud, & tamen triplex dilectionis pręceptum, in quo teste Christo *vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Nam etiamsi duorum tantum (Dei videlicet & proximi) clara fiat ibi mentio, amor verò nostri subticetur, tamen mirum id videri non debet. Sicut e-

Imo etiam præcepit Dei & proximi clarissime.

Mat: 22. 40.

Suiipsius subobscure.

cut enim impulsus nullus requiritur, vt aut lapis deorsum, aut ignis sursum feratur cùm id natura duce impigrè præstet, vterq; : vt autem lapis quidem sursum ascendat, vi propellendus est; ignis vero vt in inferioribus detineatur; nutriendus (vt scripturæ verbo vtar) congruo sibi alimento erit: ita amor, non est, quod ad nostri dilectionem pręcepto adigatur, cùm id plus etiam æquo libenter faciat. Incitandus est autem, vt in Deum, & proximum feratur, quia in natura per peccatum deprauata ægre id facit. Hæc igitur licet ita se habeant, tamen si diligentius rem intueamini, in pręcepto dilectionis proximi, mandatum quoque implicitum de amore nostri inueniemus. Dum enim mihi pręcipitur vt diligam proximum sicut memetipsum, profectò & mei mihi mandatur dilectio: teneor igitur meipsum amare, verùm quia cauendum est summopere, ne inordinata hæc sit nostri ipsorum dilectio, iccirco vide quàm, sapientissime sit diuina bonitas hoc pręceptum moderata. Nam cum pręcipit nobis diligere proximum sicut nosmetipsos amamus, duo triaue nos docet. Primum, modum diligendi proximum pręscribit. Secundo, cùm amor proximi propter Deũ (de hoc enim loquor nam alter qui siue ex cognatione, siue ex illicita causa procedit, nimis feruens est plerumque) sit in nobis frigidus valde, feruenti amore nostri calefacere, illum Deus voluit, ècon-

Cur? Similitudines.

Leu: 6.10.

Et causa.
NOTA.

Quomodo amor nostri & proximi temperātur. è contra verò accensum nostri amore temperare gelido, qui in nobis est vt plurimùm proximi amore diuina nos docuit prouidentia: vt hac ratione vterque ad æquilibrium perueniat suum. Quare cùm vides ex vna parte indigentem tua opera proximum, ex altera sentis frigidas in te oriri excusationes, quæ te à benefaciendo auocant, recorderis te esse obligatum amare proximum sicut teipsum, & quod tibi in simili casu fieri ab alio velles: tu alteri exhibe. E contra verò cum sentis te tui amore æstuantem appetere superflua siue in victu, vestitu, somno, & aliis corporis necessitatibus vel etiam voluptatibus; siue in honore, gloria, vindicta, & reliquis generis eiusdem; siue etiam in bonis externis ac diuitiis, recogita quid faceres proximo talia appetenti ac desideranti, & tantundem tibi tribue; sic.ñ. crede mihi mensuram non excedes æquitatis. Videtis quàm sint ista & vtilia, & iucunda? Sed quia ea de re antea quoque disseruimus, ideò hæc id loci sufficiant ad declarandum quomodo Christus Dominus triplicis huius amoris nobis adhuc puer exemplum præbuit.

VNIRE est amoris proprium. Quam ad rem penitius intelligendam illa amoris conditio est nobis consideranda, qua amans ita amato coniungi desiderat & satagit, vt quantum fieri potest vnum cum amato efficiatur. Cognouerunt hanc dilectionis proprietatem Philosophi lumine solo naturali,

rali, imò ipsa experientia edocti. Sed & in scriptura eius habemus exempla; sufficiat illud de amicitia quæ inter Ionatham filium Saul & Dauidem intercesserat: de qua sic ait scriptura. *Et factum est cum complesset loqui ad Saul* (Dauid) *anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Ac proinde anima Ionathæ ibi fuit vbi erat Dauid, hæc enim natura est amoris. Fit autem hoc nonnunquam tam validè, vt etiã dum homo dormit, anima amantis vigilet, & ibi sit vbi est amans. Testatur id sponsa in canticis dicens; *Ego dormio, & cor meum vigilat,* icccirco quamuis dormiuerit, tamen resonabat in auribus eius *vox dilecti pulsantis* & dicentis. *Aperi mihi soror mea.* Itaque hæc amoris proprietas est nobis notanda, quæ in charitate tantò est & excellẽtior, & feruentior, quãtò magis (incompræhensibili quasi modo) charitas omnes alios superat amores. Audisti. ñ. quid dixerit sponsa, indeque collige quomodo nec somnus, nec locorum distantia, nec diuersitas conditionis seu status, nec quicquam aliud hanc vnionem possit impedire. Quid. ñ. magis distat siue natura & proprietate, quám somnus & vigilia, siue loco, quàm cælum & terra? siue conditione, quàm creator & creatura? & tamen ita hæc coniunguntur amore, vt omninò sint simul. Ideò clamat discipulus quem diligebat Iesus: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet &*

Exemplum Dauidis & Ionathæ.

1 Reg: 18. 1

Aliud sponsi & sponsæ.

Cãt: 5. 2.

Quam valide id fiat.

NOTA.

1. Io: 4. 16.

Cum Deo fit modis innumerabilibus.

net, & Deus in eo. Quamuis autem hæc coniunctio Charitatis fiat variis & planè innumerabilibus modis, quæ omnipotens & potest & consueuit excogitare; ac in animis seruorum suorum formare: tamen ex parte nostri, tres sunt inter alios haud postremi. Nam in charitate constituti coniungimur Deo, tũ per feruentem orationem, meditationem, contemplationem: tum per veram, simplicem, sinceramque nostri, diuinæ ipsius bonitati, oblationem: tum per fidelem, iugem, continuamque propter eum operationem. Quorum omnium Christus Dominus, in pueritia sua, quæ in hodierno describitur Euãgelio luculentum exhibuit nobis ad imitandum exemplum.

TRES proponuntur.

PRIMVS fit per orationem.

Ascendentibus etenim parentibus suis Ierosolimam ad templum illud Dei viuentis & videntis toto terrarum orbe celeberrimum, ascendit & ipse Iesus cum illis Secvndvm Consvetvdinem Diei Festi. Quare porrò ascendit? Ad illa procul dubio tria præstanda. De primo exstat ipsiusmet Christi clarum testimonium, qui cum ex eodem templo eiecisset *ementes & vẽdentes*, subiungit dicens. *Scriptum est Domus mea Domus orationis vocabitur.* Quod ergò alios docuit, ipse non perfecit? propter quod templum factum esse asserit, id ipse in templo existens facere neglexit? Non omisit equidem, imò tam feruenter est exequutus,

Mat: 21. 12
Is: 56. 7.
Exemplum Christi duplex.

vt non

vt non ei sufficeret deuotio parentũm lege, & consuetudine firmata; sed addere triduum aliud voluit; vt & in primo doceret omnes, reddere *quæ sunt Dei Deo*, id est, ad quod pręcepto obligantur; & in secundo instrueret cùm alios, tum verò qui in sortem domini vocati sunt addere & alias, ad quas non tenentur orationes. Nam fecisse Christum hodie, quod postea scriptura de illo testatur dicens. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, nemo pius dubitauerit. Si. ñ. tm̃ orauit in monte, quantò magis id præstitit in templo, quod ipse domum orationis vocauit?

Mat. 22. 21

Luc. 6. 12

Hic iam videat quilibet vestrum, & examinet suam cõscientiam, an imitetur Christũ & parentes eius, tum in iis, quæ ex præcepto Dei dato nobis per Ecclesiam, facere tenetur: tum in his, quæ exemplo Christi par est nos obseruare. Tenemini omnes, vt scitis, integro sacro Missæ officio, diebus festis deuotè interesse, semel verò saltem in anno confiteri, & Eucharistiam sanctam in paschate sumere: Vos verò parentes, vos Domini, vos patresfamilias tenemini efficere vt hoc ipsum liberi, famuli, familiaque vestra præstet. Facitisne? Si non facitis nullam profectò excusationem in illa die habituri estis, tum ob neglectum Christi exemplum: tum quòd nesciam an ad aliquid leuius mater vestra Ecclesia obligare vos potuerit: quanta ergò

Quomodo imitandum

Tum ex obligatione quæ est leuissima.

erit ingratitudo, neque rem tam modicam amore Christi præstare velle? Idem dico Ecclesiasticis & beneficiatis (quos vocant) qui præter dicta, obligati sunt & officium diuinum quotidie attentè persoluere, & alia prestare, quæ ipsi norunt, vel nosse debent.

Tum ex charitate erga DEVM.

Quod si redditis quæ debetis, addite queso & alia: primum quidem ea, de quibus dubitatur à Doctoribus, an ad illa non sitis cõstricti, quale est audire conciones: neque dubito certis personis in quibusdam casibus id pernecessarium esse. Vniuersos verò monet Apostolus *ab omni specie mala abstinere*, mali autem species est, bonum necessarium ac consuetum negligere: vel etiam contemnere. Deinde quæ siue consuetudine firmata, siue à maioribus nobis tradita sunt continuanda erunt; huius generis est adesse pluribus etiam sacris, adesse cantatis tum missis, tum vesperis; adesse matutinis quoque precibus, prout maiores nostri fecerunt tribus, quatuor, imò & pluribus nonnunquam horis continuis in templo manentes. Sed est quod domi agam, inquis. Quid? maióres nostri nonne & ipsi rem familiarem curabant, & tamen illa Deo, amore ipsius exhibebant? Videte itaque ne ipsi iudices vestri sint, vt interim taceam habere vos sex dies ad laborandum, & similia, quæ alia oblata occasione dicentur. Postremo addenda sunt etiam plura Christi amore prout ipse plura addidit patris sui dilectione.

1 Tess: 5.22

1. Obiectio soluitur.

Cæte-

Cæterùm si hæc omnibus cõpetunt Christianis, quantò magis illis conuenient, qui aut perfectiorem statum sunt complexi, aut ad perfectionem tendunt? Quis enim non videt quid tales agere: quales cùm in aliis virtutibus: tum verò in oratione profectus facere eos oporteat? Nam vt puerum Iesum iterũ inspiciamus, quis nobis enarrabit quàm feruentes orationes ille hodie fuderit? quàm patri suo cælesti continuò supplicauerit! quas pernoctando in oratione ecstases habuerit? Imitemur illum itaq; obsecro quantum possumus saltem puerum adulti: quod si aut nõ possumus, aut nolumus cum Christo totas noctes peruigiles in oratione consumere: saltem cum Dauide media nocte mẽtes nostras ad Deum eleuemus. Quid enim ille? *media nocte*, inquit, *surgebam ad confitendum tibi.* Et iterum: *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Si septies in die contemplabatur, & laudabat Dauid iudicia iustitiæ diuinæ, quoties meditabatur & exaltabat opera misericordiæ Dei? cùm ipse testetur, quòd *miserationes eius super omnia opera eius?* Præterea si Dauid & Rex, & tot tribulationibus ac bellis districtus, hæc faciebat; quam hic excusationem alii etiam sæculares habebunt? Et si istorum nulla quicquam valebit purgatio, quantò minoris erit ponderis clericorũ, sacerdotum, religiosorum, virginum voto constrictarum & aliorum his similium excusatio?

Spirituales quid hic præstabunt.

Exemplo Christi.

Exemplo Dauidis. *Ps. 118. 62.*

Ibidẽ 164.

Ps. 144. 9.

Duplex materia contẽplationis NOTANDA.

ſatio? Hæc igitur conſideremus diligenter & videamus, vt ſaltem Eccleſiaſtici ſecularem imitemur. Et hic eſt primus modus, quo in charitate Deo noſtro coniungimur, nempè per orationem, meditationem, contemplationem: quarum duæ illæ contemplationes ex Dauide prolatæ excellentiſſimę ſunt; profunda & admiratione plena eſt illa prior conſideratio, videlicet iuſtitiæ Dei, & iudiciorum eius occultorum: Sed poſterior, quę in meditatione miſericordiarum & beneficiorum eius conſiſtit, & ſuauior, & ſecurior.

SECVNDVS vnionis modus cum Chriſto eſt per oblationem.

Alter modus quo in igne Charitatis coniungitur creatura creatori, homo Deo, eſt vera ſinceraque ſuiipſius Deo facta oblatio: quæ coniunctio tantò eſt priori excellentior, quantò vberior. Nam in oratione mente tantum, at in oblatione toti cum omnibus quæ poſſidemus & ſumus, creatori noſtro & Chriſto Ieſu in charitate copulamur. Huius typũ

Exemplum Chriſti.

prębuit nobis hodie Chriſtus dominus, quãdo remanſit in templo inſciis parentibus. Manſit autem non ideò vt arbitror, quòd illi factum hoc ipſius impediuiſſent, ſed ne alii alios, id eſt parentes & cognati nos impediant: quod fit vt plurimùm. Voluit ergò exẽplum nobis dare in innocentibus, vt ſciamus quomodo nos regere debeamus cum nocentibus, & diuinam vocationem in nobis impedire conantibus; nempè, vt ſi aliter fieri nequit, etiam inuitis, etiam inſciis illis, ad offeren-

ferendum Deo nos accingamus.

Duplici autem ratione auocare solent parentes, cognati, & amici aliquos à Dei seruitio, vel inducendo illos ad id quod pręceptis diuinis est contrarium; vel auocando eos à sectandis consiliis Christi domini, ad quæ ab ipso accersuntur. Primùm genus frequens est inter Hæreticos, qui liberos ad fidem Catholicam conuersos, modis omnibus ab ea retrahere conãtur, rarius verò inter Catholicos. Reperiuntur nihilominùs nonnunquam inter eos aliqui tam impii, vt ad peccandum filios, cognatos, & amicos suos impellere nõ vereantur, cùm propter commodũ aliquod temporale vt diuitias, honoresue obtinẽndos: tum ad impediendum secundum illud genus: prout in D. Thoma Aquinate & aliis factum legimus. O deplorandum genus hominum. Postremum verò genus tam frequẽs est etiam inter Catholicos, vt raros inuenias, qui liberos cognatosue suos Deo sese deuouere volentes, á proposito non auocent, imò arceant; rariores, qui suadeant: nisi fortè nonnunquam, aut ob defectum aliquem corporalem, aut ad familiæ dignitatem conseruãdam, quod aliud in alio extremo positũ vitii est pessimum genus.

Parentum vitia hac in parte.

1. Impedire præcepta à Deo.

2. Impedire vocationem ad consilia.

3. Extrudere inuitos.

Nostis exempla: suggeramus aliquot. Est aliquibus filius, filiaue manca vel deformis corpore: sunt aliis plures liberi; ad Ecclesiasticum, vel monasticum statum inuitos eti-

NOTA peruersum iudicium.

am & reluctantes impellunt, non Dei amore, sed carnis, mundiq; temeritate. Nunquid non videtis quàm Deo contraria faciat semper caro, mundusq;? quem vult Deus, nolunt dare isti, quem vel quam non vocat Christus ad consilia sua amplectenda, cogũt illi. O peruersum iudicium! o impia pietas! Nam quasi sub pietatis specie fiunt nonnunquam talia. Pulchre tales Deus per Prophetam perstringit dicens. *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum est, & si offeratis claudum & languidum nonne malum est? offer illud Duci tuo, si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam dicit Dominus exercituum.* Applicemus nos nobis, nouoq; testamento, & dicamus cum Paulo. *Nunquid de bobus cura est Deo?* an integer vel mancus, an fortis, vel debilis ei offeratur bos aut aries? Certè si hæc in bestiis displicent Deo, quid in hominibus? Sed inquis anima pulchra & placida est Deo etiam in turpi debiliuè corpore; sanè frequenter ita se res habet: verum hoc in facto aliud apparet. Inuitum enim vel inuitam cogis Deo seruire: Deo autem inuitum & inuoluntarium placere nihil potest. Propterea & effectus videmus quos sæpè deflemus. Itaque omnia prędicta vitiorum genera à Christianorum finibus longè sunt arcenda: neque cogant, neque impediant, siue parentes, seu cognati suos: non cogant inquam inuitos, non impediant volentes, sed vtrisque libertatem concedant suam, ac vt

Et scripturã contra.

Mal: 1. 8.

1. Cor: 9. 9.

Obiectio soluitur.

ac vt Christianos decet amore Christi maiorem ipsius honorem promouendum curent.

Quòd si parentes, & cognati facere noluerint, tu qui vocaris, fac, memor dicti illius, quod alias retulimus: [licet & in limine pater iaceat, percalcatũ perge patrẽ: siccis oculis ad vexillũ crucis euola] memor & eiꝰ quẽ laudat Dominus per Moysẽ: *Qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos: & fratribus suis Ignoro vos*: Inprimis autem memor cõminantis Christi & dicentis: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Horum omnium, & similium, & exempli quod habes in Euangelio memor, si à Deo vocaris, Christum sequere, Christo te consecra, Christo te totum in odorem suauitatis & fragrantiæ (quæ in charitate maxima est) offer, trade, mancipa. Si inquã à Deo vocaris: nam etiã hîc aliud extremum cauendum est, ne prępropere, ne indeliberatè, ne leuiter fiat, quod grauiter toto vitæ tempore seruandum est. Hinc enim inquietudo cõscientiæ, hinc malæ pęnitudines, hinc Apostasiæ sæpè sequuntur. Ideò etiam addidimus verè, & sincere hæc facienda esse, non aliqua sinistra intentionè, non propter defectum rerum temporalium, non ad otium aspirando, sed purè propter amorem Dei, & seruiendi ei desideriũ, non denique ab homine persuasus, sed à Domino vocatus sequaris. Nã humana trãseũt, diuina firma sunt omnia.

Verũ dicent hîc parentes, & alii talia impedien-

Qui vocantur instruuntur vt faciant.

Hieronimus in Epistola ad Nepot:

Deut: 33.9

Mat: 10. 77.

Sed deliberatè.

Sed sincerè

Obiectio soluitur.

dientes; hoc ipſum eſt, quod nos inſectamur, hoc quod aſſerimus, videlicet, indeliberatum id feciſſe iuuenem, perſuaſum ab aliis. Noui vos hæc affirmare vnà cũ Hæreticis, id vobis ſuggerentibus, qui ſicut nihil tale ſentire in corde ſuo à Deo vocante poſſunt: ita idem de aliis ſibi perſuadent: ideoque omnia in malã partẽ interpretantur. Inuitus inquiunt fecit, deſperatione adactus fecit, perſuaſus fecit, licet contrarium nonnunquam, non modo oculis cernant ſuis, ſed & manibus palpare poſſent, ſi vellent. Expertus equidem ad laudem Ieſu loquor. Si omnes omnium orbis oratorum linguæ conueniſſent in vnum, nunquam id perſuaſiſſent priùs, quam diuina acceſſiſet vocatio, imo perſuaſio, imo tractio. Trahit enim Chriſtus vt ipſe teſtatur dicens: *Omnia traham ad me ipſum*, & trahit miris & infinitis modis; trahitque fortiter, & tamen ſuauiter: trahit diuerſos diuerſimodè, nullum tamen inuoluntariè, quoſdam autem trahit (vt ita dicam) etiam voluptuariè, id eſt, non ſolum volẽtes, ſed & gaudẽtes, & prę gaudio exultantes. Qui expertus eſt ſcit quid loquor, qui neſcit roget Deum, vt guſtet: ita enim ſciet. Nam non ſolum ad ſtatum religioſum (licet peculiari ratione hæc talibus conueniant) ſed etiam ad quoduis opus bonum trahit Deus homines, trahit Chriſtus Chriſtianos, imò & alios, hunc videlicet ad fidem Catholicam, alium ad pœnitentiam de peccatis;

Quam varè Chriſtus trahat. *Ioa: 12:32.*

alios

alios ad opera misericordiæ exercenda, alios ad alia. O si instinctus diuinos, & tractiones eius dulcissimas omnes & audire, & sequi vellent, quàm plena essent bonis Christianis omnia, quàm referta Sanctis personis monasteria, & collegia! verùm iam ad nostra redeamus & hunc alterum Deo se coniungendi modum exemplo Christi in Euangelio descripto concludamus.

Chtistꝰ itaque (vt dicta in pauca cõstringamus, & aliqua addamus) Saluator & *D*octor noster, inter alia hęc documenta dedit hodie. Primum parentibus, ne impediant *li*berorũ vocationem, ne fortè interitus *filiorum* rei existentes grauissimè puniantur. Nam esse aliquos in mundo, qui saluari non possunt, nisi fiant monachi, vel religiosi testatur eiusdem Christi vicarius D. Greg. Magnus: Ideoque Mauritium Imperatorem ingressum religionis militibus prohibentem grauiter reprehẽdit. videant parentes, & alii Catholici, quantum hoc sit periculum. Docet pręterea idem Dominus Iesus, & eodem parentes, & alios omnes, ne temerè iudicent, quo quis fine statum perfectiorem complexus fuerit. Sicut enim hic poterat quis errare, perperam interpretando mansionem Christi in templo, inSciis parentibus, ita nunc sæpè temerariè iudicando peccatur. Frequenter enim diuinam vocationem (imò tractionem.) aut hominibus, aut ipsi etiam dæmoni per magnum ne-

Documẽta hinc Christi. 1. Parentibꝰ ne impediãt

D. Gre: lib: 2. Regist: Epist: 61.

2. Eisdem & aliis ne iudicent,

fas

3. Ne in uiti extrudautur. fas adſcribimus. Docet item non eſſe extrudendos, aut cogendos, filios, filiaſue ad religionem vel ſtatum ſpiritualem amplectendum: hoc enim opus voluntarium eſſe debet, ſicut fuit in Chriſto. Docet etiam illos, qui volunt ſededicare Deo, vt id purè & ſincere faciant, non humano fine vel perſuaſione, ſed ex charitate, illo ſolo deſiderio, vt ſint IN HIS QVÆ PATRIS SVNT: id eſt, vt exequantur, ad quæ eos pater cæleſtis vocat. Docet inſuper in his non leuiter, ſed deliberatè procedendum eſſe, ideò & in templo manet, & anno ætatis ſuæ duodecimo id facit: hoc enim tempore ad perfectum vſum rationis peruenire ſolemus. Quod vero Conc. Triden: anni decimi ſexti expleti meminit, non hoc ideo ſanciuit, vt prohiberet, ne quis ante id tempus Deo ſe ſuo offerre poſſit, ſed vult ne profeſſio ante illud tempus facta valeat. Docuit deniq; hanc oblationem inſciis etiam parentibus poſſe fieri, imo fuco aliquo hac in parte vti, non eſſe crimen doli, vel irreuerentiæ; ſed eſſe virtutem prudentiæ, & Sanctæ obedientiæ: quia *obedire oportet Deo magis quàm hominibus* inquit D. Petrus.

4. Vt fiat bono fine,

5. Vt ætate firma.

Seſ: 25. cap. 15. de Regul:

6. Vt inſciis etiam parẽt.

Act. 5. 29.

Parentum inde honor.

Quare & illos, qui ad talem oblationem à Deo vocantur, vt alacriter id faciant moneo; & parentes, vt læti hoc ipſum ſuſcipiant, hortor. Nam quod cognati, vel parentes nonnunquam ignominiæ ſibi ducunt, vt filii eorum ſiue in religione, ſiue alio modo Deo ſe offerant,

offerant, id profectò non minus Christiano nomini, quàm ipsi veritati repugnat. Quid n. magis pugnat cum professione Christiana, quàm id probri loco ducere, quod Christus Dominus probat, laudat, consulit? Sed & cũ veritate pugnat: nam vt septa Euangelii hodierni non egrediamur; Peto, hæc Christi in templo insciis parentibus remansio, fuitne illis dedecori, ac honori? Dedecori, fuisse nescio vnde quis non dico probare, sed vel suspicari poterit: Honori autem fuisse, nimis euidens est. Nam à Doctoribus illis Ierosolimitanis viris pręcipuis qui STVPEBANT SVPER PRVDENTIA ET RESPONSIS CHRISTI Domini parentes ipsius honorificè habitos, doctóresq; de tali filio congratulatos eis fuisse nemo dubitauerit. Quod etiam nunc sæpè vsu venit. Nam vt aliquot afferam exempla, ex infinitis, sint tria (& vnum illorum domesticum) ex sola S. Dominici familia. In hac n. ipse D. Dominicus D. Thomas D. quoque noster Hyacinthus, plus equidem familiis Gusinanorum in Hispania, Aquinatum in Italia, Odrouasonum in Polonia dignitatis, gloriæ, & honoris attulerunt vili sua & abiecta secundum mundum paupertatis professione, quàm omnes maiores illorum ex omnibus suis diuitiis, dignitatibus, imaginibus, olim retulerant. Ex his n. dictæ familiæ in suis tantum prouinciis, & paucis vicinis cognitæ erant: at propter vitæ sancti-

Exemplum Christi Domini.

Tria alia exempla.

sanctimoniam Dominici, Thomæ, Hyacinthi, quam illis professio paupertatis attulit toti terrarum orbi innotuerunt & illustres factæ, futuræque sunt vsq; ad consummationem sæculi. Impossibile est enim vt lex Christiana, lex honoris & dignitatis, veram gloriam non pariat. Sed Dæmonum conatus sunt, perficere, vt virtus decori; vitium honori ducatur, quod sicut olim de religione Christiana persuasit Sathan gentilibus, ac Iudæis; ita nunc de religiosis ordinibus suadet, & persuadet Hæreticis, Pseudopoliticis, & quibusdam etiam frigidis Catholicis. Videant quid faciant, quos fabula tangit.

TERTIVS vnionis cū Deo modus est opus.

Postrema ratio ex propositis, qua creatura per charitatem suo coniungitur creatori est eorum, quæ placent Deo, fidelis & continuata exequutio. Qui modus tantò prioribus est excellentior, quantò opus verbis, facta dictis prestant: & quia hac ratione magis quàm in cæteris modis diuinæ assimilamur naturæ. Dei etenim est nunquam esse otiosum, semper autem nobis benefacere. In his igitur qui *Adiutores sunt Dei,* (vt seipsum, & sibi similes vocat Apostolus) vnum quodammodo fiunt cum Deo operando videlicet, quod ipse operatur. Hanc vnionem puer Iesus hodie nos & opere, & verbis docuit: Opere quidem, quando discedentibus parentibus solus mansit in Ierusalem, iuit ad templum, disseruit cum Doctoribus, obstupescere illos fecit, &

1 Cor. 3. 9.

Quomodo id Christus docuit.

cit, & alia operatus est, in quibus secundum ordinationem patris æterni oportuit illum esse: verbis autem idipsum respondens parentibus suadet; vtroque modo nos instruens, quid à nobis requirat, quid ue nos facere oporteat; si hoc modo & ratione Deo coniũgi exoptamus.

Et sanè si diligenter hodierna facta Christi perpenderimus, inueniemus illum & pręcepta Dei decalogo comprehensa perfectissimè exequutioni mandasse, & nos, quomodo sit ordinanda charitas, docuisse. Expleuit primæ tabulæ quæ Deum concernunt mandata: quia vnum Deum coluit, quia eum inuocauit, quia festa ipsius celebrauit. Expleuit & secundæ, quia parentes honorauit, ET ERAT SVBDITVS ILLIS: quia neminem læsit, nulli iniuriam intulit, nullius rem vllam concupiuit, quia ita omnia illa negatiua pręcepta obseruauit, vt non solum nihil tale, quod illa vetant, attentarit, sed etiam quomodo ea sint cauenda, suo exemplo docuerit. Ordinem quoque charitatis nos docet, dum & seipsum parentibus subdit, & tamen propter Deum etiam parentes deserit. Christum igitur dilectissimi imitemur, Iesu vestigiis insistamus, hoc dicto Iesu sapientissimo & potentissimo omnia, quæ sese nobis offerunt facienda, diligenter examinemus: & si quidẽ reperiemus ea voluntati patris cælestis repugnare, omittamus, & reiiciamus: sin verò talia

Quomodo decalogum impleuit.

Quomodo charitatem ordinauit.

Quomodo imitandu.

talia fuerint, in quibus iuxta voluntatem patris æterni oportet non esse, impigrè, alacriter, & incessanter exequamur. Hac enim ratione ad hunc præstantissimum gradum, quo Deo in charitate coniungimur, ascendemus.

I. PARS. Amor nostri duplex.

Sed iam alterum, quod proposuimus, videamus, quonam videlicet modo exemplo pueri Christi IESV nosmetipsos amare, amãdoque secundum Deum tractare debeamus. Nam secundum mundum, & carnem, alia, imò contraria amandi & tractandi nos est ratio. Hinc duplex amor sui sibi planè contrarius exoritur, alter à Deo, alter à dæmone, & natura nostra deprauata procedens, alter bonus, alter nequam, ideoque ille procurandus, hic mortificandus. Cuius rei exemplum dedit nobis eximium puer Iesus, non quòd mortificatione indigeret, qui quod mortificaret non habuit, quia peruerso illo sui amore omninò caruit; sed vt quod nobis est in nostra carne necessarium, ipse nos in sua innocentissima & tenerrima edoceret.

Bonus procurandus.

Christi exẽplo mirãdo.

O magnum charitatis opus; ô amor Iesu erga nos admirabilis. Ipse medicus, cui integerrima sanitas fuit, in puerili adhuc ætate constitutus, amaram gustat potionem, ne nos in peccatis nati, & enutriti, ægri nimis, ac medicina valdè egentes, illam fastidiamus, reiiciamusque, quod fit á plerisque plerumque. Aspicite quæso duodennem adolescentulum quomodo se gerit, quomodo ex purissimo

rissimo virginis Mariæ sanguine confectum, ideoq; tenerrimum corpusculum suum tractat, quomodo pedes peregrinatur, qui ad vsum hominum vniuersa condidit iumenta, *Vbi cubat* non iam *in* calido *meridie*, qualem sponsa quæsiuit, sed in frigida vna & altera nocte; quibus vtitur stragulis, quibus puluillis? quando vigiliis fessa voluit reficere membra, lectus illi procul dubio terra fuit: puluinar lapis capiti suppositus, quod etiam de Patriarcha Iacob olim in figura Christi legimus. Neque verò Angelos ascendentes & descendentes, imò tantam eius humilitatē admirantes defuisse Christo credimus, quos Iacobo adfuisse legimus. De cibo verò & potu, de vestitu, & aliis commoditatibus, quid dicam? Dixi in alia concione quædam, pauca ex multis quæ pii piè meditari consueuerunt: Sed & me tacente res ipsa loquitur, capones, perdices, carnes ferinas, pisces delicatos, vina quoque & varia & præcipua, aliaue fercula exquisita, & gulæ irritamenta, ibi omninò defuisse. Aderat autem ieiunium vltrò susceptum, aderat fames vltrò accèrsita (secus fit in nobis) aderat panis fortè & obsonii aliquid vel vltro oblatum, vel mendicato acquisitum, aderat & aquæ frigidæ haustus. Vestis verò fuisse illa creditur, quā matrem virginem fecisse spirituales meditātur, traditio clamat, illa inquam quæ in passione sic describitur: *Erat autem tunica inconsutilis*

Cant: 1.7.
Gē: 28.11.
Figura.
Cibus Christi.
Potus.
Vestis.
Io: 19.23.

sutilis desuper contexta per totum: non sericea profectò preciosa, sed vilis lanea. Breuiter omnia aspera, vilia, abiecta, humilia.

Amor nostri bonus, duo complectitur.

Quorsum hæc? vt nos duo doceret, in quibus amor sui bonus cõsistit, videlicet in asperitate victus vestitusque, quibus caro cum concupiscentiis suis refrenatur; & in profunda humilitate (cuius hic infinita sunt argumenta) qua superbia, ira, & alii appetitus nostri inordinati refrenantur, ac mortificantur. Hic est ergò, ô anima Christiana (imprimis verò religiosa) amor tui non carnalis, sed spiritualis; non is, qui est fons omnium peccatorum, sed qui est origo vniuersarum virtutum, non quem instituerunt primi nostri parentes superbiendo: sed quem nos docuit nouæ legis fundator Christus Iesus, nimis sese humiliando. Superbia etenim ac sensualitas sunt, quæ ex hominibus bruta faciunt animalia, mortificatio verò & humilitas bruta iterum in homines conuertunt.

NOTA

Malus ex hominibus belluas facit.

Patet id, in Adam.

Notum est exemplum primorum parentum, qui gulositate & superbia sua effecerunt, vt Dauid dicere de illis cogeretur: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Notum & aliud de Rege Nabuchodonosore, quem superbia ex homine, imò potentissimo mundi Monarcha bestiam effecit: dum verò in forma quam gerebat belluæ, humiliari cæpit, iterum per humiliationem bestia in Regem transf-

Ps: 48.13.
Dan: 4.29
In Nabusodonosor.

transformata fuit. Idem nobiſcum quotidie ſpiritualiter fieri certò nobis perſuadeamus: ideoque non Regem, primoſue parentes ſuperbos, & ſenſui deditos, ſed puerum Ieſum in anima humilem, in corpore verò mortificatum, imitari ſtudeamus. Vix enim dici poteſt quantum ad profectum ſpiritualem valeat deſideriorum carnis noſtræ repreſſio, ſicut è contra proxima ad interitum via eſt corpori habenas laxare. Videmus id ad oculũ in Luthero, & aliis noſtræ ætatis Hæreticis. Cuius etiam rei dedimus aliquando ſimilitudinẽ in libra, nunc aliã accipite: ſunt etenim anima & corpus noſtrũ, ſicut duæ ſitulę ſiue vrnæ colligatæ cathena, quã Philoſophi compoſitum vocant: quemadmodũ ergo in rota putei, quantò magis vna ex vrnis deprimitur tantò altera altius erigitur: ita in *rota natiuitatis noſtræ* (vt D. Iacobus vitam noſtrã vocat) quantò plus ſenſualitas & animæ inordinati appetitus cõprimuntur: tantò magis mẽs & ſpiritus noſter cælum verſus eleuatur. Id igitur procurandum. In nobis quotidie. In hæreticis A ſimili. *Iacob: 3.6.*

NOTA.

Cæterùm qui carnis commoditatibus nimium ſunt addicti, adferre in contrarium ſolent aliquando illud Apoſtoli: *Nam corporalis exercitacio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt*; indeque concludere conantur, carnis mortificationem aut nihil, aut parum admodùm vtilitatis nobis adferre: ſed iniquè id illos facere vel ex hoc ipſo Chriſti fa- Obiectionẽ & Regulas de mortificatione. *1 Tim: 4.8*

cto liquet. Neque n̄. Apostolus contrarius erit factis Christi, imò sui ipsius. Quæ n̄. mortificationum genera ipse de se non recenset?
1Cor:9.29 *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo* ait in vno loco; quod vtiq; sine corporali exercitatione & mortificatione carnis esse non potuit. In alio verò inquit. *In vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate.*
2.Cor.11.27.
2. Cor:6.5.
Et ad hocipsum omnes fideles alibi exhortātur. Quid ergo? est ne nunc sibi D. Paulus contrarius? Absit. Ideò sancti varie id interpretantur D. Chrisostomus sic in illum locū scribit [quidam hoc Apostolum de ieiunio aiunt dixisse, sed profecto errant] iccirco de alia quadam exercitatione loqui Apostolum asserit. Alii putant illum agere de exercitatione corporali, quæ fit sanitatis causa: vnde contrarium potiùs euincitur. Sed fac de ieiuniis, & aliis generis eiusdem loquatur: certè si diligenter considerentur, quæ antecedunt & sequuntur apud Paulum, nihil subsidii in verbis istis, amatores carnis habebunt: Præcessit n̄. Prophetia de Hæreticis, qui & connubia, & cibos varios prohibere debebant (quales postea fuerunt Encratitæ, Tatiani, Manichæi, & aliæ fidei Christianæ pestes) quorum corporalis exercitatio non solum ad modicum, sed ad nihil penitus vtilis erat. Sequitur verò immediatè illud, quod iam citauimus: *Pietas autem ad omnia vtilis est.* Vnde euidenter constat Apostolum comparatione vti.

1. Quæ exercitatio corporis prohibatur.
Chrys: hō: 12. in cap: 4. primæ ad Timot:

vti: neque verò negare, quinimo affirmare vtilem esse corporis exercitationem, sed tamen vtiliorem esse pietatis & operum misericordiæ exhibitionem. Quod ideò dictum autumant quidam, quia Timotheus, cui hæc scribuntur, nimium mortificationi carnis deditus fuit; ita vt etiam á necessariis abstineret, qua de re statim in sequenti capite monet illum Apostolus dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates,* Duo itaque docet Apostolus: vnum, ne quis in mortificatione ita sit nimius, vt læsa sanitate maiora bona impediat, quæ per illum fieri possēt: alterum, vt propter pietatis exercitia non nunquam remittatur aliquid de rigore exercitii corporalis: quod omnes viri spirituales etiam mortificatissimi & concedunt, & docēt. *Glossa ordinaria.* *1Tim: 5.23* 2. Quomodo laxanda mortificatio.

Ac proinde nos quoq; cum illis, dictis hæc adiicimus. Primū quidē dicimus, ad mortificationem presertim carnis, discretione opus esse: hoc n. est sal illud, sine quo nulla placet victima Deo: ideo ad Moysen ait. *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies.* Discretio. n. est virtutum omnium moralium cōdimentum. Deinde, sal istud discretionis in compescenda quidem superbia, ira, & aliis motibus animi, ipsiusq; linguæ, minus requiritur. Vt plurimum n. quanto magis eorum impetus cohibueris, tāto plus in amore tui bono proficies: at in exercitatione corporali necessaria 3. Discretio adhibenda. *Leu: 2.13.* 4. Vbi.

5. A quo. est discretio: icc irco quando non sunt personæ multum in hoc exercitatæ, quos ipsa vnctio diuina discretionem docet, non suo sensu, sed patris spiritualis arbitrio vti hac in parte debent. Pater verò spiritualis tā sui, quàm aliorum ratione, duo extrema fugiet, alterū, ne nimium; alterum, ne parum inueniatur discretus: Indiscretus erit, si illa duo, quæ Paulus Timotheo suo pręscribit, non obseruauerit: nimis verò erit discretus, (si ita loqui fas est) si ex corporalibus exercitationibus, quæ fiunt per ieiunia, vigilias, cilicia, flagellationes, & his similia, aut nihil, aut parùm admodùm concedere voluerit iis pręsertim personis, quæ vel indigent talibus, vel voto castitatis Deo suo sunt constrictæ.

6 Quomodo nempè. extrema fugiendo.

7. Causæ cōsiderandæ. Consueuit enim nonnunquam siue timor, ne in talibus fiat excessus, siue commiseratio, ne quis grauetur, siue etiam amor sensualis persuadere nobis ne hæc exercitia permittantur, ex quorum defectu multa mala, imò & interitus ipse nonnunquā sequitur. Hæc propter confessarios nimis misericordes dixerim. Vtinam desint exempla eorum, à quibus dum sub specie infirmitatis vel debilitatis, corpori laxantur habenæ, ita hæc crescunt, vt spiritus, primùm quidem debilitetur, postmodùm etiam extinguatur. Ideò monet Apostolus *Spiritum nolite extinguère*, quod inter alios isto quoque fit modo.

1 Tess. 5. 19.

8. Opinio sensualis cauenda. Sed & illā opinionem plurimum fugiendam

dam esse existimarem, arbitrari quemquam sine corporis afflictione ad mortificationem animæ & passionum eius posse peruenire. Hic enim error est eorum, qui sunt sensuũ mancipia: Contrarius planè & factis & dictis Christi & Apostolorum. Imprimis verò figuræ illi celeberrimæ, (quam magni facit Apostolus) de duobus filiis Abrahæ: Crescente enim Ismaele, Isaac affligitur, id est, crescente sensualitate, spiritus deprimitur. Icciro Ismael vna cum ancilla eiiciendus est, Sara libera id volente, Deo verò approbante, & vt ita fiat Abrahamo pręcipiente. Postremum est, quod primum esse debuit, & quod summam reliquorum continet, vt memores tum hodie dati nobis exempli, tum postmodum à Christo traditæ doctrinæ, id cogitemus, quod quantò magis corpus, imò vitam ipsam odio sancto prosequemur, tantò magis animam nostram diligemus, & vtrumq; saluabimus. Icciro omnes quidem tenentur eas carnis mortificationes per ieiunia & alia suscipere, quas Ecclesia pręcipit & pręscribit dandaque est opera, ne facile & sæpe mendaciter in illis dispensatio quęratur. Illi verò qui in perfectiori statu positi sunt, vel ad eum tendunt, instituti sui rationem strictè in his quoq; obseruent, nempè carni non applaudentes, particularia vitantes, aliquid etiam mortificationis addentes. Sic. n. fiet quod corpore mortificato anima etiam humiliabitur, hac verò hu-

Gal: 4. 22. Gē: 21: 12. NOTA. Figuram.

9. Obligatio præstanda. Io: 12. 25.

10. Addenda in vniuersali.

rò humiliata crescet Spiritus in charitate. Quantum.ñ. proficimus in humilitate quæ est pedissequa charitatis, tantum & ipsa charitas in nobis augebitur, amorque inde bonus crescet, malus verò & peruersus debilitabitur.

III. PARS. De amore proximi. Denique de amore proximi quem nos docuit hodie puer Iesus nobis tãtò breuius tractandum erit, quantò longiores in aliis fuimus. Cuius quidem tractationis caput erit, quod nostis omnes, videlicet triplicem esse proximũ nostrum. Proximus triplex. Omnis.ñ.proximus quem iubente Deo, vt nos diligere debemus, aut est superior noster, aut par & æqualis nobis, aut inferior. Quomodo singuli horum sunt diligendi exemplum eximium dedit nobis hodie puer Iesus. 1. Est superior cui obediendum. Superiori obediendum est: verùm vt inter superiores sunt gradus: ita Ordo tamẽ obseruãdus. tamdiu superiori obedire debes, quamdiu tibi non constat aliud velle illum, qui & tibi & superiori tuo præest. Vtriusque specimen edidit, hic Christus Dominus, quando & cum parentibus iuit ad templum, tanquam filius obediens, & ipsis insciis mansit in Ierusalẽ, quia id voluit PATER cælestis dominus, & superior parentum ipsius. Pulchra regula notatu & obseruatu dignissima, ac necessaria cum omnibus, tum verò illis, qui voto adstricti, sub obedientia viuunt.

Ab omnib'. NOTA Omnibus est necessaria, vt discant tum obedire, tum non obedire: in vtroque enim,

sæpè

ſæpè grauiter peccatur. Nam ſæpè non obeditur, in quibus eſt obediendum; & obeditur, in quibus non eſt obediendum. Hinc illæ caluæ excuſationes, debeo inebriari quando dominus tractat hoſpites, cogor detrahere, maledicere, imò & percutere inimicos Domini mei, quia hoc fidelitas mea erga herum requirit: teneor denique ſubditos opprimere, vſuras exercere, maioris quàm par eſt vendere, ad oculum ſeruire, & alia quæ Dominus, cui fidem aſtrinxi meam, iubet ac præcipit. Nihil horum teneris, imò contraria perficere es obligatus: quia prius fidem tuam aſtrinxiſti & Deo creatori, & Chriſto in Baptiſmo, qui hæc te facere prohibent; quia in talibus obedire non eſt erga herum reuerentia, ſed eſt contra Deum impietas; quia dum hæc facis non es Deo obediens, ſed es inobediens. *Non eſt. n. poteſtas niſi à Deo* ait Apoſtolus. Omnis autem poteſtas hominũ limitata eſt: Nam *gloriã meam alteri non dabo* ait Dominus. Quantum ergò poteſtatis Deus dedit Domino tuo, in iis obediendo benè facias, quæ verò Deus & tibi, & hero tuo prohibuit, hæc exequendo vterque veſtrum peccat. Hæc igitur cogitate, & cauete diligenter, neque multiplicate quæſo præuaricationes, rationes quærendo *ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Iccirco. ñ. Chriſtus parentes licet innocentes duriùs tractat, vt tu ſcias quid te erga nocentes dominos facere oporteat.

Rô: 13.1.
Iſ: 42.8.
Pſ: 140.4.

A religiosis præcipuè.

Illis verò qui propter Deum homini se submiserunt, præstantissimum sanè documétum hoc facto suo dedit puer Iesus; imò duo. Alterum, non intueri quis est cui obeditur, sed propter quem obeditur. Quis. n. Ioseph respectu Christi? & tamen Christus obedit Iosepho. Quomodo. n. dici posset ET ERAT SVBDITVS ILLIS, si Ioseph nihil ei præcipiebat? Iubebat igitur Ioseph, obediebat Iesus, & obediebat alacriter. Quod si non erubuit obedire sapientissimus minus sapienti, conditor cæli & terræ, fabricatori mensarum & arcularum; filius denique Dei, Deus; patri putatiuo homini: eriget se cinis, puluis homo mendax contra alium hominem, & per superbiam negliget, vel erubescet obedire illi, quem Deus ei præfecit, eò quòd videtur ei minus esse prudens, sapiens, sanctus?

Tum vt nō intueantur personam.

Alterum est, quod non solum obediens, verum etiam dicitur fuisse SVBDITVS ILLIS, sicut seruus, sicut mancipium. Quantò magis subdere debemus nos, omnia nostra prælatis nostris, non solum facta & opera, sed etiam voluntatem ac intellectum, qui obedientiæ excellentissimi sunt gradus. Sed inquis, potest superior errare, imò etiam præcipere quæ contraria sunt Deo. Ad hoc iam datum est responsum, non debere nos tunc obedire, cùm ea tamen cautione, quæ data non est; vt nobis certò constet illud, quod præcipitur, esse contrarium mandato diuino.

Tum vt sub misse obediant.

Etiam in dubiis.

Vbi. n.

Vbi. n̄. euidens non eſt, debemus obedire. Nam obedire ſecurum, non obedire periculoſum eſt: ſecurè enim obedio vni ſuperiori quamdiu mihi non conſtat contrarium mandaſſe maiorem prælatum: at minus ſecurè refragor nullam habiturus excuſationem, quando propter meam opinionem, reiicio mandatum. Quod verò ad prudentiam ſuperiorum attinet, ſi nos amor noſtri inordinatus non excæcauerit; videbimus ſanè illam & ſecundum iudicium mundi ſæpiſſimè, & ſecundnm Deum ſemper noſtra eſſe anteponendum prudentia. Supplet.n̄. Deus propter quem obedio, ſi quid ſuperiori deeſt, & ita ſupplet, vt ego dum obedio, etiam errando non errem. Obediendum igitur eſt & ſubmiſsè vt Chriſtus, & alacriter vt Chriſtus, & perſeueranter vt Chriſtus. Nam ab hoc anno duodecimo vſque ad trigeſimum nihil aliud de eo legitur, niſi quod ERAT SVBDITVS parentibus, annis vt apparet decem & octo. Magna confuſio impatientium, conſolatio verò perſeueranter obedientium.

Etiam minus prudentibus.

Et perſeueranter.

Patribus verò proximis qualem doctrinā dabit Chriſtus dominus? cum illi par nullus inuenietur. Nullus equidem, præter patrem, & Spiritum S. in diuinis; in humanis verò nullus hominum. In ætate tamen, quam hodiernum deſcribit Euangelium, ſunt ei æquales adoleſcentuli quando totidem annos habent, quando ad vſum rationis veniunt, quādo in

2. Proximus eſt æqualis.

Adoleſcentibus 3. doctrina.

do in biuio positi sunt. Itaque Christus dominus hodie dat; & doctrinam triplicem: & exemplum quomodo eà ætate gerere se debeant. Nam primo manendo in templo docet eos, vt Deum non Diabolum; virtutem non voluptatem sequi eligant. Deinde asperius alloquendo parentes instruit, quomodo si à Deo ad seruitium suum vocantur angores & tristitias parẽtum nihili faciant. Tertiò, cum inuenitur inter Doctores; erudit nos, quomodo ętatem illam studiis informare, & quomodo in eis se gerere debeant, quatuor videlicet seruando, quæ hîc Christus obseruat. Nam sedisse, audiuisse, interrogasse, & respondisse legitur. Ita pueri præsertim studiosi, (magis vero adulti, qui pueris exẽplo præire debent) quietè sedeant, attentè audiant, quæ ignorant diligenter interrogent, & cùm interrogantur modestè ac humiliter respondeant. Ita n. & Christum imitabuntur & in studiis benè proficient. Denique nos omnes; proximos nobis æquales in charitate diligere debemus; quod fiet si exemplo Christi bonum exemplum & debitum honorem illis præbere conittemur.

NOTA.

Pares quomodo amãdi.

Cum subditis autem quomodo se gessit Iesus? cùm nullos habuerit & puer, & pauper? Habuit sanè, imò etiam illos quibus suberat; etiam eos, qui instruere illum videbantur. Proinde vtrosq; docet, docet parentes dum illis voluntatem patris manifestat, docet Doctores

§. Proximus est subditus.

Qui instruendus.

ctores ita, vt obstupescere eos fecerit: docet omnes agere amanter cum omnibus vt ipse fecit: nam & illa verba ad parentes amoris & beneuolentiæ erant plena. Sed & Ioseph cum Maria, pulchram & necessariam dant doctrinam superioribus, quomodo cum subditis sit procedẽdum, nempè, vt eos, quibus aliquid exterius pro muneris & dignitatis suæ ratione pręcipiunt interius in corde suo, non solum non contemnant, sed etiam sibiipsis pręferant, & anteponant. Quis n. pius vel dubitare audebit id parentes Chtisto Iesu fecisse?

Qui humiliter tractãdus est.

Hæc sunt q̃uæ hodie tam iuuenibus, quàm senibus, doctis pariter ac indoctis puer Iesus, haud puerilia dedit ad imitandum se exẽpla, docens nos, non mundum fabricare, sed charitatem & pedissequam ipsis humilitatem exercere: non in mundo mirabilia operari, sed excellentssimam illam Dei imaginem, quæ in amore trino & vno consistit, in nobis reformare. Ingrediamur igitur in interiora cordis nostri dilectissimi, ac intimos animæ nostræ scrutemur recessus, vt & quid nobis desit diligenter aduertamus & quicquid deest tam conatu animi quàm precibus supplere studeamus. Videamus quæso an in nobis vigeat orationis studium, sincerum Deo nos offerendi desiderium, iugisque mandatorum ipsius & cõsiliorum (qui ad hæc uocati sunt) exequutio: his n. modis inter alios creatura creatori

Conclusio summam dictorũ & exhortationẽ continens.

atori suo in charitate iungitur. Videamus num amor nostri bonus sit in nobis: qui tum in humilitate, mansuetudine, patientia, longanimitate, ac aliis virtutibus: tum in mortificatione, afflictione, odio carnis & desideriorum eius, sita est. Videamus deniq; num amor proximi, quem & ratio suadet, & Deus pręcipit in nobis reperiatur: an exhibeamus superioribus nostris integram obedientiam, paribus debitam reuerentiam, subditis humilem pręeminentiam: omnibus obsequium, opera misericordiæ exercendo, & quosuis quantum possumus iuuando. Cæterum quis est hîc, qui isthæc sibi de se polliceri audeat? certè qui talis esset, cauendum illi foret, nę eo ipso vitio contrario laboret. Nā vt grauiora taceam; quis non videt quàm frigidi simus in orando & meditando! in diuinę voluntati nos perfectè resignando? in exequendo & operando quæ sunt Dei? quis non animaduertit quàm ad oblectationes carnis, ad sectandos honores, ad explendas cupiditates, ad superbiam, ad iram, & alios affectus minus ordinatos simus procliues ac proni? quæ certè non boni sed peruersi amoris nostri proprii sunt signa euidentia: quis denique non cernit, quàm in operibus misericordiæ In opitulando illi, qui ope indiget nostra, in reddendo vnicuiq; siue superiori, siue pari, siue subdito quod eius est, oscitantes & negligentes sumus? est igitur quod Christi

Iesu

Iesu aſſiduè imploremus auxilium & miſericordiam, vt qui exemplum dedit, vires quoque & auxilium non ſolum ſufficiens, ſed & efficax largiri dignetur; quo inimicos potentes debellare, quo amorem noſtri peruerſum in nobis mortificare, quo proximum ſtrenuè iuuare, quo Zelo animarum ardere, quo diuinam voluntatem in omnibus ſequi & explere, quo Deum in ſe, nos in Deo, proximum verò propter Deum, purè & ſincerè amare, & hac ratione Trinitatem, quæ in nobis eſt tam naturalem, quàm quæ ex charitate procedit reformare, tueri & conſeruare in finem vitæ; poſt hanc verò vitam Trinitatem illam increatam & in comprehenſibilem patrem filium & ſpiritum S. vnum & trinum Deum videre, laudare, ac magnificare valeamus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Ioan: 2.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater IESV ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino

dicit

dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum Purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset? ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinũ ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum vsq; adhuc. hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

PARTITIO.

Evangelium hoc varijs posset diuidi modis, verùm prętermissis omnibus alijs partitionum generibus, pro numero personarum, quæ in illo loquuntur diuisionem nostram faciemus. Sunt autem quatuor. Primus est sacer Euangelista Ioannes, qui historiam conscripsit & facta narrauit. Altera est beatissima virgo Maria, quæ bis loquitur: semel ad filium, & semel ad ministros. Tertius ipse Christus Dominus filius Dei, cuius tria hic dicta habemus: vnum ad matrem, duo ad ministros. Postremus Architriclins est, cuius sunt illa verba ad sponsum. *Omnis homo primum bonum vinum ponit &c.* Itaque quot sunt hîc personæ loquentes: tot erunt Euaugelij partes, quatuor omninò. Quem quidem nuĩerum tantò libentius amplectimur, quantò

& qua-

&'quaternarius nostro instituto est accōmodatior, & singulæ ex istis personis singulis concionibus singularem & appositam poterunt nobis dicendi prębere materiam. Quare verbis Architriclini timorem in nobis excitare conabimur; Euangelistæ narratio fidem firmabit Catholicam; Spem autem eriget in nobis mater spei & Dei virgo Maria: Denique Christus Iesus Dominus noster, ipsa charitas Deus, dictis suis docebit nos veram charitatem. Hæc est istarum concionum partitio, hæc materia. Hoc adnotato, non velle nos diuisione ista ita constringi, vt, si quid aliud in Euangelio occurrat, aptum alicui ex dictis quatuor locis communibus: non sit nobis liberum, ea dictis applicare, (id enim faciemus) sed quòd ita ordinatis concionibus prçcipuam materiam administrabunt, verbo in capite seu themate proposita.

CONCIO PRIMA Timor.

VINA VARIA. EBRIETAS.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint. Tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum IESVS, *in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eū discipuli eius.*

QVamuis prima ac prçcipua sit intentio nostra, verba Architriclini pro hac concione & explicare, & trutinare: adiecimus tamen & reliqua, quæ vsque ad finem Euan- Reddita ratio thematis

Euangelii protenduntur, duplici de causa: tũ quòd instituto conueniant; tum vt difficultates quasdam, tam ex cantu Ecclesiæ, traditioneque SS. Patrum, quàm ex themate exortas, dissoluamus, Euangelium etenim hodiernum & facile & difficile est: Facile bonitate diuina, difficile malitia humana: facile, quia historiam quandam in se continet, difficile, quia peruersitate hominum peruersorum eò trahitur, quo vellet minimè. Verè enim de hoc quoqueEuangelio & factisChristi quæ in eo describuntur, illud dici potest, quod non ita pridem ex ore Simeonis Prophetæ audi-
Luc: 2.34. uistis, positum esse Iesum *in ruinam multorum*, illorũ videlicet, qui tam in ipso Christo quàm in dictis, factisque eius scandalizantur, quorũ hic nõ est paruus numerus. Verũ nos aliis ad alias cõciones reiectis, ea hic pertractabimus, quæ huic loco maximè seruiunt.

PROPO: quadripartita. Itaque in hac concione primùm quæ proposuimus verba explicabimus, & quæ circa illa occurrent difficultates, dissoluemus. Deinde, quàm verum sit hoc Architriclini dictũ, vniuersim loquendo ostendemus. Postea quomodo in his verbis quidam etiam Catholicorum scandalizati fuerint, videbimus. Postremo remedia istis malis adhibebimus. Tu Christe Iesu effice, vt non mundum decipientem, sed te sincerè & benignè nobiscum agentem, sequi studeamus.

1. PARS. Quandoquidem priora illa thematis propositi

positi verba, quæ Architriclinus protulit, plus tum doctrinæ moralis, tum scandali accepti, quàm difficultatis in se contineant, ideò paulò post copiosius, hîc breuiter tantùm nobis perstringenda erunt. Architriclinus igitur, qui mensis & conuiuio præerat, & ad cuius arbitrium omnia circa potum, cibum, discumbētium ordinem & alia generis eiusdem gerebantur, degustato vino optimo & excellentissimo, quod Christus ex aqua fecerat, ac transformauerat, ignoransque vnde esset, indignabundus quod à principio vinum hoc ad gustandum illi datū non fuerit, vocat SPONSVM (cuius munus fuisse conuiuis vinū procurare, vel hinc apparet) ET DICIT EI verba, quæ excutienda proposuimus. Thema explicatur.

Omnis inquit HOMO, non spiritualis, sed carnalis, non *ex aqua & Spiritu sancto renatus*, sed *ex sanguinibus*, *ex voluntate carnis*, & *ex voluntate viri* natus. Homo inquam *animalis* de quo Apostolus: *Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Homo mūdanus, qui prudentiam carnis habet, qui mundum immundum & deceptorem sequitur. Hic talis homo. Homo qui hic intelligatur. *Io: 3. 5.* *Ioa: 1. 13.* *1 Cor: 2. 14.* *1. Cor: 3. 3.*

PRIMVM BONVM VINVM PONIT. Id etenim illum *princeps mundi huius* edocet, nēpè sub specie boni decipere, iccirco nullum peccatum aliter quàm laruatum boni specie primùm irrumpit. Fraus dæmonis *Io: 14. 30.*

ET CVM INEBRIATI FVERINT. Homines Qui inebrientur.

mines videlicet eiusdem farinæ cuius sunt priores, quorum illi decipere, hi decipi volunt. Talis iste fuit Architriclinus: tales nunc multi, de quibus inferius dicemus.

Quibus vinum mundi datur.

TVNC ID QVOD DETERIVS EST. Vinum propinat iam vel ebriis, vel semiebriis: quãdo deprauato gustu per nimium potum iudicare benè de sapore nequeunt. Quod nõ solum in ebrietate, verum etiam in quouis peccato vsu venit, ita vt nonnunquam ipsos etiam amatores mundi non lateat, & tamen apertis oculis cadunt, insuper cum Architriclino dicunt.

TV AVTEM SERVASTI BONVM VINVM VSQVE ADHVC. Expostulant etenim, lamentantur, & insurgunt in eos, qui illis contrarium suadent, qui docent vinum mundi, & voluptates eius, primùm dulces, postmodùm amaras, esse relinquendas, virtutem verò amplectendam: cuius radix amara, sed fructus suauis; & exspectandum esse BONVM VINVM, de quo hic audis, seruatum in finem, imò sine fine permansurum. Hæc inquam, & his similia dicas quæso carnalibus istis, & animalibus hominibus (vt eos Apostolus vocauit) & videbis quomodo te alii cachinnis, alii conuitiis, alii etiam propè pugnis excipient. Verùm de his plura in decursu concionis, hæc pauca pro textus expositione sufficiant. Maiorem. n. habent difficultatem quæ sequuntùr, ideò diutius eti-

tius etiam in illis explicandis nobis immorãdum erit. Addit.ñ. D. Ioannes: HOC FECIT INITIVM SIGNORVM IESVS IN CANA GALILÆÆ. Est namque hic quæstio, num hoc miraculum transmutationis aquæ in vinum, fuerit simpliciter INITIVM omnium SIGNORVM, ac miraculorum, quę fecit Iesus; an verò illorum tantùm, quæ peregit in CANA GALILÆÆ. Difficultatem parit antiquissima traditio, cantu Ecclesiæ confirmata, quæ asserit tria miracula eximia, vna eademque mensis die (licet diuersis annis) peracta fuisse. Primum erat aduentus Magorum duce stella ad adorandum Iesum, alterum Baptismus eiusdem Iesu in Iordane, quo peracto apertum est cælum, vox patris audita, & Spiritus S. in colũbæ speciæ apparuit. Tertium hoc, quod præ manibus habemus. Neque verò quæstio est vlla, quonam modo duo priora eadem mensis die facta fuerint, cùm multi inter hæc intercessęrint anni: verùm quanam ratione hoc in aqua miraculũ cum Baptismo Christi in Iordane, in eandem inciderit diem non parùm sanè habet difficultatis propter alios Euangelistas, qui videntur asserere Christum Dominum quasi statim post Baptismum prædicationi, & miraculorum patrationi se dedisse: quod nec ipse Ioannes diffitetur, qui præcedenti capite exponit Christum Dominum Nathanaeli quædam prophetico Spiritu retulisse.

Quæritur quorum signorum sit hoc initium

Tria miracula vna die facta.

Mat. 3. 16.

Difficultas proponitur.

Ioa. 1. 47.

tuliſſe, propter quæ Nathanael eum eſſe filium Dei confeſſus eſt, quod vtique magni miraculi lòco haberi poteſt. A qua difficultate facile ſe expediunt illi, qui poſteriorem ſequentes ſententiam, aſſerunt eorum tantum miraculorum, quæ in Cana facta ſunt, hoc initium fuiſſe. Verùm cùm non conſtet ex ſcriptura Chriſtum plura in Cana miracula feciſſe, quibus hoc initium dediſſet; conſtet autem antiquitatem ſimpliciter id de omnibus intellexiſſe miraculis, declarandum eſt nobis, quonam modo id fieri potuerit, vt & Catholici myſterium videant, (de quo in alia concione agemus) & hæretici intelligant, etiam minuta quæque in Eccleſia firmitate ſua non carere. Non. n. noua hæc, & inaudita eſt opinio (vt illorum ſunt omnes) ſed planè antiquiſſima, de qua apud. SS. PP. tam Græcos quam Latinos legimus, quorum etiam quidam ipſos Apoſtolos viderunt.

Ignatius in Epi: ad Trali. *Hier: in prin: cap: Ezechiel.*

Diſſoluitur.

Omiſſis itaq; opinionibus, cùm de anno Chriſti quo hoc miraculum factum ſit (quod ex illa pendet quæſtione, An videlicet inchoato, vel exacto anno ætatis ſuæ trigeſimo Chriſtus Dominus à Ioanne baptizatus fuerit) tum de modo explicandi cantum Eccleſiæ, quorum nullus, quem legerim, plenè ſatisfeciſſe videtur, dicerem ſalua Eccleſiæ (quã defendimus) auctoritate, & meliori iudicio, anno quidẽ primo ætatis Chriſti Domini, die verò decima tertia adoraſſe Magos. Chriſtum Domi-

Dominum in cunis positum. Postea anno ipsius trigesimo per tredecim dies inchoato, (vt aliqui) siue iam expleto (vt alii volunt) baptizatum fuisse in Iordane eadem, qua à Magis adoratus fuit die. Baptismo peracto *ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo*, vbi solus mansit, duobus penè mensibus, imò fortè pluribus. Nullus n. Euangelistarũ dicit statim post quadraginta dies illum reuersum fuisse ex deserto, quinimò priores duo subitò post expositam tentationem Christi in solitudine, subnectunt tempus, quo Ioannes coniectus est in carcerem: Lucas verò prædicationem factam in Nazareth, quæ omnia multò post contigisse constat ex D. Ioanne, qui supplens quod alii omiserant, asserit Christum Dominum solitum fuisse ventitare ad Ioannem, à quo toties testimonium accipiebat, quod ipse esset *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Itaque Christus dominus reuersus ex deserto die & mense, quem ipse nouit, habitabat in oppidis prope Iordanem, & identidem inuisebat Ioannem pręcursorem suum, cuius pręedicatione cæpit & populo innotescere, & discipulos colligere, ac paulatim prędicationem suam inchoare, tum priuatim tum forsitan etiam publicè. Nam priuatim illum instruxisse Andream, & alterum discipulum Ioannis, qui illi adhæserant, testatur alter Ioannes, qui satis copiosè describit & hæc, quæ dicta sunt omnia, & alia non pau-

Mat: 4. 1.
Mar: 1. 12.
Luc: 4. 1.
Ioan: 29. & 35.

ca. Imprimis verò refert quomodo Andreas fratrem suum Petrum quæsiuerit, & ad Iesum adduxerit: quæ omnia non vno, aut altero die, aut hebdomada; sed aliquot etiam mensibus acta fuisse satis videtur euidens, & ex re ipsa, & ex narratione Ioannis. Qui quidem Ioannes cum inquit: *Altera die*, & rursus *altera die iterum* nec non *In crastinum* cumque his similibus phrasibus vtitur, nil aliud vult dicere, quàm quadam die, imò fortè multo post istud euenisse quod narratur? hoc enim & ex ipsa seriè historiæ satis colligi posse videtur, & ex illo quod immediatè sequitur hodiernum Euangelium dicit enim. *Post hoc descendit Capharnaum &c. & ibi mansit nō multis diebus. Et prope erat pascha Iudæorum &c.* cum tamen ab hoc miraculo ad pascha Iudæorum intercessissent tres circiter menses. Itaque vt hîc per non multos dies tres menses accepit, ita in aliis intelligendus est breuibus verbis non breue tempus denotasse. Sic omninò vt colloquium illud Christi cum Nathanaèle, quod in fine pręcedentis capitis refert Ioannes, inciderit in annum tricesimum primum ætatis Christi siue inchoatum, siue finitum, per decem dies. Hac ratione vt arbitror & omnes difficultates tollentur è medio, & tum principium, tum finis hodierni Euangelii bene intelligetur. Incipit enim D. Ioannes hystoriam hodiernā ab illis verbis. *Et die tertia* ab eo videlicet tempore quo cum Natha-

Ioan: 1. 29. 35. Deu: 43

Ioa: 2. 12.

Nathanàele sermonem habuit Iesus: NVPTIÆ FACTÆ SVNT, quæ quidem nuptiæ inciderunt in sextam Ianuarii diem, qua & ante triginta & vnum annum Christus à magis adoratus, & ante annum à Ioanne baptisatus fuit. Qua etiam die FECIT INITIVM SIGNORVM IESVS, id est, signorum publicorum, & eorum quæ demonstrabant illum esse Deum: id enim euidenter monstrabat hodiernum miraculũ: nam naturarum transmutatio, quæ hîc facta est, solius Dei est opus proprium. Quod enim Nathanàeli occulta manifestauerat, id & priuatim fecit, & id egit, quod sæpe alias Prophetę factitare solebant. Hæc de verbis in themate propositis, reliqua quæ restant vt declarentur, inferiùs aptiorem inuenient locum.

Videamus iam & disseramus de veritate horum verborum OMNIS HOMO PRIMVM BONVM VINVM PONIT, ET CVM INEBRIATI FVERINT, TVNC ID QVOD DETERIVS EST TV VERO SERVASTI BONVM VINVM VSQVE ADHVC. Quæ quidem verba licet neque sint Christi neque B. Virginis, neque Ioannis Euãgelistæ sed Architriclini; sunt tamen verissima siue in particulari de ebrietate intelligantur, siue in vniuersali de quouis vitio sumantur. Faciunt autem mentionem, vt audiuistis duplicis vini, boni videlicet & deterioris: addemus nos tertium, quod nec bonum nec malum est (in

II. PARS Veritas horũ verborũ OMNIS HOMO etiam iuuestigatur.

Triplex vinum.

genere moris, ita enim nunc de vino loquemur) hoc verò est vinum naturale, quod bibitur, quod, ei qui moderatè eo vtitur est bonum, ei verò qui ad ebrietatem eo abutitur, est malũ. De hoc igitur duplici postremo genere, agemus in hac concione, bonũ verò seruabimus (cũ Christo in finẽ) ad aliam cõcionem. Est autem hæc vini metaphora & pulcherima ad explicandũ propositũ, & in scriptura satis vsitata. Omnia enim hæc tria vini genera in diuinis literis reperies. De naturali non est quod testimonia adferamus, cùm ipsũ Euangelium hodiernum sufficientem eius mentionem faciat: dicamus de metaphorico

Vinum malũ est peccatum.

vino malo, quod nihil aliud est quàm peccatum. Hoc igitur vinum pessimum, & variis in scriptura nuncupatur nominibus, & ita describitur, vt nescio an plus aliquid hac in parte desiderari à quoquam possit. Habemus ñ. in illa auctorem eius, naturam, originem, personam à qua propinatur, locum, tempus, effectus varios, pænam etiam, & alia eiusmodi expresse descripta.

Origo eius iniquitas. Pro: 4. 17.

Origo eius est iniquitas, ideò dicitur vinum iniquitatis. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt*, ait sapiens. Ex iniquitate enim omne scelus tanquam à radice pessima enascitur quæ primum

Author diabolus.

in corde Sathanæ pullulauit: auctor itaq; eius est diabolus: ipse inquam damnatus Lucifer. Is enim iniquitate armatus primùm in se ipso illud adinuenit, postea aliis propinauit tum Ange-

Angelis, tum hominibus: ac proinde hoc nomine vocatur vinum damnatorum. Ait enim Deus per Prophetam: *Et vinum damnatorum bibebant*. Peccantibus enim & resipiscere nolentibus certissima est & æterna damnatio cũ apostaticis spiribus in inferno. *Amos 2. 8*

Natura autem vini huius pessimi, peccati inquam mortiferi, describitur partim ab Architriclino in hoc dicto, partim à Moyse, partim ab aliis. Pauca ex multis proferamus in medium, quæ huc propriè spectant. Tria etenim soletis vos potatores in vino considerare, nempe colorem, odorem & saporem, quæ si eximia fuerint laudatis, & notatis tribus primis literis dicitis valet, est. C o s, quartum interim, quod precipuum esse deberet negligentes, num videlicet sit vtile, & sanitati conducat. Sed hæc est mundi & amatorum eius consuetudo, vera bona negligere, apparentia sectari. O miseria, o cæcitas. verùm videamus quæso in gratiam vestram, & videamus ex ipsa scriptura; qualianam sint hæc tria in vino hoc, quo de agimus, vt saltem regula vestra conuicti, ab eo abstineatis. Faxit omnipotens. Quòd ergò ad colorem attinet, vinũ hoc atroflauum, spurcum, turbidumque est, odor eius sordidus, fætidus, graue olens; gustus verò amarissimus, teterrimus, nauseam vel ipso auditu prouocans. Hæc omnia duobus versiculis, mira & breuitate, & dexteritate mihi complexus esse videtur Moyses, cùm inquit:

Natura explicatur ei. Tria in vino cõsiderãtur. COS Quartum negligitur. Color vini mali. Odor. Sapor.

Deu. 32. 32 quit: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Imò, vt videtis, addidit & illud quartum, quod ebriosi considerare negligunt, fructum videlicet, & effectus pessimos, sed priora inspiciamus. Omne fel turbidum, ac spurcè flauum esse, neminem vestrum latet, quantò magis fel draconis impurum, sordidũ & insuper atrum erit? Quid ceteras commemorem qualitates. vos ipsi animis vestris expendite: amarissimum certè esse, & res, & verbum ipsum testatur: teterrimum autem & perniciosum totus Moysis discursus, ac similitudo luculẽter demonstrat. Sed de effectibus disseremus, cùm primum obiectionẽ, quæ hoc loco opponi posset, dissoluerimus.

Fructus.

Obiectio soluitur.

Dicat enim quispiam hæc quæ ex Moyse attulimus, repugnare dictis: nam tum ex nostra, tum ex Architriclini sentẽtia, asseruimus vinum, quod propinat mundus, in principio quidem bonum & suaue, postmodum verò deterius esse: quomodo ergò nunc totum pessimum esse confirmatur? sed facilis est ad hæc responsio: Si enim tum personæ, tum vini boni natura diligenter perpendatur; omnia bene sibi constare, facilè apparebit. Bonum equidem hoc vinum nunquam erit, apparenter tamen bonum aliquãdo esse poterit, quia in principio suaue esse consueuit.

Gustus triplex.

Quod

Quod si quæras, vnde hæc suauitas rei tam insipidæ proueniat? Non aliunde certè quàm ex corruptione naturæ nostræ: Sicut. n. ægris dulcia & optima quæque, insipida, ac amara esse videntur; noxia verò sæpè placēt: ita in infirmitatibus animæ, quas per peccatum originale contraximus, vsu venit; Multò magis autem id accidit iis, qui ad originale propria etiam & actualia addunt peccata. Quid verò sentiemus de illis, qui mala consuetudine pessimos vitiorum habitus contraxêre? Talibus equidem non solùm in principio, sed etiam in progressu, amara dulcia, fel draconum nectar esse videtur. O deplorandum genus hominum, & remedii vsque adeò incapax. Quapropter non solum naturam boni, sed etiam personas, quæ de bonitate, vel malitia vini huius diiudicant, oportet nos diligenter considerare. Si. n. erunt sobrii, qualis fuit Moyses, idem, quod ipse de vino hoc pessimo, dabunt iudicium. Si verò vino hoc epoto inuenientur temulenti, semper illis placebit, semper pessima quęque laudabunt, semper propter iudicium, & appetitum mentis deprauatum, *ponent amarum in dulce, & dulce in amarum*, vt de iis propheta iam olim prædixit: semper illa impia non modò Christiano, sed ne homine quidem digna iterabunt vota: O si possem hîc in æternum viuere: ô si concederetur nunquam mori, & semper præsentibus perfrui volu-

ptati-

(A simili.)

1. Gustus pessimus.

2. Gustus bonus.

(Pœna pessimi.)

Isa. 5. 20.

ptatibus, nunquam profectò quicquam curarem eas voluptates, & bona illa, quæ in cælo esse dicuntur. Nostis qui sint tales: vtinam nullus è numero vestrum reperiatur, qui id aut sermone, aut cogitatione, aut opere testetur ipso. Nam audite quæso, quomodo Deus per prophetam væ talibus ingeminat, dicens: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Et iterum. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Et rursum. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum.* Audistisne? Addam & ego &
Matt: 13. 43. clamabo, cum Christo meo. *Qui habet aures audiendi audiat.* Quid verò audiet? Audiat Deum per Apostolum loquentem & commi-
Heb: 10. 31 nantem: *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Quanta comminatio, quantum dictorum pondus. Ipsum sanè verbum *horrendum*; si pro dignitate pensetur, satis esse posset ad reprimendas in nobis omnes inordinatas, & contra Deum factas siue cogitationes, siue affectiones. Cur. n. ô miser homo sectaris voluptates, nisi quia horres afflictiones carnis? quid ergò fiet, quando & omni carebis voluptate, imò refrigerio, & omnem habebis carnis afflictionem, imò crudelissima tormenta in æternum sine fine? Nunc igitur perhorrescas, ne tunc incidas in horrendas manus Dei viuentis, & impios seuerè punientis.

3. Gustus malus. Tertium genus hominum est eorum, qui neque sunt tam perspicaces, vt videant tantam amaritudinem, & abominationem peccato-

catorum, quantam vidit Moyses, neq; sunt ita obstinati in malo, vt bonum malum, amarum dulce esse omninò arbitrentur: sectantur nihilominus vitia, tum specie boni siue vtilis, siue iucundi decepti: tum suauitate (quã peccatum & flagitium initio saltem præsefert) illecti. Horum personam Architriclinus hic gerere vel prodere potiùs mihi videtur. Ipse. n. fatetur eam mundi artem, vel fraudem potiùs esse, vt PRIMVM BONVM VINVM, postmodum ID, QVOD DETERIVS EST apponat: quod etiamsi iste tacuisset, res profectò loquitur ipsa. Percurramus breuiter tria illa capita, ad quæ omnia vitiorum genera reducit dilectus Christo discipulus Ioannes cum inquit: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Concupiscentia carnis ducatum præbet: tum quòd in ea peccatum originis maximè vigeat: tum quòd delectationem habeat cæteris potentiorem: quamuis delectationis vix est digna nomine. Sicut. n. prurigo, quæ ex vlceribus, vel vulneribus nascitur, pæna potiùs quàm delectatio nuncupanda est: ita hæc multò etiam magis: quæ cùm expletur (Deum immortalem) quæ tormenta eam non sequuntur assidui. Conscientiæ remorsus, animæ inquietudo perpetua, corporis ingens ardor, vanæ suspiciones, superfluæ sollicitudines, anxii timores ne offendat, ne despiciatur, & alia prope infi-

1. Io. 2. 15.

Concupiscentiæ carnis.

Prurigo.

Pænæ temporales.

infinita. Quid dicam de morbis qui tanquam riuuli hos fontes malorum consectantur? Vnde enim illæ corporum fædæ ægritudines illa vlcera turpissima, illi dolores intensissimi in ipsis ossium medullis hærentes oriuntur? vnde exesæ facies, imò planè defluentes, vt plurimum conspiciuntur; quàm ex fædo eiusmodi delectationum lenocinio? Neque tamen sufficiunt isthæc ad compescendas turpissimas hominum concupiscentias. Pro dolor proh insania. Veniet tempus quando tandem cohibebuntur, sed suo magno malo ni resipiscant.

Concupiscentiæ oculorum. Concupiscentia oculorum sequitur, vnde *auaritia* oritur, quam *simulachrorum seruitutem* vocat Apostolus! *Col. 3. 5.* Quæ tantò est priore stultior, quantò minus imò nihil planè habet in se, quod mulceat. (Stultitia.) Extrinsecùs omnia proueniunt, & res & desiderium, & ipsa scabies, ideò hic ne species quidem est boni delectabilis, quamdiu, propter vtile cor non apposueris, quod licet summoperè Psaltes prohibeat quā *Ps. 61. 11.* multi tñ. cōtrariū faciūt? Cùm verò cor apposueris quæ nō sequūtur mala? (Pœnę temporales.) quod non VINVM DETERIVS? Sequitur enim sitis habendi inexplebilis: namq; [crescit amor nummi quantum ipsa peccunia crescit] dixit *Iuuenalis.* quidam Pôetarum, & verè dixit. Sequuntur diurnæ sollicitudines, crudeles sanè: sequuntur & noctes insomnes, dum cogitat tum vt acquirat, quæ necdum habet, tum ne perdat

quæ iam

quæ iam possidet. Sequuntur tristitiæ intolerabiles, cùm res pro animi non succedunt sententia, Succedunt denique tales angores & anxietates, vt sæpè ad desperationem & restim res veniat. In nullo etenim vitiorum genere plures aut manus scelestas sibi inferunt, aut laqueo collum proprium inserunt, quàm in auaritia. Quid dicam de posteris? nota sunt hac de re & prouerbia. & exempla. Bene inquit sapiens: *In fructibus impij conturbatio.* *Pro. 15 6.* Turbant enim non solùm colligentem, sed etiam hæreditantem: Fructusque auarè collecti non patiuntur, vt ab hæredibus diu retineantur.

Superbia vitæ hîc agmen concludit vitiorum, alibi dux est illorum. Sic enim idem sapiens. *Initium omnis peccati est superbia.* In hoc genere honoris desiderium PRIMVM BONVM VINVM PONIT: at verò contemptus, dedecus & ignominia ponit ID QVOD DETERIVS EST, imò pessimum & amarissimum apponit vinum. Verè *fel draconum vinum eorum*, quo noctu atq; interdiu excruciantur. Suspicionibus n. ambitionibus, iracundiis, vindictæ cupiditatibus, inuidiis tanquam perpetuis furiarum tædis exagitantur. Quæ quàm sint crudelia tormenta ex minimo ferè quod est illorum, cætera collige, idq; ex Idololatra, vt magis exhorrescas, ne Christianus ab Ethnico condemneris. Ait enim quidam antiquorum Pòetarum [Inuidia siculi

Superbiæ vitæ. Natura.

Eccl 10.15

Pœnę temporales.

Horatius.

non inuenere tyranni. Maius tormentum]
Tit: 1. 13. *Testimonium hoc* (dicam cum Apostolo) *verū est*, tangit autem superbos vel maximè. Hi n. cùm aliquem sibi prẹlatum vident, quibus non inuidiæ facibus succẽduntur? quas pœnas non sustinent? Quid dicam de inimicitiis,
Exemplum odiis, mortis periculis? Dum n. alienæ insidiantur vitæ, suam periculis exponunt: Eue-
2. *Reg.* 18. 14. nitq; frequenter illis quod Absaloni, qui dum patri vult vitam eripere, suam turpiter amittit, tantòq; infelicius, quantò non solùm in corpore, sed etiam in anima periit, ideò à Dauide amarè defletur. Idem talibus vt plurimùm contingit, vt experientia quotidiana docet.

Primum remedium. Omnes verò predicti, vltra ea, quæ retulimus, & alia infinita incommoda, hoc quoque cogitent velim. Si Sathan tali eos vino potat, dum sunt amici eius in hac vita, dumq; illis applaudere conatur, quid faciet in illa vita, quãdo vtrinq; inimicitiæ excãdescẽt? quãdo nihil aderit dulcedinis, nil refrigerii: quãdo quẹcunq; excogitare poterit tormenta, omnia in illos expromet? Quale tunc propinabitur vinum? Sed de hoc alias, & sub finem aliquid amplius: nunc tandem discursus nostros de tertio illo hominum genere, quod
Aliud. exprimit Architriclinus, concludamus. Conclusionis verò hæc summa esto, vt moneamus omnes, ne in eam quæ in principio conspicitur in vitiis apparẽtem bonitatem (quæ

tamen in veritate nihil aliud quàm fœda voluptas est) intueantur; sed illas, quæ postmodum, quando vino hoc inebriati fuerint sequuntur, turpitudines, incommoda, ac tormenta, prę oculis semper habeant. Ita enim stulti esse desinent, quorum consuetudo est, non quæ intus latent mala; sed quæ exterius lucent pulchra considerare ac intueri. Neq; verò hoc à data per Moysen similitudine abhorret, imò quadrat ei plurimùm, videturq; Moyses eam notasse. Dixit enim vt audiuistis inter alia vuas, vnde illud vinum exprimitur, esse *de vinea Sodomorum & de suburbanis Gomorrhæ:* Iosephus verò, historicus Iudæorum celeberrimus asserit, ad litus loci illius fætidi, vbi olim Sodoma & Gomorrha fuit, excrescere poma, aliosq; fructus aspectu quidē cæteris similes: sed intus non nisi cinere fauillaque plenos: tale est omne peccatum, cuius finis in corpore cinis, in anima vermis, in vtroque postmodum fuligo & ignis. Vide ergò quid agas, & quo tendas, qui talibus delectaris.

Similitudo notanda.

Deut. 32.

Ios: lib. 5. *de bello Iu pc: cap:* 5.

Quòd si scire cupitis, vbinam, & à quo tēpore hæc vina veneant. Nosse debetis. Bonum quidem, nonnisi in sola Christi vinea, quæ est Ecclesia; malum verò tum extra Ecclesiam vbiq; terrarum: tum in ipsa Ecclesia multis in locis reperiri. Qui verò bonū propinat vinum, Deus est. Facit autem hoc primum quidem per ipsum Christum Iesum dominum

Vbinam vina varia prostent.

A quibus propinētur.

minum nostrum, deindè verò per Apostolos, pastores, doctores & alios seruos suos. Malum verò propinatur á Diabolo, per meretricem quandam, quàm mirificè describit
Apo: 17.2. D. Ioan: in Apoc: dicens inter alia, quod *inebriati sunt qui habitant terram, de vino prostitutionis eius*: Ministros autem habet & inter Hæreticos, omnes; & inter Catholicos, multos, qui innumeram adducunt hominum multitudinem. Fugite illos dilectissimi hoc presertim bachanaliorum tempore. Denique bono vino tẽpus diurnum, malo verò nocturnum assignatum est. *Omnis enim qui malè agit odit lucem, qui autem facit veritatem venit ad lucẽ*, ait Saluator noster Iesus. Quòd tum in aliis tum in ebrietate apparet euidenter.

Quo tp̃e.

Io: 3. 20.

III. PARS. De ebrietate cur agendum.

De quo qidem ebrietatis vitio vt in particulari agamus, tùm propositum thema monet quod quidem expressam eius mentionẽ facit: tùm necessitas harum regionum postulat, vt opem illis feramus; tum verò nequitia hominum impiorum cogit, vt blasphemiis eorum respondeamus. Verè *enim mundus in maligno positus est*, verè quò magis ad interitũ vergit, eò plus in impietate crescit, verè & multò etiam iustius quàm propheta, & in presenti, occinere illud possumus: *Ecce tenebræ operiunt terram & caligo populos*, quando nõ solum Gentiles, Iudæi, Hæretici tum infidelitate, tum impietate sua plusquam Cimmeriis tenebris inuoluuntur: Sed etiam Catholici pro

Mundus in dies deterior.

1. Io: 5. 19.

Is. 60. 2.

lici pro ratione regionum tum variis vitiorum generibus, tum excusationibus eorũdem (quod valde abominatur Deus) magis magisq́; in dies singulos obfuscantur, & obtenebrantur. Nec est id adeò mirandum, sed est valdè cauendum: nam quemadmodum quò magis sol ad occasum vergit, eò vmbræ sunt protensiores: ita mundo ad finem propẽdente, tenebræ peccatorum excrescunt, donec expleatur, quod Saluator prędixit dicens: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Et illud: *abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum:* quod non iam in futuro timemus, sed in pręsenti videmus. Ex horum sunt numero quibus non est satis patrare peccata, sed & *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis;* Nõ solùm hoc, sed & *declinant in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis:* Neque hîc impietatis sistũt pedem, sed eo insuper progrediuntur, vt siue autorem, siue promotorem peccatorum suorum faciant Deum. Tales sunt inter alios non paucos nostri quoq́, ebriosi qui in Euangelio hodierno grauiter scandalizantur, non solùm in dicto Architriclini, qui ebrietatis in nuptiis facit mentionem (id enim esset minimum) sed multò etiam magis in facto Christi domini, qui vt illi aiunt, ebriis vini magnam vim procurauit vt magis inebriarẽtur. O impietatem execrandam, o linguã blasphemam. Quid est quod non verearis, ne

A simili.

Lu: 18. 8. Matt: 24. 12.

Gradus impietatis quatuor.

Pro: 2. 14.

Ps: 140. 4

Graue scandalum acceptum ex Euangelio.

Matt: 20. 15. dicat tibi Christus quod olim dixit alteri? *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Certè si in vllo alio: in te hoc Christi dictum locum habet, qui bonum quod facit Christus in malam partem interpretaris: Et ille quidem cui hæc dicta fuerunt qualemcunq; etiamsi non veram, apparentem tamen murmurationis suæ habuit ansam, quia laborauerat, toto die, & portauerat pondus diei & æstus: tu verò prẹter malitiam, & inordinatum inebriandi appetitum, quàm aliam dicendi isthæc habes occasionem?

Argumentũ pro ebrietate. Cæterùm ne & illi sibi sapere, & nos eludere potiùs, quàm dissoluere, videamur argumentationem; reducamus eam in ordinẽ, vixque vt arbitror aliud quicquam prẹter Enthymema hîc formari, poterit hac ratione. Christus dominus ebriis in CANA GALILÆÆ magnam vim vini ex aqua fecit: Licèt igitur inebriari. Et quia argumentum hoc ex hæreticorum schola aut fluxisse, aut refluxisse creditur; fortius etiam contra illos ex eorum principiis agemus. Itaq; eorum vestigiis insistentes *&* Pro: 26. 4. *non respondentes stulto iuxta stultitiam suam*; sed vera asserentes dicimus, Antecedẽs Falsum Antecedens. quidem illius Enthymematis corrumpere (vt illorum phrasi vtar) scripturam; consequentiam verò esse absurdissimam. Non dicitur n. in Euangelio illos, quibus vinum ex aqua fecit Christus fuisse ebrios: sed Architriclinus vniuersalem tantum profert propositionem, ideòq;

ideóq; addit notam vniuersalem dicens: Omnis Homo &c. illos verò in Cana ebrios fuisse nō dicitur. Cur ergò vos vel corrumpitis, vel additis ad scripturam, quod & á Moyse, & á Ioanne sub maledictione esse prohibitum toties Catholicis obiicitis, toties inculcatis: Neque responderitis mihi id consecutione haberi: quot enim sunt non solùm consequutiones, sed etiam verba euidentissima (qualia sunt. *Hoc est corpus meum. Tu es petra*: ita enim est in lingua, qua vtebatur Christus *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & sexcenta alia) quæ vos repudiatis? Falsum itaque est antecedens: Consequentia autem longè est absurdissima: alioqui enim omnium peccatorum quæ fiunt in orbe terrarum autorem vel promotorem Deum faceremus. Quod enim est peccatum quod sine instrumento aliquo perficitur? At his omnia Deus creauit. Ipsam denique mentem & cogitationem vnde vniuersa peccata trahūt suam originem (teste Christo) ipse condidit. Quare si ideò Christus aut concessit, aut promouit ebrietatem, quia vinum ex aqua transformauit, quo inebriari poterant homines; Concessit etiam & promouit Deus ipsam blasphemiam; quia linguam condidit, qua blasphematur Deus, & sancti eius. Concessit & promouit, furta & latocinia, homicidia, parricidia, quia manus dedit homini, quibus hæc perficiuntur. Autor est deniq; Deus omnium

Deu 4. 2. Apo: 22. 18.

Matt: 26. 26. Matt. 16. 18.

Consequentia absurdissima.

NOTA.

Matt: 15. 19.

mnium peccatorum, quia liberum dedit homini arbitriũ, per quod omnia ſcelera & iniquitates fiunt. Videtis ad quanta abſurda & blaſphemias veſtrę vos ineptiæ, & impiæ deducunt ratiocinationes? Quid veró aliud facit Chriſtus in hydriis in Cana Galileæ, quã quod

Exhortatio. fecit ab initio creaturæ in vite? Deſiſtite igitur ſaltem vos Catholici mei, à tam impia cõtra Chriſtum blaſphemia: nec ſolum deſiſtite, verumetiam alios quotquot poteſtis & quibuscunq; valetis modis retrahite, ne in extremi iudicii die graues & pro ſcandalo, & pro blaſphemia pœnas exoluatis.

Obiectio cur tantum vini factum à Christo. Dices: Cur ergò Chriſtus in illis nuptiis, tãtam vini fecit copiam, quanta ſuffeciſſe putatur ad ſexcẽtas, imò etia plures perſonas inebriandas? Reſpondeo multis modis: Primùm, quæro viciſſim: vnde tu ſcis vinum illud non caruiſſe virtute inebriandi homines? Certè poſſe tale Deum creare, nemo ſapiens dubitauerit. Sed inquis, bonum fuiſſe teſtatur Architriclinus. Imò fateor fuiſſe optimũ, quale ab origine mundi non fuit. At quid bonitati vini cum ebrietate? Nunquid vosipſi non magis delectamini vinis Vngaricis, quàm Hiſpanicis, cùm tamen hæc magis, quàm illa inebrient? Deinde quòd ad copiam attinet, hinc contrarium potius probatur: Euidens enim eſt in illis pauperibus nuptiis tot perſonas non fuiſſe, quod ad vinum illud exhauriendum ſuffeciſſent. Poſtremò ſi adhuc inſtas,

1. Reſpõſio. Quale.

2. Contrariũ inde probari.

3. Cauſæ aſ-

ſtas, cur illud Chriſtus vinum fecerit? dicam; multis de cauſis id præſtitit; ſed tu eas duntaxat accipe, quas Euangelium aut inſinuat, aut expreſsè refert. Prima ſit, vt ſubleuaret paupertatem ſponſi & ſponſæ. Propterea enim tantam eius copiam fecit, vt de reliquo viuere poſſent. An quod feciſſe olim Deum ad preces Elizei multiplicãdo oleum pauperi viduæ, vt haberet tùm vnde debitnm ſolueret, tùm vnde cum filiis viueret. ſcripturæ aſſerunt; id nos Chriſtum facere potuiſſe negabimus? Altera eſt, vt clarificetur Pater æternus. Quam cauſam inſinuat, quando matri ſuæ duriuſculè loqui videtur, vt oſtendat in his ſolius Dei gloriam quærendam eſſe, neque propter cognationem, tale quid eſſe faciendum. Tertia iam clarè exprimitur, cùm dicitur: ET MANIFESTAVIT GLORIAM SVAM. Non ſolùm enim patris ſui, ſed etiam ſuam gloriam manifeſtauit, non ſolùm patrem, ſed ſe itidem eſſe Deum oſtẽdit. Dei enim proprium eſt naturas rerum transmutare, quod hic fecit Chriſtus. Neq; enim vnquam de vllo Propheta tali phraſi vtitur ſcriptura, quia ipſi non ſuam, ſed Dei gloriam quærebant, & manifeſtabant. Erant eñ tantummodo ſerui & puri homines: Ieſus autem & fuit, & eſt, eritq; in æternum filius conſubſtantialis patri, homo & Deus, Deus incarnatus. Ideò dicitur, quòd MANIFESTAVIT GLORIAM SVAM; diuinam videli-

ſignãtur ex Euãgelio.

1. Subleuatio pauperum.

4. Reg. 4.

2. Clarificatio Dei.

3. Diuinitas Christi.

cet, quod notatu dignum est contra Anabaptistas: sed & Messiam se esse hoc facto manifestauit, quod ex effectu clarum est. Ideò enim sequitur.

4. Fides Discipulorũ. ET CREDIDERVNT IN EVM DISCIPVLI EIVS. Quod dupliciter potest intelligi, vel quòd aucta fuerit in illis fides: hoc enim etiam multò post petunt à Christo

Luc: 17. 5. dicentes: *Adauge nobis fidem*: vel quòd crediderint illum esse Deum: Et quem antea pro Messia susceperant, nunc ex hoc tanto miraculo verum Deum esse agnoscunt. Ideoque dicuntur credidisse IN EVM. in neminem autem nisi in solum Deum credere nos oportet. Et hæc est quarta causa tanti miraculi ex ipso contextu decèrpta. Quid ergo? repudiabimusne ô Catholici mei, hasce miraculi istius euidentes rationes à veraci Scriptura nobis traditas, & amplectemur illas ab impiis & mendacibus hominibus confictas? Absit. Nam & insani planè essemus si id faceremus, & ingratissimi, si inde blasphemandi occasionem nos sumeremus; vnde illi, qui præsentes

Responsio diluitur. aderant, in gratiarum actiones eruperũt. Sed respondent tandem forte se ea, quæ dicuntur iocandi gratia proloqui. Verùm neque hæc responsio locum habet, tum quòd verè & seriò ad excusandam nostram ebrietatem, id vt plurimùm faciamus: tum quòd iocari blasphemando nil sit aliud, quàm irridere Deum, à quo vide ne tu vicissim irridearis, prout Di-

uinus

uinus Psaltes tibi prædicit cum tuo magno malo. Blasphemare autem te Christum euidens est: facis enim illum promotorem peccati, quod nullo modo ei competere potest. *Psal: 2. 4*

Ebrietatem autem peccatum esse, non scriptura tantum sacra, sed & ipsum lumen rationis humanæ naturæ infusum abundè attestatur. Ideò ipsi etiam gentiles tum Philosophi, tum Oratores, quibus non râtionibus & inuectiuis hoc vitii genus sunt insectati? Certè sola exempla, quę in scriptura habemus, horrorem nobis incutere deberent. Quid n. mali hoc vitium in orbem terrarum non inuexit? Ebrietas Noë Patriarchæ, licet ignoranter, ideòque sine peccato comissa fuerit: causā tamen siue occasionē præbuit vt tertia pars orbis terrarum malediceretur; quæ maledictio an hucusque in posteris Cham, & Chanaam non duret is, cui nihil est occultū, nouit conditor Deus. Similiter Loth dolo & astutia filiarum inebriatus, bis turpissimum incæstum commisit; vnde gentes Deo & Israeli inuisæ & scandalosæ exortæ fuerunt. Hæc ipsa ebrietas fratricidii causa fuit, quādo Absalon fratrem suum Amnon, filium primogenitum Dauid, temulentum trucidare præcepit, qui si ebrius non fuisset, non cecidisset. Pari ratione Simon Dux ex Machabæis strenuissimus, & filii ipsius ebrii, fraude filii Abobi á Ptolomæo occisi sunt. Quòd si dixeris: caueri nunc ista, & his similia, ac proinde ebrietatem

Probatur ista quæ Ebrietas. Et sit peccatum.

Cic: Phili. secunda.

Et mala multa inducat.

1. Exempla Noe. *Gen: 9. 25.*

2. Loth. *Gen: 19. 33.* *Num: 25. 1.* *2. Reg: 13. 21.*

3. Amnon

4. Simonis Machab. *1. Mach: 16. 16.*

Responsio solutur.

ebrietatem sine peccato committi posse. Si hoc inquam dicis, tria falsa asseris. Primùm, nõ procedere nunc talia ex ebrietate scelera, cùm contrarium in singulos, vt ita dicam dies, vel audiamus, vel etiam oculis conspiciamus nostris homicidia ñ. inprimis quæ inde consequuntur quis certò complectatur numero? Imò hæc ipsa, de qua iam egimus, & verbi Dei corruptela, & blasphemia, nunquid id euidenter non demonstrat? Deinde, ita falsum est talia ex ebrietate flagitia non emanare, vt non emanare non possint. Nõ enim mentitur Spiritus Sanctus, qui & in veteri te-
Prou: 20. 1. stamento inquit: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*, & in nouo ait: *Nolite inebriari*
Eph: 5. 18. *vino, in quo est luxuria.* Cui ergò vis potiùs credam, tibi an Deo? Et certè in Loth adeö id est clarum, vt præ ebrietate, quid commiserit ignorarit. In Luthero verò, & aliis nostri temporis Hæreticis, quis tam cæcus vt id non
Et est ex se peccatum. videat? Postremò, etiamsi hæc omnia vera essent, falsum tamen est, ebrietatem per se peccatum non esse. Quomodo enim peccatum non erit, quod nos regno cælorum pri-
1. Cor: 6. 9. uat? Apostolus expresse inquit. *Nolite errare* (Sciuit enim quod aliqui vitiis excęcati contrarium dicturi erant:) *Neq; fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri &c. neq; fures, neque auari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et alibi enumerans opera carnis, inter alia di-
Gal: 5. 20. cit; *inuidiæ, homicidia, ebrietas, commeßationes, & his*

& his similia; quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. O stulta ac insana planè permutatio, pro amphora vini, regnum cælorum perdere. Verũ quia hac de re sæpius nobis disserendum erit, hæc nũc dicta sufficiant.

Veniamus ad remedia, de quibus nos vltimo loco acturos recepimus, agamusq; de illis non solùm vt corporali, sed etiam quatenus spirituali, ideoque omni ebrietati seruiunt: Et ex dictis quidem in hac concione nec pauca, nec leuia colligi possunt: quibus addemus & alia. Vt autem melius & memoria retineri & in praxim reduci possint, considerabimus omnes circumstantias, quæ in actu morali attenduntur; vt inde remedia & oportuna, & necessaria hauriamus: hocq; vinum pessimum iniquitatis, prostitutionis, damnationis (vt illud scriptura vocat) fastidiamus, respuamus, fugiamus; Christi verò optimo vino satiemur, delectemur, inebriemur. Meditemur igitur obsecro primum quidem hoc, quod iam insinuauimus, nempe; vnde hæc vina proueniant? Prouenit enim alterum ex penu inimici nostri diaboli: alterum ex vinea Christi omnipotentiâ eius confectum. Verùm vt promisimus, hîc tantum de vino pessimo diaboli, quod est peccatum, agemus. Itaq; secundò quærimus, quid sit istud vini, & qualenam sit? Nec scio an magis graphicè describi à quoquam potest, quàm illud Moyses depinxit,

IIII. PARS. Remedia cõtinet & summã dictorũ.

Circumstãtiæ considerandæ.

1. Quis autor.

2. Quid & quale vinũ malum.

pinxit, & nos pro modulo vestro interpræ-
tati sumus per illud Cos. Adamus effectus
pessimos prædictos. Hi verò notantur tri-
Psal: 57. 5. bus illis verbis? *Venenum aspidum insanabile.* Si
enim venenum est; nociuum igitur vitæ hu-
manæ, quam è medio tollit erit. Tollit au-
tem vitam animæ, quæ sola vita est. Nam hæc
vita, qua hic viuimus, vmbra potius mortis,
quàm vita vocanda esset. Deinde, si est *vene-
num aspidum*, perniciosum igitur erit, vino e-
nim hic ebrii sicut aspis obturant aures suas,
per quas medicina solet instillari, & infundi;
ne eam recipiant, & sanentur. Ideò additur
insanabile. A nullo enim sanari potest, nisi à
solo omnipotenti Deo; quod in hac quidem
vita fit aliquando, verùm non sine labore, do-
lore, & periculo, ne obdureris vt Pharao: in
illa verò vita nunquam fit. Est enim omninò
ibi insanabile. Hæc itaq; tu consideres velim
diligenter: nos enim insinuamus tantum ca-
3. Vbi propinatur. pita meditationum. Tertiò quærimus, vbinã
hoc vinum propinetur? Et dicimus quòd v-
biquè terrarum. Neque enim est vllus mun-
di angulus, in quo non prostet, imò vbi non
obtrudatur omnibus. Nemo ergò sit securus,
nemo ad vnum, sed omnes cautè agamus, ne
4. Quibus auxiliis. eo inficiamur, & iugulemur. Quòd si de me-
diis, quibus hoc vinum pessimum nobis Sa-
(Quadriga diaboli.) than ingerit interrogaueris. Scias ea multa,
& varia esse: præcipua sunt, tum coniuncta
nobis, mundus, & caro, tum extrinseca Hære-
ticorum

ticorum ministrorum suauiloquentia, & malorum consortium. Hac quadriga infinitas hominum incautorum myriades diabolus in infernum vehit & intrudit. Causa verò non alia, nisi inuidia & malitia diaboli; quæ nunquam potest tormentis miserorũ satiari. Ideò quod diximus considera: Si eñ ita vti in concione audiuisti, tractat hic illos, quibus adulatur & condescendit: quid eisdem faciet, quãdo inimicitiam publicè eis declarabit, & totũ virus suum in eos euomet? Quomodo autẽ & quibus artibus diabolus per mundum, & alios suos asseclas hoc fel draconum instillet mortalibus, quis nouit? quis omnes artes eius; & decipiendi modos enumerabit? Nemo equidem, sed nec pauca ex multis proferre in medium tempus patitur: sufficiat quod ex ore Architriclini audis, illum quicquid facit fraudulenter facere. Denique tempus ipsum quod in vino hoc propinando plerumq; obseruatur; nox est, obscurum est, tenebræ sunt. Attestatur hoc Apostolus de illo, quod huic loco maximè est proprium vitium de ebrietate inquam cum ait: *Qui ebrii sunt, noctu ebrii sunt*, (quamuis hæc Pauli regula fallat hic nõnunquam. Eo enim impudentię deuenimus; vt peccata in laudem ducamus.) Et certè pleraq; peccata in tenebris corporalibus, omnia autem in densissima animę caligine fiunt. Deo te præmonente vt cogites; quid erit in posterum, quando proiicieris *in tenebras exteriores*, *vbi erit*

5. Cur.

6. Quomodo.

7. Quando

1. Thes. 5. 7.

Mat. 8. 12.

Prou: 14. 13. *vbi erit fletus & stridor dentium*, quando *extrema gaudii luctus*, non temporalis tantum, (quod in omni vitio euenit teste sapiente sed æternus planè *occupabit*. Hæc igitur animo reuoluite ô Christiani, hæc ante oculos mentis noctu atque interdiu versate dilectissimi, vt vinum hoc pessimum & venenosissimũ bibere respuatis. Recordamini quæ & de felle draconis Moyses, & Iosephus de pomis Sodomorum dixerit. Magis verò meminisse nos oportet pomi illius, quod primi parentes nostri in Paradiso degustarunt: quod aspectu pulchrum, & gustu suaue, quanta in orbem inuexerit mala audistis, nostis, sentitis. Atq; vtinam bene sentiatis, id est ad pœnitentiã, non ad obstinationem. Sed & illud mente reuoluite quęso, quàm aut cæci simus; qui has fraudes non videmus: aut stulti, imò penitus insani, si videntes & audientes quomodo seipsum vocet mundus, & Sathan deceptorem, nihilominus illum potius, quàm Christum optimum & sincerissimũ sequimur. Exclamabo ergo cum Dauide. *Et stulti aliquando sapite.* Postremò, si asperum tibi videtur vinum Christi, quod hic propinat tibi, considera & quam sit magis asperum diabolicum, & illud quod dicit Dauid de duplici vino, quorum alterum hic, alterum in illo sæculo bibitur. Ait enim *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc.* Istud fit in hac vita, vbi miscentur dulcia amara, laeta

8. Quod sit tantum apparens bonum.

9. Considera stultitiã &

Psal: 98. 8.

10. Pœnas æternas.

tris.

ris, læta tristibus. Quid verò erit in altera? Respondet. *Verumtamen fæx eius non est exinanita, bibēt omnes peccatores terræ.* Bibēt fæcē, bibēt puras tribulationes, dolores, tormenta, & bibent sine fine, & absque vllo termino. Hæc recogita. & conuertere ad Dominum Deum tuum, vt in hac die misericordiam obtineas à misericordissimo Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæcula sęculorum. Amen. *Ps. 74. 9.*

CONCIO SECVNDA Fides.

EVANG. HÆRETICI PER EXTREMA CVRRVNT

CElcberrima illa inter virtutes differentia, qua eæ quidem, quæ morales dicuntur, in mediocritate consistere; illæ verò, quas Theologicas nuncupamus, medio carere asseruntur, sicut à Doctoribus recepta ita omninò (dum modo rectè intelligatur) verissima est. Id enim & ratio in scriptura fundata, & ipsum nos docet verbum Dei. Etenim vt norunt omnes, moralium virtutum proprium est, circa hæc terrena versari: Theologicarum verò munus est, Deum ipsum attingere. Cùm ergò *omnia*, quæ à Deo creata sunt, *in mensura, & numero, & pondere disposita* fuerint: Siquando hæc pondus, & mensurá, aut non attigerint, aut excesserint suam, vitiosa erunt: at verò Deus Optimus, Maximus, in quem

Differentia inter virtutes Theolog. & morales. *D. Th. 1. 2. q. 64. Art. 1. & 4.*

Sap: 11. 21.

in quem credimus, cui fidimus, quem ama-mus; cùm omni omninò mensura, numero, & pondere determinato careat, quantò fortius, & potentius per virtutes istas à nobis attingetur, tantò ipsę etiã virtutes excellentiores in nobis erunt. Sed & ipsa scriptura per
Eccl. 7. 17. Salomonem monet nos dicens: *Noli esse iustus multùm: neq; plus sapias, quàm necesse est*; nunquam autem hortatur nos, ne Deo multùm credamus, aut ne plus speremus, amemusq; illum, quàm necesse est: quinimò suadet, vt hæc maiori, qua possimus cum diligentia &, intensione perficiamus: Ac proinde suadet etiam, vt illas quidem virtutes certis terminis coarctemus, has verò liberè sine freno vllo in Deum ferri permittamus. Verùm etiam si hæc ita se habeant, tamen cùm eadem scriptura, imò Deus per Moysen, sæpè popu-
Deu. 17. 11 lum illum suum moneat, vt non *declinet nec ad*
Deu: 28. 14. *dexteram, nec ad sinistram*, monere etiam videtur, vt in illis, quæ credenda sunt, mediocritatem obseruet: Quomodo ergò nos in fide medium dari negauimus, ad quod Deus populum suum etiã pręceptis adigit? Difficultatem istam in hac concione excutere intendimus.

PROPO: Tripartita. Quare ostendemus in primis, quomodo & hæc non contradicant sibi, & tamen medium aliquod semper in rebus fidei necessarium fuerit. Deinde id ipsum tribus, vel quatuor exemplis ex hodierno Euangelio demonstrabimus.

bimus. Postremò, quonam modo hoc quoq; sit euidens signum Ecclesiæ Christi declarabimus. Et quia in hac concione præcipuè verba D. Ioannis explicare instituimus: idcirco Euangelium per partes explicabimus: ea quidem quæ proposuimus copiosius tractando; alias verò leuius; quædam etiã quo spectant remittemus: Tu Christe Iesu perfice, vt hæc considerantes, & neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinantes, ita ambulemus, vt ad te qui es beatitudo nostra, fæliciter peruenire valeamus.

Quemadmodum in omnibus aliis, quæ ad vitam nostram piè, & sanctè transigendam pertinent: ita in iis, quæ ad res fidei spectant, omnem nauat, datq; operam inimicus animarum nostrarum Sathan, vt nunquam nos recto itinere ambulare permittat, ideoq; iam ad dextram (per quam excessum) iam ad sinistram (per quam defectum intelligimus) eiicit exturbatq; incautos; vt via virtutis media relicta, per extrema vitiorum de via curramus. Qua in re omnes virtutes tàm Morales, quàm Theologicæ conueniunt; in eo videlicet, quòd omnis virtus debeat habere certos, & determinatos rerũ terminos; quos si aut non attigerit, aut excesserit, virtutis nomen amittat. Itaq; sicut in temperantia sunt certa quædam & determinata, quæ appetere licitè possumus: ita in credendo sunt certi & determinati articuli, circa quos fides nostra

I. PARS. Scopus diaboli.

Virtutũ concordia.

versatur; á quibus siuè ad dextram; siuè ad sinistrã deflexeris, ex fideli infidelis efficieris. In actu tñ. ipso, eiusq; intẽsione dispar est ratio. Morales ñ. virtutes hîc quoq; mediocritatẽ seruare debẽt ad quã Theologicæ nõ obligãtur. Nã vt in exẽplo dato è scriptura persistamus, qui multũ, id est, nimiũ, est zelans iustitiæ, potest tantùm in illo suo desiderio habere feruoris, vt in crudelitatem conuertatur: idem opinare de liberalitate, quæ sæpê in vitium prodigalitatis deflectit: at verò in actibus fidei, spei & charitatis, quibus in Deum ipsum ferimur, nihil tale est verẽdum: quin imò (vt diximus) quò ii feruentiores fuerint, eò etiã erunt excellentiores.

Differentia inter Moral. & Theol: virt-

Eccl. 7. 17

Haec est inter has virtutes conuenientia, & discrepantia: qua posita, videamus iam, quonam modo etiã in credendis per extrema eatur. Huius rei ex veteri testamento duo sufficiant exempla: alterum sit de cultu diuino: hũc enim quando Iudæi omninò abiiciebant, in sinistram euntes in Idolatriam incidebant; quod sæpè contigisse norunt omnes: E contra Saul, & populus qui cũ illo erat, ad dextram deflectens, ac nimis sacrificiis, & cultui externo addictus, *pepercit melioribus ouibus, & armentis vt immolarentur domino Deo* contra expressum mandatum Dei, qui præceperat omnia Amalech occidere, & demoliri: quod quia non fecerunt, & Saul à Deo reprobatus fuit, & omnes audire à Samuele debuerunt, quod

Exẽpla per extrema incredulitatis Ex vet: Test. 1. De cultu diuino.

1. Reg. 15. 15.

melior

melior est obedientia quàm victimæ; & auscultare magis, quàm offero adipem arietum. Alterum exẽplum est de ipsa scriptura; Samaritani enim in nimio peccabant quia non solùm scripturam sacram in veteri testamento contentam, sed etiã aliam pro sacra recipiebant, plures Deos cum vero Deo colentes, ideoq́, scriptis quæ hîc docebant necessariò credentes. Contra Saducæi, non plures quàm quinq; libros Moysi recipiẽtes (propterea Christus dominus ex Moyse, confutat eos) in aliud incurrebant extremum. Illos hæretici antiqui imitabantur, qui scripturæ sacræ multos addebant libros apocriphos: hos nostri, qui pro cuiusuis capite quicquid in scriptura placet, vel recipiunt, vel reprobant.

2. De ipsa scriptura.

4. Reg: 17. 33.

Mat: 22. 31.

Iam in nouo testamento, tam hoc est frequens, vt vix fidei Catholicæ reperias articulum, quem & à dextris, & à sinistris non impugnarint hæretici. Nam in eo, quod supremum est fidei nostræ mysterium, nempè in Trinitate; olim quidem Arriani sicut tres personas, ita & naturas totidem comminiscebantur: è contrà verò Sabellius cum suis, nonnisi vnam tum naturam, tùm personam in diuinis asserebat. Neq; verò pars vtraq; nunc etiam suis caret asseclis: quamuis, vt hæreticorũ fert natura, & cõsuetudo, aliquid sẽper ãtiquis erroribus vel addũt vel demunt; vt sectarios esse agnoscas. Fides autem Catholica in medio consistens, & contra Sabellium

Ex nouo

1. De Trinitate.

tres personas in diuinis; & contra Arrium, vnam tantum naturam credit, docet, profitetur. Verùm de Christo diuerso, modo sentit Ecclesia asserit enim in Christo Iesu, duas quidem naturas, diuinam & humanam, vnâ verò tantum personam, diuinam videlicèt fuisse, & esse. Cuius contrarium, ex vna parte quidem Dioscorus, & Eutiches docent, vnam tantum naturam in Christo ponentes: ex altera verò Nestorius non naturas solùm, sed & personas duas in eodem reponit, ideòq; virginem Mariam vocare Deiparam dedignatur. Ex cuius quidem virginis Beatissimæ vtero, Manichæi Christum verè natum esse negant, cùm phantasticum corpus illum habuisse asserant: è contra verò non pauci ex antiquis Hæreticis, & pleriq; ex nostris Anabaptistis, asserunt Christum dominum non secus naturaliter, ac nostrum aliquem ex matris vtero processisse. Veritas & fides Catholica stat in medio: Christum videlicet Iesum verum quidem corpus ex purissimo Mariæ sanguine confectum habuisse; verèq; ex ea natum esse, non tamen eo, quo nos nascimur, modo, sed vtero virginis, sicut ante partum, ita post, integro permanente. Tempus me deficeret, si nō dico omnia, (sunt n. propè infinita) sed præcipua tantum hæreticorum dogmatum capita, in quibus per extrema cucurrerunt, recensere vellem. Itaq; omnibus aliis prætermissis; ea solummodo videamus, quæ

2. De Christo.

3. De Maria Virgine.

quæ Euangelium hodiernum nobis porrigit; quod ita incipit.

Nvptiæ Factæ Svnt In Cana Galilææ. Quod quidem oppidum vicinum erat Nazaretho, vbi & Christi parentes habitabant, & ipse educatus fuit. Additur autem Galilææ tum ad differentiam alterius eiusdem nominis oppidi, quod Cana Sidoniorum vocabatur: tum propter mysterium. Nuptiæ enim corporales nonnisi in Cana Galileæ fiunt: Cana enim interpretatur zelus seu æmulatio. Galilæa verò rota siue volubilitas: Est igitur mysterium idq; duplex: quorum alterùm ipse Christus, alterū Apostolus nobis edisserit. Nam & zelus seu æmulatio, & volubilitas nonnisi in hoc mundo reperiuntur; in alio enim sæculo, & cessabunt hæc omnia, & teste Christo erimus *sicut Angeli Dei*, qui neque nubunt, neque nubuntur. In matrimonio autē corporali hæc maximè vigere, Apostolus testatur dicens: *Tribulationes tamen carnis habent huiusmodi*, propter quas carnis tribulationes ita Deo illis seruire non posse, sicut soluti matrimonio seruiunt, disertis verbis affirmat. Verùm hæreticis id non placet, qui asserunt contrarium haberi experientia. Videmus enim inquiunt, illos qui statum castitatis complexi sunt, & vri vehementer, & minus castè quàm alios viuere. Ad quod respōdeo. Hæreticos, & videre multa, quæ non sunt; & mentiri se esse Euangelicos;

II. PARS.

Cana vbi fuerit.

Mysteria inde.

Hier: de locis Habr.

Mat: 22. 30.

1. Cor: 28.

Hæretici cōtrarii D. Paulo.

cos cùm contrariũ Euãgelio, quod D. Paulus prędicauit, ſẽtiãt. Nõne Apoſtolus toto quaſi illo capite cõparat ſtatũ coniugatorũ cũ ſtatu cõtinẽtiũ? & de cõiugatis concludit, tribulationẽ carnis habere eiuſmodi? vtiq; reſpectu alterius ſtatus quorũ cõparatur. Deſeram ergò veracem Apoſtolũ, & ſequar eos quorũ mendacia tot ſum expertus, quot capillos capitis non habeo? Abſit. Ad experientiam quid aliud dicam non habeo, quam me neutros numeraſſe: certò autem ſcire hæreticos in alienis (præſertim continentium) viciis lynces, in ſuis talpas eſſe. Quid mirum, quòd inter tot millia eorum, qui caſtitatem vouent, inueniantur nonnunquam aliqui minus caſtè viuentes, cùm inter tam paucos hæreticorum Miniſtros licet coniugatos, & adulteri, & inceſtuoſi reperiantur? Nonne recordamini, quando in hac area vicina tẽplo huic Vilneñ Miniſter propter turpiſſimum adulterium capite plexus fuit? Noſtis nunc quoque non procul abhinc alterum, quid cum filia fecerit, quo nomine ab illorum Synodo ad ius vocatus, venire recuſauit. Nec immeritò ſanè: ſi enim verum eſt, quod aſſerunt, ſolam fidem iuſtificare: Iſte autem eandem fidem, quam & alii Miniſtri habebat; iuſtus igitur fuerat? Præterea fuit etiam ſpiritualis, nam erat Miniſter. Cur ergò iudicaretur, cùm Apoſtolus dicat, quod *Spiritualis à nemine iudicatur?* Hæc propter ſimpliciores, vt videant, & qualibus

Exempla ſpurcitiæ Miniſtros.

1. Cor. 2. 15

iſti

isti fundamentis innitantur, & quomodo nõ desint trabes in oculis illorum, qui festucas in alienis vident. Nos ad nostra, id est, ad Euangelium redeamus. Sequitur itaq;

ET ERAT MATER IESV IBI: id est, in nuptiis illis in Cana. Creditur autem adfuisse tanquam cognata, non ad conuiuandum, sed ad inseruiendum; quod ex ipso etiam textu satis apertè colligitur. Propterea enim neq; inuitata esse dicitur, neq; sedet, sed discurrẽs, iam filio necessitates proponit; iam Ministris quid facto opus sit imperat. Secus actum est cum filio, & discipulis eius, qui erant inuitati; Ideò subiungitur. VOCATVS EST AVTEM ET IESVS. Alii dicunt vocatum fuisse propter famam sanctitatis ipsius, quæ iam incipiebat increbrescere: alii propter cognationem; existimarem propter vtrumq;, sed magis propter secundum. Est autem hîc doctrina contra illos, qui non vocati ipsi se ingerunt ad nuptias, imò aliquando irruunt, qui aut sunt sordidi parasiti, aut impudentes helluones, aut lasciui iuuenes; omnes autẽ tales primùm admonitione, deinde verò etiam digni sunt vt exturbentur. E contra duo triaué genera hominum honestè ad nuptias, & alia eiusdem generis conuiuia veniunt; vnum eorum, qui inuitantur. talis hîc fuit Iesus cum aliis conuiuis: alterum illorum, qui ministrant, talis erat Beata Virgo, Architriclinus, & his similes: tertium genus est eorum, qui

Maria seruit.

Christus cũ Apostolis cõuiuæ.

Mali conuiuæ triplices

Honesti totidem.

NOTA De pauperibus.

qui ſedent ad portam mendicãtes. At, inquis, tales nec ſunt inuitati, nec miniſtrant, & ſolent eſſe faſtidioſiſſimi. Cur quæſo? Quia ſũt importuni. Imò verò quia tu, qui id dicis, es & immiſericors, & imprudens multis nominibus. Primùm quidem, quia non conſideras, quinam ſint iſti: Sunt enim & inuitati magis quàm alii, & miniſtrabunt ſibi, ſi vobis, plus quàm alii. Paradoxum eſt iſtud inquis: ſit licet, ſed eſt paradoxum veriſſimum. Audi, & pondera rationes, Eſſe inuitatos magis quàm alios inde conſtat, quia vocati ſunt ab eo, qui omnibus præeſt, & qui omnia in illis nuptiis adminiſtrat, à Chriſto inquam Domino. Negabis? At ipſe Ieſus fatetur; non ſolùm ſe illos inuitaſſe: ſed ſeipſum in illis eſſe. At non audiſti quod promiſerit Chriſtus ſe dicturum in iudicio, *Quam diu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis?* An non recordaris, quomodo diues ille epulo condemnatus fuit, non alia certè de cauſa, niſi quia Lazarum, quem Deus ad eius prandium inuitauerat, ipſe conuiuio excipere noluit? Deinde, ſi pauperibus benefeceris in nuptiis, ſiq; vel ipſi non poterunt tibi ſeruire, vel tu ipſe tales miniſtros in conuiuio habere dedignaberis, ipſe qui in illis eſt, & miniſtrabit fideliter, & adminiſtrabit abundanter omnia: cùm temporalia, vt hîc fecit in vino: tum verò ſpiritualia. Poſtremò, quæ eſt iſta prudentia quæſo, helluonem, qui & cibo, &

Paradoxum veriſsimũ.

Matth: 25. 40.

Luc: 16. 22

potu plenus eſt vſq; ad ſummum, ad epulandum cogere: ieiunum autem & ſitibundum, propter Chriſtum obſecrantem negligere, & faſtidire? Hæc recogitate quæſo, hæc reuoluite, & non faſtidio, ſed cordi erunt vobis pauperes, vt illis benefaciatis in nuptiis. Sed ad Chriſtum redeamus.

Chriſtus itaq; dominus noſter non ſolùm vocari ad nuptias, ſed etiam adeſſe iis voluit. Cauſam omnes Patres & Doctores aſſignant, vt & approbaret, & honoraret, matrimonium: nouerat n. futuras Sathanæ fraudes, quas nos partim iam prçteriiſſe, partim adeſſe videmus. Sunt em, ſicut in aliis, ita hic quoq; duo (inter alia) extremorum diabolicorum genera, quæ vt melius intelligantur, ſciendũ eſt: quamuis ab initio mundi coniugium ab ipſo etiam Deo in honore habitum ſemper fuerit; nunquã tamen tot, & tam eximiis donis, & priuilegiis ornatum fuit; ſicut à filio Dei Chriſto Ieſu: ita tamen, vt idem Chriſtus ſtatum continentiæ, præſertim virginalis illi longè prçtulerit. Dotauit autẽ Chriſtus Dominus matrimonium, duobus maximè priuilegiis, Sacramento videlicet, & vt ita dicã, indiſſolubilitate; Sacramentum animam cõfortat per gratiam, quæ in illo datur: indiſſolubilitas verò carnem compeſcit, ne diffluat, quandoquidem nouit inter coniuges talem eſſe coniunctionem, quæ nonniſi morte diſſolui poteſt. Vtrũq; priuilegium Sathan eripere

Cur Chrũs venerit ad nuptias.

Duo matrimonii priuilegia in noua lege.

pere fidelib⁹ conatur:Facitq; id more suo, per Ministros suos, vtrũq; tũ à dextris tũ à sinistris impugnando. Nam matrimonium oppugnabat Sathan à sinistris, minus illi dando, quàm par est, imò funditus illud è medio tollendo, per Tacianistas, Eucratitas, Manichæos, Marcionistas, Catharos, Apostolicos, Gnosticos, Priscillianistas & his similes antiquas pestes. A dextris verò plus illi largiẽdo, quàm oportet, turbabat illud & olim per Iouinianum, & nunc per Lutherum, ac alias nostrorum temporum colluuies, qui matrimonium castimoniæ, & ipsi virginitati æquant. Omnes autẽ tàm hi. quàm illi, matrimonium sacramentũ esse negant. Secundum verò coniugii priuilegium: à dextris quidem oppugnabat olim Sathã per Montanistas (ex quorũ numero fuit etiam Tertulianus) & Nouatianos, qui tam indissolubile vinculũ matrimonii ponebãt, vt ne morte quidẽ discindi posse assererent; ideoq; secũdas nuptias reiiciebãt. A sinistris verò impugnant illud valde Russi nostri, & Græci Schismatici, & Hæretici moderni, qui diuortia varia & permittunt, & faciunt etiam in matrimoniis consummatis.

PRIMVM par extremarum hæresũ circa primum priuilegium.

SECVNDVM par circa alterũ.

Catholica verò Ecclesia media virtutis graditur via, asserens indissolubilitatem matrimonii in noua lege, neq, tam strictam esse, quin morte corporali dissoluatur; neq, tam laxam vt matrimonium ratum & consũmatum á quoquam alio pręter ipsum Deum

Quanta sit firmitas matrimonii.

quòd

(quòd facit ordinariè per mortem alterutrius coniugum) discindi queat. Pro prima veritate, aduersus primum errorem, habet Apostolum expresse contra dicentem. *Mulier viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Et alibi sic inquit. *Mulier alligata est legi, quantò tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius, libera est, cui vult nubat; tantum in Domino.* Nescio quid clarius dici potuit: & tamen tam euidens scriptura pertinaciæ antiquorum hæreticorum satisfacere non potuit: sicut neq; sequens nostros quietos reddit (vt alterum deserant errorem) licet nec sit minus euidens quàm illa; nec solùm Pauli sed ipsius etiam Christi ore fuerit promulgata. Sic enim ille apud tres Euangelistas: *Dico autem vobis, quia quicunq; dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Et concludit dicens: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quod tamen & Lutherus cèrtis in casibus permittit, & Russi nostri à Græcis edocti, leuissima de causa faciũt. Græci verò Schismatici contra edictum Christi sequuntur edictum impii Imperatoris Iustini, qui lege data permisit & mutuo consensu dissolui matrimonia, quod carnales homines libenter complexi sunt, obliti decreti Dei sui Christi Iesu. Verùm dicent fortasse tam hæretici, quàm schismatici, se id à Romana Ecclesia didicisse, in qua summus Pontifex sæpè in matrimoniis dispensat. Quibus respon-

Rom:7. 2.
1. Cor:7. 39
Contra diuortia Græcorum.
1. Cor:7 13
Mat:19 9.
Mar:10.11.
Luc:16.18
Vnde ea hauerint.
Vide Bar: tom:7. Annal: In An. D. 566.
Obiectio de dispensatione.
NOTA
Quid Pontifex posit in matrimoniis.

respondeo, aut errare illos, si nesciunt; aut calumniari, si sciunt, nullum Summum Pontificem in verò & consummato matrimonio
1. dispensasse vnquam. Dispensat certis de causis à cohabitatione, secundum illud dictum
1. Cor. 7. 11
2. Apostoli; *quod si discesserit, maneat innupta.* Dispensat, vel declarat potius, nonnunquam, inter personas certas verum matrimoniũ non fuisse, siuè propter defectum consensus, siuè propter impedimenta Ecclesiæ, ideòq; tales
3. posse transire ad alias nuptias. Dispensat etiam in gradibus prohibitis, pro potestate sibi à Christo tradita. At quod vnquam sciens & volens in matrimonio rato & consummato dispensauerit, tam id est falsum, quàm cætera quæ hæretici excogitant mendacia. Memini cùm primùm in vrbẽ venissem Pium V. cuidam Regi per legatos, tale quid petenti, respondisse: non esse in Ecclesia potestatem cõcedendi alicui duas vxores viuas. Et quamuis periculum esset, ne ideò totum Regnum exemplo Regis in hæresim delaberetur: tamẽ hæc nil veritus Pontifex, liberè quæ retulimus dixisse fertur, vt vel inde vicarium Christi, cuius *cor in manum Domini est* (multò magis quàm regum) agnoscere valeas.

Primũ par confutatur de dignitate matrimonij

Cæterùm ad primùm par extremarum hæresum quæ sunt circa matrimoniũ redeamus. Et quidem de eo, in quo omnes conueniunt, negantes videlicet matrimonium esse Sacramentum, non attinet nos quicquam dicere,

cùm

cùm id aliud temdus requirat. Proprium loci huius est discutere, in quo discrepant, imò in quo ita sunt sibi contrarii, vt coniugium alii quidem ita deprimant, vt Diaboli inuentum esse dicant; alii verò sic extollant, vt omnibus statibus, etiam ipsi virginitati illud adæquent. Medium fides Catholica tenet; nempe matrimonium licitum quidem esse; quia Christus Dominus illud hodie & præsentia sua & miraculo approbauit: minus tamen & dignitatis, & meriti habere, quàm habet castimonia & virginitas; quia hunc statum ipse Christus est complexus. Absque omni autem controuersia apud Chiistianos esse debet, Christũ Iesum, non viliorem, sed honestiorem statũ in se recepisse. Hoc argumentum tanti est, vt qui amat Christum, in eo solo libenter conquiescat. Sed Hæreticis scripturam inclamãtibus, scripturam in medium proferamus. Nec multis opus est; Apostolus enim litem dirimit, qui vno in loco, vna periodo, vtrũq; iugulat errorem. Nam cùm inquit: *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene fecit*: Confodit primos, qui matrimonium malum esse asserunt: cùm verò subdit; *& qui non iungit, melius facit*, confundit secundos, qui coniugium castitati præferunt. Quid pseudoEuangelici contra apertum textum Euangelii? Nunquid melius, non est boni comparatiuus? Interrogentur pueri in scholis, vel Calepini consulantur, vt tandem

Catholica sentẽtia. probatur Christi autoritate.

Itẽ Apostoli

1. Cor: 7. 38.

aut

aut veritatem agnoſcant, aut mentiri ſe eſſe Euangelicos deſinant. Sed obiiciunt eundem Apoſtolum prophetare; quod *nouißimis temporibus diſcedeunt quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, probibentium nubere, abſtinere à cibis, quod Dominus creauit.* Quales vos, inquiunt, eſtis Papiſtæ, qui & matrimonia veſtris ſacerdotibus, & quoſdam cibos omnibus Chriſtianis prohibetis. Hæc iſtorum eſt oratio; ſed videte quæſo, quanta ſit Miniſtrorum hæc dicentium & peruerſitas, & impudentia. Peruerſi ſunt; quia id maximè curant, vt garriendo plebem decipiant, licet nihil ad rem loquantur. Quid enim hoc ad argumentum propoſitum? Impudentes verò ſunt, quia norunt benè de quibus id prędixerit Paulus, quòd non de nobis, ſed de illis, quorum tot phalangas enumerauimus, quos diabolus ad aliud extremum pepulit, quos Apoſtolus hîc mirè depingit. Iſti enim nuptias prohibebāt omnibus chriſtianis tanquam rem illicitam, & à dæmone inuentam, quorum etiā aliqui iubebāt omnibus chriſtianis ſēper abſtinere á cibis quibuſdā, maximè à carnibus, quia à diabolo eas creatas eſſe aſſerebant. Quapropter Apoſtolus vocat has *doctrinas dæmoniorū,* quia verè à diabolo profectæ erant, ideòque expreſſis verbis docet contrarium dicens: *quos dominus* (non diabolus) *creauit.* Quæ quidē vltima

1. Tim: 4. 1
Obiectio hæreticorum de matrimonio & cibis.

NOTA.

Quam ſint peruerſi hæretici.

Quam impudentes.

vltima verba malitiosè omittunt hæretici, quando suos contra nos armant: quia norunt non ideò (sed alio sancto fine) in Ecclesia prohiberi cibos aliquos, nec semper eos vetari, sed certis tantum temporibus. Quam fraudulēti. Quam sibi contrarij.

Verumenimuerò nunquid ipsi hæretici, & maximè eorum medici idem non faciunt? nunquid cibos quosdam non vetāt infirmis? Cur ergò eādem prophetiam sibi non applicant? quia inquiunt, nos propter corporis salutem id facimus. Quarta nequitia est istorum hominum; quasi verò non sit excellentior finis, quem in hoc facto habet Ecclesia, mortificare videlicet, & domare carnem, vt spiritus saluus fiat, & vt mens in oratione liberius in Deum suum feratur, quàm sit, quē habent tam medici, quàm hæretici, nempe corpus vel conseruare, vel liberare ab infirmitate? Si ergò hoc licet, multo magis licebit illud. Idemq; omninò in matrimonio videre licet. Pleriq; enim hæreticorum nolunt habere famulos vxoratos, vel ancillas maritatas. Quod ergò illis licet, propter rem familiarem hominis priuati meliùs transigēdam, non licebit Ecclesiæ, propter bonum publicum, & tam sancta munia, quæ sacerdos obire debet? Iudicet Deus, sancti ipsius, & quicunq; vel vnam micam rationis habet, quid horum sit æquius. Sed inquiunt nos nō prohibemus, famulis, vel ancillis nostris nuptias. Neque Ecclesia prohibet vlli eas, quamdiu Retorquetur ñ. obiectio. 1. de cibis. 2. De matrimonio. 3. Contra replicam à minori.

diu est liber, quamdiu fidem Deo non dedit, quam datam violare; imò *velle* tantum *nubere damnabile esse* asserit Apostolus. Non vult autem alium habere sacerdotem; nisi castum tum quòd sit Minister rerum sanctissimarum; tum quia scit posse id fieri; imò ipso facto infinitos esse, qui castè viuere (& inter hæreticos) & insuper probat illos multùm, nec permittit ordinari, donec feruor iuuentutis deferuescat. O si aperirentur oculi mentis vestræ quos pertinacia & præsumptio excęcauit; quàm clarè videretis & miraremini, quomodo in Ecclesia Dei minutissima etiã quæq; pulcherimo procedunt ordine: indeq; agnosceretis spiritum sanctum hîc esse Nam vt ait Apostolus, *quæ sunt à Deo, ordinata sunt*; Ac inter alia videritis, etiam quomodo hæc scriptura, quàm contra nos adsertis, Lutheranos, Caluinianos, & omnes alios hæreticos depingat egregiè. Primò, quia magis *nouissimis temporibus* exorti sunt, quam vlli alii; præterea, quia *discesserunt à fide* vera quàm maiores illorum coluerunt: Tertio, quia attendũt *spiritibus erroris*, qui quotidie nouas illis suggerunt phantasias. Quarto, quia attendunt *doctrinis dæmoniorum*, cum quo modium salis se deuorasse gloriatur princeps, omnium nostri temporis hæresum Lutherus, qui etiam asserit se in disputatione & à Sathana conuictum sententiam de Missa mutasse. Quinto quia *in hypocrisi loquuntur*, aliud coram plebe asseren-

1 Tim. 5. 11.

Ro: 13. 1. 4. Quia hæc scriptura hæreticos petit septemipliciter.

Luth. de missa anguiari.

aſſerentes, aliud in corde verſantes, & ſcriptis teſtantes. Sexto, quia loquuntur *mendacium*, imò infinita planè, prout toties oſtendimus. Septimo, quia *cauteriatam habent ſuam conſcientiam*: multis modis, quorum alios iam recenſuimus, alios Deo dante poſtea notabimus. Certè calumnia, quam ex hoc loco impingunt Eccleſiæ Catholicæ teneræ conſcientiæ ſignum non eſt. Verùm & de his, & de tota hac quadriga diaboli ſatis. Alias eorum nænias, & obiectiones data occaſione excutiemus. Nam preter expectationem diu in tam paucis Euãgelii verbis immorati ſumus, propterea reliqua breuiter perſtringenda potius, quàm dilatanda erunt. Itaq; VOCATVS IESVS venit.

ET DISCIPVLI EIVS AD NVPTIAS. Creduntur tantum quatuor fuiſſe cum eò videlicet Andreas, Petrus, Philippus & Nathanàél, quorum precedenti capite fit mentio: Addunt aliqui quintum Ioannem, qui hanc deſcripſit hiſtoriam, quem etiam ſponſum in iſtis nuptiis fuiſſe aſſerunt, quod tamen alii negant. Deniq; quia Ioſephi mariti virginis Mariæ non fit mentio, ideò mortuus iam fuiſſe creditur ab Epiphanio. Nuptiæ autẽ iſtæ, ad quas Rex cæli & terræ venit, pauperes fuerunt. Ideò dicitur.

Qui diſcipuli aderant in hiſce nuptiis.

Vide Baro: to: 1. A. D. 31.

ET DEFICIENTE VINO. Id enim apud diuites nunquam accidit. Imò ne apud pauperes quidem, hiſce noſtris calamitoſis tempo-

Nuptiæ pauperes.

temporibus. O quantus aperitur campus exclamandi hîc contra luxum, & sumptus superfluos, qui fiunt in cibum, potum, vestitum, ornatum, dona, & alia eiusmodi; sed tempus & intentio nostra non patitur. Vino ergò deficiente.

Cur B. V. intercedit. DICIT MATER IESV AD EVM. Tanquam mater misericordiæ condolens afflictis de tanta illorum inopia, tanquam illa cui proprium est intercedere pro aliis, tanquam non ignara quæ fieri debebant, inquit.

VINVM NON HABENT. Non sunt tria verba hæc prægnantia breui constringenda sermone, ideò ad alium seruabuntur: pręsertim cùm sequentia huc propriè spectant. Habent enim difficultatem nõ tã ex se; quàm propter impietatem & improbitatem hominum improborum. Itaq; sequitur.

ET DICIT EI IESVS. Matri videlicet suæ virgini, respondet filius Deus, & ait.

Natura hæreticorum vitiosa. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? Hîc est alius *lapis offensionis, & petra scandali*, hęreticis nostri temporis, quibus nihil est antiquius, nihil suauius, nihil magis consuetum, quàm sanctorum aut errores, aut peccata inuestigare, & summa cum diligentia perquirere; qua de re etiam ingentia ediderunt mendatiorum & calumniarum volumina, vt vel inde euidenter agnoscas, quàm venenata sint eorum corda. Sicut enim non aliunde melius cognoscis animalia venenata (vt sunt serpentes,

Gen. 8. 28. *Ro: 9. 33.* NOTA

A simili.

pentes, araneæ, muſcæ, ſcorpiones, bufones, aſpides, & id genus alia) quàm inde, quòd & exputredine, putore, ſordibuſq; ea naſci, & iiſdem delectari conſpicis: ita hominem toxico ſpirituali plenum facilè deprehẽdes, ſi aſpexeris illum, peccata quidem aliena perquirere, eaq; cum guſtu recẽſere, exaggerare, mendaciis etiam ornare; ſua verò propria vitia ſæpè multò etiam grauiora alienis, aut negligere, aut excuſare, aut de iis etiam gloriari. Nonne in noſtris hæreticis luce meridiana clarius videmus? Nunquid ipſi non gloriantur ſe nihil pro concionibus dicturos, niſi quod eſt in ſacra ſcriptura? & tamen nihil in illis frequentiùs reperies quàm recenſere aut næuos (quos illi vocant) aut grauiſſima peccata Pontificum, Monachorũ, Sacerdotum, deniq; ſanctorum omnium? Cui enim ſanctorum parcent, qui ſanctæ ſanctorum, quæ nobis Deum & hominem genuit, non pepercerunt? Colligunt etenim ex hodierno, & quod ante octiduum habuimus Euangelio Beatiſſimæ virginis Mariæ decẽ circiter peccata (quæ recẽſere piget pudetq;) faciuntque quod venenata ſolent inſecta. Nam nunquid non videtis quomodo vermes relicto, toto corpore ſano eam partẽ illius inuadunt quæ ſanie plena eſt? Similiter nonne obſeruatis quomodo muſcæ pulcherrimum pomum circumcurſitãtes eo conglobantur, vbi minimum quid putredinis inueniunt?

Et mendax, quod ſint Euangelici.

Aliud ſimile.

niunt: relictis omnibus quæ sana, decora, odoriferaque sunt, in pomo illo? idem vermes & muscæ inter infernales agunt. Cùm enim vitas sanctorum legunt; sexcenta quæ in illis sunt virtutum exempla relinquunt, si quem verò minimum næuum conspiciunt hunc amplectuntur, hunc pro loco Euangelii, Euangelici inculcant, & exaggerant. Sed quicquid sit, de aliis sanctis, in Deipara certè virgine, nihil non dico mortalis, sed nec venialis, nec originalis quidem quicquam vnquam putredinis seu noxæ reperient. Ideò liberè clamo, ac coram vobis, Deoque ipso protestor, ab eoq; peto, vt omnia Mariæ virginis peccata potiùs mihi imputentur, quàm omnium hæreticorum omnia, quæ vnquam fecerunt, vel faciunt opera, & merita: abrenuntio istis, amplector illa.

Protestatio.

TERTIVM par extremorum circa B. V.

Ceterùm, vt proposito nostro respondeamus, videndum est, quomodo hîc quoque Sathan per extrema asseclas impellat suos. Fides Catholica hæc est, Deiparam virginem, neque peccasse vnquam actualiter, neque tamen vt Deum colendam esse. Est enim secunda á Deo, non Dea. Huic veritati à dextris quidem, restiterunt olim antiqui hæretici, quos recenset S. Epiphanius, qui Beatissimam virginem Mariam vt ipsum Deum inuocabant, plus illi quàm par est tribuentes. Nam Sacrificium soli tantum Deo debetur: hic enim est fortasse solus externus cultus, qui

Fides Catholica in medio.

Epi: hæres. 78. & 76.

qui latriæ dicitur, neq; vlli creaturæ applicari potest. At verò à sinistris multò sunt plures, validiores, impudentiores hæretici nostri temporis. Qui eò deuenerunt dementię, vt non solùm peccata grauia Deiparę affingãt: sed etiam audeant sua scorta sacrilega, quæ post professionem perpetuæ virginitatis ex monasteriis extraxerunt, & constuprarunt, huic sanctissimæ virgini æquare. O patientia Christi, quæ tantam matris suæ non vindicat ignominiam (vindicaturus postea tantò acrius) O impietas humana, quò dementiæ deuenisti? Sed cui vtique fundamento in tanta impietate innituntur hæretici? Scripturæ inquiũt. Nã & in illo, & in hoc Euãgelio Maria incõsiderate loquitur ideò vtrobiq; à filio grauiter arguitur. Ibi enim dicens: *Quid fecisti nobis sic*, reprehendit Christum: hîc vero ambitiosè se gerit (ait Oecolampadius.) appetit honorem Messiæ (inquit Brentius) Idcirco [Christus matrem reiicit, vt æquet aliis hominibus] (ait Philippus) Ideò per contemptum vocat illam mulierem (inquit Lutherus) Nonne videtis stupendum quid? quomodo scorpiones isti pungunt, non alium quempiam, sed matrem, imò ipsum filium Dei? quomodo mendaces isti scripturam iactant, & impiissima sua glossemata pro scriptura simplicibus vendunt? Nam vbi est vel iota vnicum istorum in scriptura? At colligitur id inquiunt ex ea. Verum nos non colle-

Impietas extrema hæreticorum.

Luth. ser. de Natiu. Mariæ Virginis.

Cõtra Deiparam.

Lu: 2. 48.

Oecolãpad. in 2. ca: Ioa: Brent: hom. 21. in Io: Phil in 2. cap: Io: Luth: in comm. ad Gal. 4.

Cõtra ipsũ Christum.

ctiones vestras, sed scripturam, de qua falsò gloriamini, requirimus. Colliguntur autem ista secundum cor vestrum, quod quoniam hisce & aliis grauissimis sceleribus plenum est, ideò talia de omnibus etiam sanctis iudicatis, qualia in corde vestro obuersantur Imò verò neq; ipsi sancto sanctorum Christo Iesu parcitis, quem magis etiam, quàm matrem eius peccati arguitis. Nam si verum est, quod Lutherus impiè asserit; Christum per contẽptum vocasse Mariam mulierem, profectò non matris hæc culpa fuit, quæ contemnebatur, sed filii, qui eam contemnebat. Sed absit verbo blasphemia.

B. V. non peccasse sed meruisse probatur.

Itaq; nõ solùm negamus Beatissimam virginem Mariam in his, vel illis verbis quicquã peccasse; sed etiam asserimus, eam vtrobique
1. NOTA. multùm meruisse. Meruit ibi, quia filio suo,
2. quem afflictum putabat, compatiebatur: quia filium Dei curæ suæ commissum sollicitè quærebat: quia tamdiu quærendo perse-
3. uerabat, donec inueniret eum, quod magni
4. meriti opus est: quia conseruat verba eius in
5. corde suo: quia inuentum benignè alloquitur, dolorem suum ex amore procedentem ei manifestando. Et certè qui verba illa matris ad filium. *Quid fecisti nobis sic?* cum verbis quæ protulerunt serui ad dominum, id est, prophætæ ad Deum, conferat; obstupescet supra cæcitate hæreticorum, qui illa virginis asperaesse dicũt. Contẽdit acriter Ieremias cum

cum Deo, de illa quæstione. *Quare via impiorum prosperatur?* Lamentatur Elias dicens: *Domine Deus meus, etiamne viduam apud quam ego vtcunq; sustentor afflixisti?* Irascitur Ionas, quia Deus exsiccauit hederã eius, & ita irascitur, vt dicat Deo, *Bene irascor ego, vsq; ad mortem.* & nemo prophetas arguit; matrem verò Dei verba illa amoris plena: *Quid fecisti nobis sic*, ad filium quem perdiderat proferentem arguunt, & pro maximo peccato reputant ii, qui se Christianos vocant? Quanta impietas, imò insania. In hodierno verò dicto Deipara multis meruit nominibus; quia tam amanter & humiliter alloquitur filium, vt tribus verbis totum negotium expediat; quia exercet misericordiam & charitatem erga pauperes; quia spem: & fiduciam certam habet, se impetraturam, quod petiit. Spem autem, imò certitudinem habuit; tum ex reuelatione (qua non caruisse illam sequens factum declarat) tum ex eo, quòd subiungit Christus dicens.

Ier: 12. 1. *3. Reg: 17. 20.* *Ione: 4. 10* 6. 7. 8.

NONDVM VENIT HORA MEA. Quibus verbis nõ adeò obscurè insinuare mihi videtur Iesus, se facturum, quod mater petiit, quando hora ab æterno præfixa & præordinata aduenerit. Dictoque isto moderari videtur asperitatem dicti prioris, consolando illam, quam quodammodò contristauerat, quasi & specie tenùs tantùm illam reprehendendo, propter causas & mysterium, quod in alia

Christus facile promittit quod mater petit.

in alia concione fusiùs à nobis erit pertractãdum & explicandum. Contentiones enĩ istę cum hæreticis (quas non nouerant Patres nostri) multum nobis temporis, vt videtis, eripiunt, vt breuiter quæ proposuimus expedire nequeamus. Quare totius responsi Christi Dñi hic sensus erit. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER, id est, sine modò (sunt enim tales phrases in scriptura, de quibus aliâs) ô mater, NONDVM enim VENIT HORA MEA, quæ cùm aduenenerit faciam quod petis, sed nõ modo: tũ quia nondũ planè vinũ defecit, tùm nè ratione cognationis tale quid diuinũ facere videar. Hic est sensus verborũ Christi Dñi quẽ probè intelligens virgo, videte quid faciat. Inquit enim Euangelista:

Sensus verborũ Chrsti.

Concio quarta.

DIXIT MATER EIVS, Christi videlicet MINISTRIS, qui in illis nuptiis viliora obibant munia.

QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS, FACITE His verbis euidentur cõuincimur, vt credamus, Beatissimam Virginem sciuisse quid futurum esset. Cur enim non sponsum aut Architriclinum, sed Ministros alloquitur? Non alia sanè de causa, nisi quia nouerat Christum Dominum ad tantum miraculum perficiendum, horum tantum Ministrorum opera esse vsurum. Est autem dictum hoc Deiparæ, prudentissimum, grauissimum, stupendum sanè: quòd maxima breuitate, innumeras continet doctrinas, quæ in alia concione

B. V. sciuit futura.

nobis

nobis explicandæ erunt. Nam hodierno nostro instituto id non est necessarium, cùm nullam in iis hæretici faciant difficultatem. Nec mirum, pungunt enim illos plurimùm. Ipsi verò talia callidè libenter prætereunt. Sequitur autem in Euangelio.

ERANT AVTEM IBI LAPIDEÆ HYDRIÆ SEX. Neque hoc caret mysterio, sed mysteria ad alias conciones sunt reiicienda. Textus autẽ est clarus, qui insuper etiam explicatur, cum dicitur:

POSITÆ SECVNDVM PVRIFICATIONEM IVDÆORVM. Quibus ex verbis duo habemus: Alterum, ad aquam, non ad vinum capiendum positas fuisse; Nam purificatio aqua fit; ideoq; hydriæ, id est, vasa aquea vocantur: Alterum, magna hæc vasa fuisse: Iudæi enim ad suas lotiones superstitiosas, quas faciebant cubito tenùs multum aquę indigebant. Propterea ad describendam eorum magnitudinem additur. Hidriæ qualia vasa. Quam magna.

CAPIENTES SINGVLÆ METRETAS BINAS vel TERNAS. Quantæ capacitatis fuerint, sciri ad amusim non potest, tùm quòd autores; tũ quòd mensuræ vbique ferè varient. Nã quod aliqui mensuræ genus ad ouum reducunt, neque inde certitudo colligi potest, cũ oua etiã non vbique sint æqualia. Verùm parũm refert hæc scire, constat tamen ingentes fuisse. Quod autem Ioannes disiunctiuè loquitur BINAS vel TERNAS, facit hoc aut ob ma-

iorem

iorem fidem, cum incerta dubie profert; aut quia aliquæ illarum binas, aliquæ ternas metretas continebant. Vnde magis constat magnitudinis incertitudo. itaque.

DICIT IESVS, IMPLETE HYDRIAS AQVA; Præcipit conuiua domesticis, Iesus Ministris. Ipsi verò obedientes.

ET IMPLEVERVNT EAS. Fortè non facturi, si beata virgo illos non pręmonuisset, vt solet nonnunquam hoc genus hominū esse minus officiosum, & maximè pigrum: præmoniti autē faciunt & alacriter, & abundāter.

VSQVE AD SVMMVM; eas implētes Ne quid adulterinum addi possit. Quo peracto.

ET DICIT EIS IESVS. Præcipit iam secundo Ministris obedientibus dicens.

HAVRITE NVNC Duo hæc verba, duo ex dictis confirmant. Posterius NVNC, docet iam venisse horam miraculi, quæ ab æterno fuit præordinata, quæ necdum venerat, quādo mater intercedebat. Illud verò HAVRITE, magna vasa fuisse demonstrat: Ex paruis enim non haurire sed infundere consueuimus. Addit autem Iesus.

Cur Architriclino ferre iubet.

ET FERTE ARCHITRICLINO: vt ordinis constitutor & amator Deus Christus Iesus ordinem ipse obseruet, Architriclinus eñ magister ordinis, (vt ita dicam) in nuptiis erat. Ipse cibos, & sciphos ordinabat, & omnium rerum quæ ad bonum ordinem in nuptiis transigendum spectabāt ipse peragebat.

ET TV-

Et Tvlervnt. Ipſi ignari quidnam eſſet, niſi fortè ex odore vinum eſſe arbitramur illos depræhendiſſe. Magnum hic eſt obedientiæ, quam cæcam vocant, exemplum, de qua in alia concione. Sequitur.

Vt Avtem Gvstavit Architriclinvs. Cauſam iam diximus, quia id ex officio illi imcumbebat. Quid verò guſtauit?

Aqvam Vinvm Factam, inquit Euangeliſta, phraſi ſanè admirabili. Quomodo enim aquam guſtauit, ſi iam aqua ibi non erat? Dixiſſet potiùs. Guſtauit Architriclinus vinum ex aqua factum. Id enim intellexiſſent omnes Verùm multò melius ita ſcriptum eſt, Spiritu ſancto ſic volente, & ordinante; vt hac ratione & ii, qui ſunt Chriſti, in fide confirmarentur: & illi, qui ſe ab eius fide ſegregarunt, confunderentur. Nouit enim diuina bonitas & miſericordia lõge ante morbum, præparare medicinam: nouit ante vulnus de pharmaco prouidere, prout & antea oſtendimus, & hic exemplum habemus, de quo paulò poſt. Quando verò hæc aqua in vinum tranſmutata fuerit, ipſe nouit, qui id perfecit; probabile eſt quòd tum temporis, quando iam hydriæ vſque ad ſummum aqua plenæ erant. Guſtauit igitur Architriclinus vinum illud. Cur dicitur aquam guſtaſſe.

Et Non Sciebat Vnde Esset. Quis enim ſciret vel per ſuſpicionem ipſam? Nemo

Nemo equidem, cum ab orbe conditio nunquam tale quid factum fuerit. Architriclinus ergò nesciebat.

MINISTRI AVTEM SCIEBANT QVI HAVSERVNT AQVAM. Nempè quod vinum illud à Christo Iesu ex aqua, quam hauserant, confectum fuerit. Ministros eñ istos conscios & testes huius miraculi habere voluit. Qui tamen vt videtis nihil tunc dixerunt Architriclino. Mirũ in re tanta silentiũ. Ideò:

VOCAT SPONSVM ARCHITRICLINVS. Signum est, quòd & sponsus ipse etiam mensis ministrabat, Si enim inter cõuiuas assedisset, auocari inde nec debuisset, nec facilè potuisset: Cùmque sponsus venisset.

ET DICIT EI. Architritriclinus stomachabundus, quod tamdiu bonum vinum seruasset.

OMNIS HOMO PRIMVM BONVM VINVM PONIT. Describit hominum mũdi huius consuetudinem, qua de re, quia tota penè concione disseruimus, hîc verba architriclini perstringenda tantum erunt.

Non colligi fuisse ebrios

ET CVM INEBRIATI FVERINT. Cogites velim Architriclinum hominẽ mũdanum ista loqui ideò nõ est adeò mirandũ. Nihilominus non asserit istos conuiuas fuisse ebrios, quod tamen quidam addunt. Vniuersalem enim tantum, & vsu, prouerbioq; receptam ponit propositionem, particulares non tangit. Sed colligitur, inquiũt, ex his, cõuiuas ebrios

ebrios fuisse. Malè profectò igitur. Nam aliâs hac collectione & discipuli Christi inuoluerentur, & ipse Saluator, quem ebrium fuisse, impudentissimum est mendacium. Sed de his plura in illa concione diximus, nunc reliqua prosequamur. Continuat enim sermonem Architriclinus, & inquit.

TVNC ID QVOD DETERIVS EST, supple, apponit vinum (Ita mundus, secus facit Christus.) Et expostulans cū sponso addit.

TV AVTEM SERVASTI BONVM VINVM VSQVE ADHVC. Erras ô Architricline. Non ipse enim hoc fecit, sed Christus. Cuius natura & consuetudo est. bonum, imó optimum vinum seruare, post ingratas nobis asperitatates & tribulationes. Sed quæritur. Cur Architriclinus sponsum & non aliū quenquam hoc nomine arguit? Ratio in promptu est. Quia tum temporis sponsi conuiuium nuptiale faciebant, inprimis autem de vino prouidebant. Contrarium fit in hisce partibus, vbi parentes, vel cognati sponsæ tractāt hospites. Deniq; ex toto hoc Architriclini sermone habemus, non aquam ibi fuisse, sed vinum, & vinum bonum. Quod quidem vinū ex natura sua bonum, imò optimum, factum est quibusdam malum propter gustum illorum spiritualem deprauatum. Alii enim facto hoc scandalizati sunt, contra quos in prima concione egimus. Alii aut modum, quo hoc vinum factum est, aut mysterium, cur ita fa-

Spōsus vinū procurabat.

Duplex scandalum ex vino Christi.

ita fa-

ita factum fuerit, intelligere nolunt; cum quibus nunc est nobis disceptandum.

Fundamentũ controuersię paterna Christi prouidẽtia.

Fundamentum controuersiæ huius sit bonitas, & prouidentia paterna Iesu Christi domini nostri, qui non solùm longè ante morbum medicinam parare consueuit, verùm etiam quotiescunq; animo concepit suo magnũ aliquid, & quod omnem humanum excedit intellectum instituere toties pręmittit ordinariè aliquid aliud imperfectius quidem; simile tamen illi quod molitur negotio. Ita quando ex virgine nasci voluit, pręmisit anus sterilis recentem partum, vt virginis partus licet longè excellentior, & à sæculo quid inauditum, ex facto tamen simili, non esse impossibilis iudicaretur; quo quidem argumento Archangelus Gabriel ad Mariam vtitur. Pari ratione constituturus & ordinaturus Christus Dominus Eucharistiæ Sacramentũ per transsubstantionem panis & vini, in corpus & sanguinem suum sanctissimum; ad rem tantam, quæ omnem intellectum erat superatura, suos qui in illum erant credituri si non pari, certè valde simili pręparauit miraculo, imò verò non vno, sed duplici, Vnum habemus præ manibus, alterum fuit, quando paucis panibus & piscibus multiplicatis per transmutationem circumiacentis materiæ in illos; tot millia hominum saturauit. Memor quasi illius dicti sui ad Moysen: *Si non crediderint,* inquit Deus *tibi, neq; audierint sermonem signi*

Exemplũ de partu virginis.

Lu. 1. 36.

Aliud de transsubst.

Mat. 14. 1
Io. 6. 10.

signi prioris, credent verbo signi sequentis. Verùm locum id non habuit apud hæreticos nostri temporis, qui siue credant signis istis, siue non; hoc certum est, non credere illos id, quod Christus dominus in istis signis intẽdebat. Quare sicut Iudęi nõ fuissẽt excusati, etiãsi signis illis credidissẽt; si Moysi, propter quẽ signa illa fecit Deus, credere noluissẽt: ita minus profectò erunt excusati hæretici, etiãsi credãt Christum hæc signa in aqua, & pane fecisse; quãdoquidem non credunt illi articulo fidei, propter quem hæc miracula facta sunt. Non credũt enim in Eucharistia esse transsubstantiationẽ panis & vini, in verum corpus & sanguinem Christi, ita vt nihil omninò substantiæ panis, & vini ibi remaneat, quod credit, & credidit semper ab ipso Euãgelii initio sancta mater Ecclesia sponsa Christi; sicut credit in his nuptiis ita aquam in vinum potestate eiusdẽ Christi Iesu trãsmutatã fuisse, vt nihil penitus substãtiæ aquę ibi fuerit relictum.

Ne autem hanc salutiferam doctrinam de TRANSSVBSTANTIATIONE crederent hæretici, diuisit illos diabolus, more consueto, in duas contrarias factiones, & sectas. Caluiniani sunt à sinistris, nullibi esse Christum secundum humanitatem, imò neq; per omnipotentiam Dei posse esse alibi asserentes, nisi in cælo ad dexteram Patris; ideòq; transsubstantiationem in Eucharistia nullam esse, cũ neque præsentia Christi sit ibi. Lutherani verò (quos

QVARTVM par extremorum circa Eucharist.

Caluiniani

Et vbiquistæ.

 rò (quos

rò (quos vbiquistas vocant) è contra asserũt. non solùm in Eucharistia (vnâ cum pane, vel sub pane, vel in pane) esse corpus Christi: sed etiam vbique, & in cœlo, & in terra, & in inferno adesse Christum etiam secundum corpus. Non quidem per Transsubstantionẽ, sed per omnipotentiam suam, & realem idiomatum communicationem. Fides Catholica in medio consistit, corde credens, & ore profitens, Christum Dominum secundũ humanitatem suam, neque ad dexteram tantùm Patris, neque vbiq; esse; sed adesse in cælo quidem per visibilem præsentiam, in terra verò per Trãsubstantiationẽ ibi tantũ, vbi ritè consecrata hostia incorrupta reperitur, alibi verò non. [Hęc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, (dicam cũ Sancto Athanasio) saluus esse non poterit.] Quæ mirificè hoc facto hodierno Christi Domini confirmatur. Habemus eñ contra Lutheranos, primùm quòd, sicut hic aqua non erat amplius; ita in Eucharistia nec panem nec vinum esse residuum, imò in sacramẽto multò minùs. In isto enim miraculo saltem materia remanserat; in Eucharistia verò ne hæc quidem; sed sola tantum accidentia restant. Deinde sicut hic in præparatione solum vinũ miraculosè factum datur conuiuis; ita in Ecclesia in distributione Eucharistiæ populo vnius speciei & licitus, & hic quodãmodo præfiguratus est vsus. Tertio. Sicut hic Architriclinus

Fides Catholica in medio.

D. Athan. in simbolo Quicũq;.

Quæ confirmatur ex Euãgelio.

1. Panẽ hic non esse.

2. Vna species.

3. Nomem panis re vacuum.

clinus dicitur gustasse AQVAM, quamuis aqua ibi non fuerit: ita, licet Eucharistia *fractio panis* nũcupatur, panis tamen ibi non est. Solent em̃ res præsertim per miraculum factæ, rerum illarum, vnde factæ sunt, nomen retinere. Ita serpens Moysi virga in eum transmutata fuit, ita hic vinum aqua dicitur: ita cæcus natus, etiam postquàm à Christo illuminatus fuit, cœcus tamen nuncupatur: ita Eucharistiæ panis vocatur, quia in ea panis in corpus Christi transsubstantiatur. Quartò, habemus ex hoc miraculo, non esse impossibilem transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, vt illam Caluiniani impossibilem esse arbitrantur: quãdoquidem hic simile quid videmus. Quinto. Quin imò multò id etiam clarius habemus in Eucharistia. quam in hoc miraculo. Hic em̃ neque prædicit Christus se vinum facturum, neque postquam fecit, dixit Ministris, Hoc est vinum, haurite, & ferte Architriclino: ibi autem & multò, ante prædixit, se illis daturum carnem suam ad manducandum; & cum daret disertis verbis testatur, dicens: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Sed inquiunt: Architriclinus postquam gustauit, dixit esse vinum. Vinum igitur fuit. O infamis istorũ hominum, qui se solos fidem habere iactant cæcitas, & infidelitas. Credunt homini mendaci asserenti fuisse vinum vtique ex aqua factum: & non credunt Christo Deo veraci affirmanti

Act. 20. 7. *1 Cor: 10. 16*

Exo: 6. 12.

Ioan. 9. 17.

4. Transsubstantatio.

5. Idẽ fortiꝰ NOTA

Ioan: 6. 51. *Matt: 26. 16.*

Resp. retorquetur.

firmanti. *Hoc est corpus meum* vtiq; ex pane trãssubstantiatum? Credunt gustui Architriclini hominis, qui falli potest: Et non credunt verbo verbi, quod nec falli, nec fallere nouit? vtinam tandem aliquando ô homines, homines, id est ducem rationes sequentes ēē velitis. Deniq; contra illos, qui perfectissimi haberi volunt (& certè sunt tales sed in impietate) Anabaptistas, Gentilistas, & similes pestes, habemus & ex hoc miraculo, & ex iis quæ illud consequuntur, Christū Iesum verum ēē Deū; quia naturas rerum transmutauit; quia MANIFESTAVIT GLORIAM SVAM (Erat igitur ille qui clamat per Prophetam, *gloriam meam alteri non dabo*) quia in eum crediderūt discipuli eius; quæ omnia diuinitatis sunt argumenta euidentissima. Verùm quia & hæc & alia quæ in finem vsq; Euangelii hodierni sequuntur verba, iam in alia concione explicuimus; ideò non est quòd actum agamus.

6. Diuinitas Christi.

Isa. 42: 8.

III PARS Ecclesia ibi est.

Quarè, vt ad id, quod vltimo loco proposuimus, deueniamus, & quę copiosè diximus, paucis coarctemus. Ex his, quæ & discussa, & comprobata fuerunt, quilibet non modò facilè sed etiā clarè, ac euidenter colligere, & videre poterit, vbinam Christi Iesu Ecclesia reperiatur: nempè ibi eam esse, vbi omnia ordinatè suo tramite procedunt: Ibi inquam vbi inter virtutes quarum aliæ morales, aliæ Theologicę nuncupantur, & discrimen, & cōuenientia ponuntur recta. Differunt enim in actu,

1. vbi ordinata omnia

2. vbi vera inter virtutes differātia

in actu, in quo morales mediocritatem requirunt; Theologicæ verò absq; termino in Deum suum feruntur. Conueniunt: quia tàm hæ, quàm illæ materiam circa quam versantur, habent determinatam: ac proinde Deus diligenter monet, *ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri*, & vt in illis quæ credenda nobis proponuntur, neque ad dextram, neque ad sinistram deflectamus. Quod per gratiam diuinã nos soli qui in Catholica sumus Ecclesia facimus: Omnes verò alii per extrema currũt, prout multis argumẽtis & exemplis comprobatum vidistis. Ex hoc vnico Euangelio quatuor habuimus, Primùm. quòd licet in Ecclesia; *sit honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus*, tantoperè, vt etiam sacramentum esse credatur: attamen honoratiorem esse, & maioris meriti statum castitatis, præcipuè verò virginitatis. Quorum illud antiqui hæretici matrimonium reiicientes: hoc moderni virginitati illud adæquantes, vtrique verò sacramẽto coniugium priuantes, blasphemant, & oppugnant. Secundùm: Quòd vinculum matrimonii tale sit vt à nullo hominum dissolui possit discinditur tamen morte corporali vnius cõiugũ. Huius veritatis posteriorẽ partem antiqui, priorẽ recẽtes tũ hęretici tùm Schismatici repudiarunt. Tertium. Deiparam virginem ab omni peccato actuali semper immunem fuisse, Deam tamen cui sacrificium

Pro: 22.28 3. vbi via regia, quæ quatuor exemplis ostẽditur.

Heb: 13. 4.

competeret, non fuisse, nec esse: Quã Catholicam veritatem à dextris quidem inuadunt antiqui Collyristæ, à sinistris verò blasphemant noui pseudoeuangelici. Quartũ. Christum Iesum secundum suam humanitatẽ esse quidem, & in cœlo per visibilem præsentiam, & in terris per Transsubstantiationem; non esse tamen vbiq; vbi est secundum diuinitatẽ. Vtramq; huius veritatis partem moderni oppugnant hæretici; illam quidem Caluinistæ, hanc verò Lutherani vbiquistæ. Habemus præterea in nostra Ecclesia sinceritatem & pietatem, quibus aliæ carent congregationes. Illæ enim animalia venenosa imitantes libẽtissimè tum vitia hominum etiã sanctorũ notant, imò etiã confingunt: tum in Christi republica arguunt, quod ipsi priuatim in ciborum delectu & famulorum coniugio obseruant. Habemus insuper, apud nos solos esse diligentem earum rerum, quæ sunt in scriptura obseruationẽ, ac proinde in hoc vini miraculo, multa agnoscimus, quæ hæretici agnoscere nolunt. Agnoscimus enim figuram hanc esse, & præparationem ad Sacramentum Eucharistiæ, de quo inter alia credimus, quòd in eo post consecrationem nõ reperiatur panis vel vinum amplius, sicut hic post transmutationem nihil aquæ in vasis fuit: quòd vnius speciei vsus sit licitus, in hoc vino præsignatus: quòd Eucharistia rectè vocatur panis, licet ibi panis non sit; sicut hic aqua dicitur,

4. vbi est tũ sinceritas tum pietas.

5. vbi est scripturæ exacta obseruatio.

tur, licet nil aquæ ibi fuerit: quòd transsubstantiatio non sit impossibilis, cuius hic vicinissimum habemus; exemplum quòd insuper in Eucharistia clariora sint hæc omnia, quàm hic, quia & promissis Christi Domini & expressis verbis fuerunt firmata: quòd (adextremum) idem ipse, qui hoc miraculum hodie fecit, conficit etiam per ora Sacerdotũ Eucharistiæ Sacramentum verus Deus, consubstantialis Patri Deo. Deniq; habemus ex dictis, in Ecclesia esse certam, & infallibilem fidei regulam, non ab hominibus inuentam, sed illam ipsam, quam Deus per Moysen & dedit, & ipse interpretari voluit, præcipiens omnibus, vt regulam istam intelligamus non solùm de iis, quæ ipse per Prophetas suos scripta reliquit; sed etiam quæ per superiores nostros ore nobis tradit Regulam autem istam hic verbis expressit Facies (inquit Deus per Moysen) *quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum.* (eorum inquit, non tuam, prout ille, non prout tu legẽ interpretatus fueris) *nec declinabis ad dextram neq; ad sinistram.* O bonitas diuina immensa. O canon, si vnquã, hoc nostro tempore pernecessarius, quem quia nos in Ecclesia Catholica seruamus, propterea nec erramus, nec saluo illo vnquam errare poterimus. Custodiamus igitur illum obsecro dilectissimi, & pro his, qui eo relicto caput & iudicium suum

6. Vbi certa sit dei regula quã.

NOTA.

Deu. 17. 10

pro regula fidei habent, Deum diligenter exoremus, vt quanto, quamq; toti scripturæ contrario sint in errore, ipsi tandem animaduertant, agnitaq; veritate ad matrem suam, quæ illos in Christo per baptismum genuit, reuertãtur; vt tum in pœnitentia, tum in bonis operibus perseuerantes, eò vna nobiscum perueniant, vbi sanctissima Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus laudatur & exaltatur in sæcula sæculorum. Amen.

DICTA B. V. M. RARA, CARA, PROFICVA, VINA SPIRITVALIA, STATVS ELECTIO.

CONCIO TERTIA
Spes.

Dicit Mater IESV *ad eum: Vinum non habent.*

DICIT MATER EIVS MINISTRIS: QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS FACITE. Quibus verbis sponsus in in Canticis Canticorum, vernum descri- bens tempus, ad spem futuri fructus sponsam excitat suam: iisdem & ego hodie alloquar te ô anima fidelis, & Christo deuota, cõmouebôq; ad spem certam non terrenorum, sed cœlestium; non corporalium, sed spiritualiũ; non caducorum, sed in æternum permanentium fructuum percipiendorum. Neque verò omnibus sponsi ad te vtar verbis, sed illis tantùm: *Surge, propera amica mea, surge*, inquã

Vox turturis sanctissima.

Cant. 2. 10.

ô anima

ô anima Christo fidelis ac deuota, surge amica Iesu, & surge velociter ac propera: quia *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Quæ auicula castior turture? quę fœmina, imò creatura purior Dei matrè? quæ vox & submissior, & tamen amabilior, quàm vox turturis, verno præsertim tempore? quæ verba puræ creaturæ, & humiliora magis & suauiora, quàm verba Mariæ matris Iesu? nobis præsertim qui frigoribus hybernis obriguimus, & vernum à longè tempus aspicimus? Duo omninò verba habemus huius turturis sanctissimæ, in hodierno Euangelio, alterum ad filium, VINVM NON HABENT: alterum ad Ministros: QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS, FACITE. In vtroq; matrem agnoscas: in priori quidem docet quomodo *flores apparuerunt in terra nostra*: in posteriori verò monet, quod *tempus putationis aduenit*: in altero matrem misericordiæ, in altero matrem sanctæ spei consideres velim, vtroq; enim hoc nomine insignitur tum à scriptura, tum verò ab Ecclesia Virgo Maria. Ponderemus igitur nos quoque verba ipsius, quod faciemus hoc ordine.

In primis perpendemus, qualia nam sint verba ista. Deinde, quotnam sint, & ad quos prolata. Postremò; quidnam in se contineant. Ad quæ tria, si tribus verbis vultis re- PROPOS. Tripartita.

 sponsum

sponsum, dicam; Ad primum, verba hæc esse rara, & cara; imò rarissima & carisima. Ad secundum, duo esse aio. Alterum ad filium pro nobis: alterum ad nos pro filio. Stupendum quid, sed verissimum. Ad tertium respondeo, verba hæc omne bonum in se continere, præcipuè autem spem, & bonam status electionem nos docere. Tu Christe Iesu da, vt turturis huius matris tuæ ita vocem audiamus, vt àd consortium eius, in quo te laudemus peruenire valeamus.

1. PARS. Quod rarũ carum quomodo intelligendum:

Receptum est ab omnibus dictum illud: Omne rarum carum; & ita receptum, vt etiã prouerbio locum dederit. Veruntamen vt alię eiusdem generis propositiones, licet vniuersaliter proferantur, habent tamen suas & exceptiones & interpretationes; ita & ista. Indiget eñ grano salis & discretionis, ne postquam computruerit fæteat, & alios inficiat. Etenim certissimum est, non pauca mala reperiri, quę rara quidem sunt; non sunt tamen, vel certè esse non debent cara: siuè hoc verbũ de magno pretio, siue de feruenti amore, siue vtroque modo intelligas. Raræ sunt in hisce nostris partibus blasphemiæ (atque vtinam vbiq; in orbe terrarum ne nominẽtur quidẽ) raræ in quibusdam regionibus ebrietates; nihil tamen horum & similium, aut magni precii, aut acceptum, imò vtrumq; detestandum & abominandum esse debet. Itaque adagium istud non de malis, sed de bonis rebus est intelligen-

telligendum, & de illis tantum bonis, quæ sola vera sunt bona. Quamuis enim vt nostis, & vt vulgo dicitis, tria sint bonorum genera, nẽpe honestum, vtile, & iucundum: tamen non omnia hæc in verè bonis cẽsentur. Nam quidquid iucundum & delectabile tantùm erit id voluptuosum iudicabitur; & non ad Christi, sed ad Epicuri scholam pertinebit: quidquid verò vtile solumodo, ad auaritiam spèctabit: quidquid autem decorum & honestum, id etiamsi cæteris careat, verè & christianè (imò & philosophicè) bonum erit. Talia fuerunt, & sunt damna ignominiæ, tormenta, cruces, & quæuis crudelissima mortis genera, siue pro Christo, siue pro vera religione, siue pro iustitia suscepta, etiãsi nihil penitus iucũditatis & consolationis tẽporalis in se cõtineret, quod in ipso capite tũ nostro tum omnium martyrum Iesu Christo factum videmus. Soli igitur honesto ex his tribus bonis id prouerbii competit. Quod si verum est, prout est verissimum; quantò magis quadrabit illi bono, in quo omnia hæc tria bona simul concurrũt? Eiusmodi sunt hæc verba sanctissimę Virginis Deiparę tàm priora, quam sequẽtia; sunt enim honestissima, quia fidem, spem, charitatem, prudentiam, & alias virtutes in se continent. Sunt vtilia, quia omnia bona, & fructus spirituales complectuntur. sunt iucundissima, tũ quia humilitate, charitate & misericordia sunt plena, quibus virtutibus nihil datur suauius:

Bona triplicia.

Solũ honestum bonũ.

Hæc Verba omnia bona continent.

tum quia impetrāt quod petunt, quo nihil est postulanti aliquid iucundius. Quare non solùm bene, sed etiam optimè competit illis dictum prouerbium: præsertim cùm sint etiam rara. Rarissimè enim in scriptura verba huius virginis habemus; ac proinde carissima nobis esse debent, vt & in precio illa habeamus, & maximo amore prosequamur, occinamusq́; de eis illud Dauidicum: *Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum; & dulciora super mel, & fauum.*

Ps: 18. 11.

NOTA Contra hæret: de pposi: vniuers.

Hæc de dignitate verborū, quam tractanda suscepimus, dicta sufficiant, paulò post re ipsa magis id etiā elucebit: Nūc verò breuiter subiungamus ex dictis corollarium quoddā non inutile his nostris temporibus, quibus quando hæretici inueniunt quippiam, quod errorem illorum confirmare videtur, aut prouerbialiter aut vniuersaliter dictū, presertim verò particula vniuersali notatum (vt est illud *Bibite ex hoc omnes.*) Deus meus, quas illi Tragedias non exercent, quos ineptos triumphos non agunt: vt ergò & eorum cauillos dissoluere, & errores euitare valeamus, ea quę dicta sunt diligenter trutinemus; Certòq; nobis persuadeamus; illa, quæ etiā in scriptura siue prouerbialiter, siuè vniuersaliter dicuntur, sæpè non vniuersaliter, sed cum grano (quod dicitur) salis esse intelligenda. Idcircò ne in his erremus, non caput nostrū, sed quos Deus nobis interpretes dare voluit, sequi debemus.

Ma: 26. 27

bemus. Hæc & aliâs ostensa sunt sepe, & data occasione comprobare adhuc non negligemus: iam verò cæpta prosequamur. Eo addito, quod etiam ad horum verborum Beatissimæ matris Dei dignitatem explicandam valet plurimùm; illa non solùm honesta, vtilia, iucunda, raraq; : sed etiam prudentissima, ac mansuetissima esse. Sunt prudentissima, quia paucis multa complectuntur: sunt mansuetissima; non enim ait, vt mater filiorum Zebedæi, volo vt id facias, licet plus iuris, quàm illa in filium habuerit; neque vrget nimium; sed mansuetisimè necessitates pauperum proponendo, totum negotium filio relinquit, certò sperans, se exauditum iri, quæ spes illam minimè fefellit.

Alia horum verborũ dignitas.

Matt: 20. 20.

Sunt autem Deiparæ duo hic, quæ audistis dicta breuissima: nam primùm tantùm tria; posterius quatuor in se habet verba. Discant cùm cæteri omnes: tum verò virgines à virgine longos non miscere sermones, sed quicquid est dictu necessarium breuissimis expedire verbis, Prolata autem fuerunt priora quidem ad filium, in causa pauperum; posteriora, verò ad famulos pro eorundẽ necessitatibus: illa misericordiam postulant, hæc obedientiam mandant. Neq; verò credendũ est virginem sanctam illo tantùm tempore verba hæc protulisse; vtitur enim illis etiam nunc, alia quidem, sed meliori, quia spiritualiori, ratione. Quoties namque illa ad filium pro

II. PARS. Duo Deiparæ dicta breuissima.

Iisdem nũc vtitur.

pro nobis intercedendo dicit, VINVM NON HABENT? quoties ad nos conuersa inquit: QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS FACITE? Facit illud in cælo semper; facit hoc in terra, quoties vel Euangelium istud legitur, vel verba hæc in memoriam nobis reducuntur. Atq; vtinam ad illa & audienda, & exequenda non obsurdescamus; quàm felices essemus. Itaque quod tunc fecit in nuptiis corporaliter pro vino corporali rogando, hoc nunc facit spiritualiter, vinum spirituale nobis impetrando. Sunt enim in scriptura varia vini genera bona, mala, indifferentia. De malo & indifferenti, id est naturali vino egimus in alia concione; de bono, bonoq; spiritualiter nunc est agendum. Hoc prius prænotato, quòd, quicquid in his omnibus verbis à virgine dicitur, ad nostram vtilitatem dicitur. Nihil inde ipsi emolumenti, multoque minùs filio suo, qui nostrorū *bonorum non eget*, omnia nobis prosunt. Priora sunt ad filium pro nobis, quod apertum est: sequentia licet sint pro filio ad nos. (quod infra explicabitur.) nobis tamen proderunt, si exequutioni mandabuntur. Priora non sunt in nostra potestate simpliciter; sunt tamen aliquatenus. Si enim posteriora quæ ad nos propriè pertinēt exequemur, & priora habebimus, si inquam præstabimus QVÆCVNQVE DIXERIT nobis Iesus, ipse vicissim Iesus, exaudiet matrē pro nobis, & VINVM quo indigemus non denegabit

Et omnia nobis prosunt.

Psal. 15. 2.

Primum dictum est ad filiū, pro nobis

Et

Etenim vt dixi in ſcriptura inueniuntur & varia & excellentiſſima ſanè vini ſpiritualis genera; imò hoc ipſum naturale ſeu corporale, fiet nobis ſpirituale, ſi duas adhibuerimus conditiones. Prima eſt, vt nonniſi propter neceſſitatem ſumatur moderatè; ſi verò neceſſitas non vrget, relinquatur, prǽſertim ab iis, qui ſunt proni ad vitium, quod vinum promouet, ſecundum illud dictum ſapientis. *Luxurioſa res vinum*; quod etiam confirmat Apoſtolus. Secunda eſt conditio, vt vſus vini moderatus ad laudem Dei referatur: vtrumq; docet nos Apoſtolus; primũ quando precipit ſuo Timotheo *modico vino vti propter frequentes ſtomachi infirmitates*; alterum. quando inquit, *ſiue ergo manducatis ſiue bibitis ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hæc duo ſi aderunt, vinum hoc corporale in vinum ſpirituale, & meritorium nobis conuertetur. Cæterum preter hoc vinum in ſcriptura reperiũtur vina purè ſpiritualia diuerſorum generum, ad quæ ſumenda & bibenda nos ſæpe prophætæ inuitant & incitant. Sit primus Iſaias. qui ſic inqnit, *Venite, emite abſq; argento, & abſq; vlla commutatione, vinum & lac.* Vinum adultorum & robuſtorum potus eſt, lac infantium, de quibus Apoſtolus: *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* Lac itaq; valet pro infantibus, vinum pro iis, *quorum eſt ſolidus cibus*; quàmuis inueniatur etiam quoddam vini genus pro incipientibus, de quo paulò

Vinũ naturale quomodo fit ſpirituale.

Prou: 20. 1.

Eph: 5. 18.

1. Ti. 5. 23.

1. Cor: 10. 31

Vinum ſpirĩtuale cõmẽdatur valde.

Iſa: 55. 1

1. Cor: 3. 2.

Heb: 5. 12.

paulo post. Omnia autem hæc, tam lac videlicet quàm vinum per Mariam habebunt, qui deuotè eius implorabunt auxilium. Deinde sapiens, ipsam sapientiam nos ad hoc vinũ inuitãtem introducens, sic ait: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Prou: 9. 5.

Quæ quidẽ mixtio dupliciter potest intelligi. Sicut n. dupliciter vina misceri solẽt, aliquãdo cũ aqua, nõnũquã verò cũ alio vino, quãdo videlicet miscetur acre cũ dulci, forte cũ debiliori, bonum cũ meliori, vt fiat potus delicatus: (Hinc est prouerbium in Italia, qui vult bibere bonum vinum, faciat illud sibi) ita in vino spirituali vsu venit; habet enim sapientia vtrumq; Deniq; ipsa sponsa non solùm ad bibendum, sed ad inebriandum inuitat nos, dicens. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charißimi.* Tali etenim vino inebriari, non solùm vitiosum non est, sed est etiam laudabile. & meritorium valde.

Cant. 5. 1.

Eius varia genera.

Inuitantur itaq; à Spiritu Sancto ad bibendum vinum spirituale; cuius variæ sunt species: nos triplici contenti erimus, secundum diuisionem hominum spiritualium, quàm ex Apostolo insinuauimus. Homines enim qui Deo placent, aut sunt qui seruire illi incipiunt, aut in eius ministerio progrediuntur, aut sunt perfecti. Singulis singula competũt vini genera; de quibus in scriptura pulchra habemus testimonia. Incipientibus igitur competit vinum COMPVNCTIONIS siue

CONTRI-

CONTRITIONIS. De quo Dauid, *potasti nos vino compunctionis*, inquit. Et quamuis cõpunctio duplex sit, doloris, & amoris: hîc tamen de compunctione doloris & contritionis loqui Psalmistam. clarum est ex antecedentibus. Ait enim, *Sana contritiones eius, quia commota est. Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.* Hoc est illud vinum, quod pius Samaritanus infundit in vulnera eius, qui inciderat inter latrones. Fecit enim quod periti medici seu chirurgi faciunt, qui cùm vidẽt vulnus, vel sacro quem vocant igne, vel carne excrescente infectum, aspera apponunt, & rodentia medicamenta, vt putores illi consummantur: ita Christus. Differenter tamen: nam illi totum dant acre, & asperum: At Iesus, miscet vino oleum, addit dolori consolationem, vt & vinum doloris consummat, quod male nobis contra Deum placuit; & oleum spei ac consolationis non patiatur nos desperare. Quod etiam facit Apostolus, qui lætatur quidem de pœnitentia & dolore peccatoris, addit tamen oleum dicens. *Consolamini*, id est, vos qui perfectiores estis, dolentem illum & afflictum solamini, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur*. Hoc est igitur primum vinum spirituale, mixtum aqua lachrymarum pro peccatis commissis. Quo quicũque peccator caruerit, alia vina spiritualia nõ degustabit: ac proinde est & à nobis procurandum quàm diligentissimè, & oranda vir-

1. Contritionis pro incipientibus. *Psal. 59. 5.*

Typus in Samaritano. *Luc. 10. 34.* Similitudo.

Exemplũ in Apostolo. *2. Cor. 2. 7.*

go, vt dicat filio VINVM NON HABENT.

2. Vinū mistum ꝓ ꝓficientibus. Alrer ſtatus piorum Chriſtianorū̃ eſt ſtatus proficientium, de quibus diuinus Vates:
Pſ: 83. 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* His competit vinum MISTVM ſeu POCVLVM CONDITVM. Miſtionem audiuiſti ex ore ipſius ſapientiæ: & intellige miſtionem illam perfectiorem: ſicut enim vinum taliter miſtum ex multis vinis conſtat; ita hoc vinum ſpirituale ex multis virtutibus componitur, habetq́ aliquid, imò plurimùm acrimoniæ. De talibus enim viri ſpirituales ſpiritualiter intelligunt illud pſalmi. *Aſcendunt vſq; ad cælos & deſcendunt uſq; ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.* Hi enim quando in meditatione abundant conſolationibus ſpiritualibus & ſuauitatibus diuinis, videntur ſibi eſſe in cælo, dicuntq; cum eodem Dauide. *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum.* Et ecce paulo poſt; *auertente domino faciem ſuam, conturbantur & deſcendunt vſq; ad abyſos*, in inferno ſe poſitos arbitrantes, vnde *anima eorum in malis tabeſcit*: tum ex recordatione peccatorum quæ commiſerunt: contra benefactorem ſuum Deum: tum propter multitudinem & atrocitatem tentationum, quæ irruunt in illos. Ideoq́; indigent vino illo, de qua ſponſa. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* Quod licet ſponſa polliceatur: tamen vnde quæſo illud habet niſi à

Similitudo.

Pſ: 106. 26.

Pſ: 29. 7.

Cant: 8. 2.

ſponſo,

sponso, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum* procedit? à Christo ergo petendum, & obtinendum. Nisi per sponsam ipsā Deiparam, cuius verba declarare nitimur, intelligi velis, quæ vinum hoc impetratum à filio dat seruis suis. Eximium equidem vinum & saluberrimũ; eius enim duas audis proprietates. Nam & est conditum, propterea q; aromaticum ac calefaciens stomachum, & est tamẽ etiam mustum malorum granatorum; quorum natura est refrigerare; ideò talia grana febricitantibus dari conspicimus. Vinum sanè huic statui valdè accomodatum, in quo alternantibus prosperis & aduersis, id est consolationibus ac desolationibus; indigemus aliquando quidem refrigerio ab æstu concupiscentiarum & tentationum; aliquando verò calore, ne in diuini seruitii via tepescamus. Est etiam hoc vinum preciosius priore, quia est conditum, habetq; illud primùm vitium quasi pro fundamento & constat ex multis virtutibus mirè sibi adunatis, sicut grana mali granati densè sibi cohærere videmus. Oportet enim illum, qui in hoc statu versatur, pluribus, & solidioribus, quàm priorem abundare virtutum generibus. Hoc est igitur alterum vinum, de quo mater dicit ad filium pro nobis VINUM NON HABENT.

Iac: 1. 17.

Duæ ꝓprietates huius vini.

Similitudo explicatur.

Tertius bonorum status in Ecclesia Christi, est status perfectorum. De quibus Apostolus. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Ex

3. Vinũ germinans virgines, ꝓ perfectis.

1. Cor: 2. 6

quorum numero erat ipſe, qui de ſe teſtatur
Phil. 3. 20. dicens: *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.* His competit vinum GERMINANS VIRGINES.
Zach: 9. 17 De quo apud Zachariam ſic legimus: *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Dicitur autem id, non quod alii præter virgines in perfectionis ſtatu eſſe non poſſint: ſed duplici alia de cauſa. Primùm, quia ſtatus iſte virginibus maximè conuenit; illæ enim ſunt perfectiſſima huius ſtatus membra, ſi cætera æqualia cum aliis habuerint. Virginitatem namq; addere decorem & meritum aliis virtutibus, quis niſi impius hæreticus negauerit? Propterea Apoſtolus inquit: *Et virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore, & ſpiritu.* Secundò quia ii qui in ſtatu perfectorum cenſentur etiãſi nõ ſint virgines corpore, ſunt tamẽ ſpiritu, & mente tales: quorum enim conuerſatio in cælis eſt, mente virgines eſſe nemo dubitauerit. Et vide quàm aptè omnia quadrent: illi enim quibus Chriſtus Ieſus hoc vinũ donare dignatur; quoſq; ſponſus *introduxit in cellam vinariam* ſunt, vt ait Zacharias: *Bonum eius,* id eſt, Chriſti Dñi: tũ quòd hæc omnia ab ipſo habeant; tum quòd ſint in omnibus conformes voluntati eius ſunt etiam. *Pulchrum eius*: miram enim pulchritudinem gratiæ, & donorum ſuorum infundit eis, ſunt *electi,* quia & ad gloriam deſtinati, & pauci ex multis. Habent etiã *frumentum*

Nominis duplex ratio.

1. Cor: 7. 34.

Cant: 2. 4.

tum quo pasti, & saturati, terrena hæc, & caduca non esuriunt amplius, imò fastidiunt, *cupientes dissolui, & esse cum Christo.* Denique habent *vinum germinans virgines*, contrarium planè vino huic materiali, *in quo est luxuria*, (vt sapientem & Paulum asserentem audiuistis) Hoc verò vinum castitatem ipsamque germinat virginitatem: tum in illo, qui eo est inebriatus: quod fit dum castitatem ipse seruat; dum pura & sancta opera generat, dũ conuersatio eius est in cælo cum angelis & sanctis Dei: tum in aliis, quos virginitatem docet, quos exẽplo suo ædificat, quos Christo lucratur. *Prou: 20. 1. Phil: 1. 23. Eph: 5. 18.*

Hæc sunt igitur vina, & his similia, quæ vos aut ex scriptura colligere, aut per sanctã meditationem inuestigare poteritis, quæ mater hæc misericordiæ, à filio suo *Patre Misericordiarum, & Deo totius consolationis* rogare, & impetrare consueuit. Quæ omnia consolationem & lætitiam spiritualem in se continent; primum quidem non exiguam, secundum maiorem, tertium verò omnium, quæ in mundo haberi potest, maximam: ita vt qui illud habent, etiã in tribulationibus etiam in tormentis pro Christo susceptis, summa lætitia & voluptate perfruantur. Quod non tacuit, idem Propheta, cum paulò post subiungens inquit: *Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorũ quasi à vino.* Benè id dicitur: perfectus enim & maximus fortitudinis actus & gradus est *Omne vinũ spirituale lætificat. 2. Cor: 1. 3. Zach: 10. 7.*

lætari, & exultare in afflictionibus pro veri-
Mat: 9. 17. tate susceptis. Hoc est deniq; vinum nouum, quod in vtres nouos se infusurum veritas pollicita est. Quod vt pręstet, matris ipsius sanctissimæ nobis auxilium implorandum erit, nempè vt illa diuino assistens conspectui, dicat, VINVM NON HABENT, impetretq; nobis & hæc, & alia nobis necessaria vini spiritualis genera. Nam vt pulchrè, & vt assolet deuotè de hac virgine disserit D. Bernardus, neque filius matri petenti quicquam negare poterit (prout neq; negauit in Euangelio hodierno) neq; ex capite nostro, quod est Christus, in corpus eius, qnod est Ecclesia (in qua sumus nos *membra de mēbris eius*) aliter dona & gratiæ ipsius deriuantur, quàm per collum, cui beatissima mater eius virgo Maria comparatur. Hæc igitur nobis inuocanda erit & humiliter, & diligenter.

Deipara inuocanda.

1. Cor: 12. 27.

Alterum dictum B. V. est ad nos p Christo.

Audiuimus matrem filium pro nobis interpellantem, & dicentem. VINVM NON HABENT, Variaq; vini genera nobis impetrantem: audiamus iam nos alloquentē, nos pro nobis rogantem, nos monentem, apud nos pro filio intercedentem (mira sed vera) & tantò auidius, & diligentius audiamus, quantò magis nos ipsos sermo eius tangit. Amor etenim nostri docet nos, ea, quæ nos concernunt, & attentè percipere, & exactè ponderare, & diu, multumque memoria retinere. Quod si in his Deiparæ verbis fecerimus, &

exequu-

quutionem mandatis eius addiderimus, beati nos & terq; quaterq; beati in perpetuas erimus æternitates. Quid verò inquit? QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS FACITE. id est. Quodcunq; precæperit vobis Iesus filius meus, hoc perficite, hoc exequimini. Hæc illa olim ad ministros, hæc nunc ad nos quotidie. Obediebant illi, non obediemus nos? Faciunt serui nō facient filii? Scitis enim Apostolum inter homines noui & veteris testamenti eam differentiam ponere, quæ est inter seruum & filium: illi ergò serui, nos filii. Agamus igitur dilectissimi, & agamus diligēter & auctoritate tantæ personæ quanta est mater Dei, ad nos loquentis adacti, & necessitate vtilitateque nostra constricti. Quatuor etenim verba ista, tanti sunt momenti, vt & omnia omnium Philosophorum dicta, scriptaque longè superent, & totam Theologiam in se complectantur. Si enim QVODCVNQVE DIXERIT. dixitq; nobis Iesus, FACIEMVS, nihil erit, quod siue ex naturali, siue ex suprànaturali & reuelato lumine habetur verum, pium, sanctum, quod exequutioni à nobis non mandetur, quod à nobis non perficiatur. Suntnamq; hæc verba beatissimæ virginis ex eorum numero, de quibus iam bis à me audiuistis, ex illis inquā, quæ ad prudenter moderandam, & sanctè transigendam totam vitam nostram abundè sufficiunt, si exequutioni mandentur. Duabus prçteritis Dominicis

Gal: 4.

Maximi momenti.

habuimus duo talia verba ipſius Chriſti Domini: nunc verò habemus tertiũ matris eius; minoris quidem auctoritatis, ſi perſonam dicentem ſpectes; at æqualis commodi, ſi ipſa dicta conſideres.

Cur pro Chriſto dicantur.

Neq; verò mirari, & arguere quis debet, quòd aſſeruimus verba hæc dicta eſſe nobis à matre pro Chriſto intercedente. Fecit enim hoc quoq; Apoſtolus (ſecundum piorũ interpretationem) illis verbis. *Obſecramus* ꝑ *Chriſto, reconciliamini Deo*: quæ triplicem poſſunt habere ſenſum. Primum, vt loco Chriſti id faciat Paulus: Secundum vt per amorem Chriſti tum Corinthios, tum nos hortetur Apoſtolus: tertium, vt obſecret nos, vt reconciliemur Deo, pro Chriſto, id eſt vt Chriſtus mercedem ſuam recipiat in nobis. Scitis enim Chriſtum Dominum pro tot, tantiſq;, & quæ egit, & quæ paſſus eſt, non aliam quaſi mercedem accepiſſe, aut accipere, quàm nos, quàm animas, quæ ſaluantur. Hoc teſtatur ipſe pater æternus (in illo pſalmo, quem fideles in actis de paſſione Chriſti interpretantur) dicens: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Oraſſe autem Chriſtum *cum lachrimis in diebus carnis ſuæ*, aſſerit Paulus. Hoc etiam teſtatur ipſe Dauid, cùm inquit: *Ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris*; id eſt: ecce à Deo electi. merces ſũt Chriſti domini qui eſt fructus ventris virginalis. Hoc teſta-

2 Cor. 5. 20.

Nos merces Chriſti. NOTA.

Act: 4. 25. Pſal: 2. 8.

Heb: 5. 7.

Pſ: 126. 3.

testatur Apostolus, cùm Christum vocat, *hæredem mundi, hæredem vniuersorum*: cùm asserit, eum, qui multos filios in gloriã adduxerat, debuisse *per passionem consummari*, nempè vt passione sua nobis mereretur gratiam, & gloriam. Itaque quando Paulus ait: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, rogat nos, vt pænitentiam agamus, vt sanctè viuamus, ne Christus Dominus mercede sua frustretur, quam ex salute nostra recepturus erat. Pulchra est hæc, deuota, & vtilis contemplatio, vt per eam socordiam nostram ad benè viuendum excitemus. Hoc ipsũ igitur beata mater verbis illis: QVÆCVNQVE DIXERIT VOBIS, FACITE præstat nobis: Sicut enim ministros istos monet pro Christo, vt illi obediant; ita etiam iisdem verbis nos hortatur & rogat, vt Christo Domino in omnibus obedientes & morigeri simus. Hac enim ratione & Christus gloriam suam, ac mercedem obtinebit, & nobis poterit benefacere, quemadmodum in hoc miraculo, per cooperationem ministrorum, hospiti; & conuiuis maximũ contulit beneficiũ.

Rom: 4. 13 *Hebr: 1. 2.* *Heb: 2. 10.* *2. Cor: 5. 20*

Quòd si quæras, quidnam verbis istis Deipara, à nobis requirat? Dicam paucis; in vniuersali quidem requirere illud, qud generatim itidem paucis verbis dixit Apostolus, *vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*; ad hęc enim reducuntur omnia quæcunq; præcepit Iesus, vt faciamus. In particulari tamen est animus conside-

Quid à nobis requirat B. V.

Tit: 2. 12.

In particula ri bonã statꝰ electionem.

considerare circa hæc verba hodie paulò copiosius, quod præterito die Dominico tetigimus, rem sanè & necessariam valde, & quæ verbis istis gloriosissimæ Virginis imprimis cõprehẽditur. Diximus ñ. generaliter homini christiano pernecessariũ esse, cũ ad vsũ rationis peruenerit, vt de statu vitę suæ & deliberet diligenter, & secundum Deum statuat firmiter: nunc igitur tractandum est, tum quàm id sit necessarium; tum quando fieri debeat, tum qui status sub deliberationem cadant, & qui non, tum quid hac in parte sit à nobis obseruandum. Quæ omnia aut penè omnia, in his Deiparæ verbis: QVÆCVNQVE DIXERIT VOBIS, FACITE contineri animaduertemus: si ea diligenter meditabimur. Nã si aliqua in re, in statu certè vitæ eligendo, oportet nos & audire, & facere quod dicit nobis Iesus. Verissimum est namq; dictum illud, paruum errorem commissum in principio, fieri maximum in fine. Quemadmodum enim eorum, qui iter aggrediuntur, error vnius aut alterius palmi, quem commiserunt in principio viam deuiam arripiendo, crescit in multa passuum millia; si iter continuetur: ita in hac nostra vitæ huius peregrinatione paruus error (si modo in re grauissima paruum quid dici potest) qui in electione status cõmittitur multa & ingentia incomoda, damna, & peccata postse trahit, estque multorum hominum interitus causa; dum quod malè cæperunt, aut

Quam id sit necessariũ deducitur.

Prouerbio.

A simili.

aut nolunt, aut emendare non curant. Animaduerterunt id solo lumine naturali duce philosophi, propterea & Herculem in biuio positum, & alia fingebant, vt iuuentuti persuaderent, cum ad vsum rationis peruenerint, bonam status sui electionem facere, nonque voluptatis, sed virtutis viam ingredi, amplecti, ac sequi eos oportere. Quod, si Ethnici vitiorum, & Idolorum mancipia fecerunt, quid agere decet Christianos, quibus lumen fidei illuxit diuinitus? Tantoperè id conuenit, vt graues & sancti senserint Theologi, Christianorum quemlibet, cùm primùm perfectè factus est compos rationis, teneri ad electionem boni status, quod si saltem in vniversali, virtutis amplectendo viam non fecerit, grauiter illum peccare. Et inde concludebant, primum opus & áctum, quem homo facit plenó arbitrio prӕditus, aut meritoriũ, aut peccatum esse mortale: Nam si virtutis aggreditur viam meretur; sin voluptatis, peccat in re graui grauiter. Quod vtinam adolescentuli nostri, & adolescentulӕ diligenter cõsiderare velint, quã ad rem à parentibus, prӕceptoribus & concionatoribus monendi sunt seriò, & frequenter. Vix enim in aliqua re & viuitur negligentius, & erratur perniciosius. Quot enim sunt ex Christianis quibus id accidit, quod illa carpsit gentilis? dicens: [Itaq; ante implicatur quis aliquo certo genere cursuq; viuendi, quam potuit, quod optimum esset

Ex philosophis.

Ex Theologis.

D. Th: 1. 2. quӕst: 89. Art: 6.

Ex periculo.

Cic: lib: 1. de offic.

esset iudicare.] Neque verò adeò magna culpa esset, si implicaretur qñ. iudicare necdū potuit, sed culpa est, quia nec vult diiudicare, cū optimè iā iudicare possit, nec vult emēdare, quod pessimè esse inchoatum animaduertit.

Duo cardines vitę humanę.
NOTA

Quemadmodum enim in cælo consideramus duos cardines, circa quos tota illa & immensa machina vertitur & gyratur: ita in cursu vitæ nostrę duas periodos, & quasi cardines oportet nos spectare: alter est, vt bonum vitæ genus ac salutare in ipso vitæ nostrę humanę (nam antequam ad vsum rationis ventum est, more brutorum viuimus.) exordio eligamus: alter vero est cardo, vt si quid hac in parte in principio erratum fuit, quamprimū id animaduerterimus, emendare studeamus.

De his vox impiorū vtilis.
Iob 22. 14.

Est vox impiorum, apud Iob de Deo asserentium. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat & circa cardines cæli perambulat.* Quę vox quāuis sit impia, & blasphema valde; cùm certum sit, non solùm cæli, non solùm hominum; sed etiam animalium, piscium, volucrum, arborum, & vt ipse Christus testatur, passerum, & capillorum capitis nostri, quos numeratos habet Deum curam gerere, & de omnibus prouidere: duo tamen nos inde colligere possumus, primū, illos licet blasphemos, assignasse tamen Deo officium: quod si illorum opinio esset vera, foret excellentissimum. Secundum vereri me, ne inter Christianos, plurimos habeant imitatores, si non verbo, certè facto, &

Mat. 10. 29
Tum negligentibus.
Tum Bachātibus.

opere

opere ipſo. Quot enim ſunt, proh dolor, qui chriſtiano inſigniti nomine, ita viuunt, vt iſti impii; qui diuinam negant prouidentiam? quot, prô pudor, erunt, qui hoc bacchanaliorum tempore, ita comeſſationibus, ebrietatibus, cubilibus, impudicitiis, detractionibus, ſcurrilitatibus, obſcenitatibus, & omnis generis luxuriis operam dabunt, vt gentiles etiam ipſos, & impuros Machometanos ſuperent? vt opere ipſo mõſtrent ſe credere, quòd Deus *in nube lateat*, quòd facta eorum nõ conſideret, quòd *circa cardines cæli perambulet*, ignorans, quid circa nos, vel à nobis agatur. Vtinã ſint pauciores: vtinam vel inter Eccleſiaſticos deſint. Vtinam qui Magiſtratum gerunt, publica ſaltem ſcandala prohibeant. Vtinam qui tales ſunt conſiderare velint, quibus cum ſocietatem gerant, & quæ illos pænæ maneant, quas quidẽ pęnas ſic Propheta ibidẽ cõcludit dicẽs: *Nõne ſucciſa ẽ erectio eorũ, & reliquias eorũ deuorabit ignis?* Veniet dies, quãdo ita ſuccidetur hæc erectio, & ſuperbia cordis & colli eorũ, vt tota in extremã vertatur ignominiã: veniet, quãdo reliquias voluptatũ eorũ deuorabit ignis, ſine fine permanens, & vrens. *Iob 22. 20*

Sed ad cardines noſtros redeamus; Et primum quidem monemus chriſtianos, vt ſibi caueant, ne ab iſtis impiis in illa die condemnentur. Nam dum impii iſti Deo aſſignant cardines cæli, circa quos perambulat, vt bene omnia procedant in inferioribus, monet **Hi duo cardines conſiderandi.**

nos.

nos, vt nos quoq; nostris attendamus cardinibus, & diligenter circa illos obambulemus, ne si ipsi debilitentur, vel ærugine cõsumantur, nos quoq; corruamus, quod fit dubio procul. Itaq; primus vitæ nostræ cardo est, bona boni status electio, cui summopere attendant ii, in quorum potestate, & libertate est hoc adhuc positum. Nam qui firmum iam vitæ statum complexi sunt, siue sacerdotalem, religiosúmue; siue coniugatorum, ab eo resilire non debent (nisi posteriores ex mutuo consensu complecti religionem approbatam velint) sed si quid in electione erroris est commisum, vt id secundo resarciatur cardine, omnem mouere debent lapidem. De primo igitur cardine inprimis est agendum nobis. Cuius primum est fundamentum, vt memores dicti sanctæ virginis QVÆCVNQVE DIXERIT VOBIS FACITE, illum tantùm statum eligant, quem Iesus dixit, id est, quem approbauit. Approbat autem status dupliciter: vel per seipsum, vel per sponsam suam & matrem nostram, Ecclesiam sanctam. Nam vniuersè loquendo, quadruplices sunt status in mundo, mali, periculosi, boni, & perfecti. Bonus verò status generaliter item differendo, aut est Ecclesiasticus, aut sæcularis. Norunt id benè veri Catholici, *ignorant qui ignorabuntur*, quia ignorare volunt, tum hæretici, tum pseudopolitici, vel vtrúmq, miscendo, vel non eam, quam

PRIMVS est, bona status electio.

Status quadruplices.

1. Cor. 14. 38.

quam deberent, inter hæc differentiam statuendo. Sed de his aliâs Christo dante disseremus. Nunc in proposito pergamus, videamusq; qui nam ex istis statibus sub electionẽ cadant, & quomodo dignosci possint. Lydius lapis sit, quem iam posuimus, Christus, & Ecclesia: vt verò id melius intelligas, accipe regulam. Quemcunq; statum (Si modo status vocari potest, id, quod est potiùs status corruptela, quàm status: sed loquamur vt vulgus loquitur, vt omnes intelligant.) Quem ergo statum Christus dominus prohibuit, malus est; quos non legitur approbasse, imò videtur ab iis alios retraxisse, periculosi sunt, quos verò aut verbo, aut facto approbauit, boni; quos autem ipse in se suscepit & exercuit, optimi. Idem sit de Ecclesia suo modo iudicium. Cuius quidem Ecclesiæ vide quæso in ordinandis istis Dominicis pulchrum ordinem hac in parte (ideò & nos nunc de statibus agimus.) Etenim præterita die Dominica proposuit nobis ob oculos statum Ecclesiasticum, dum introduxit puerũ Iesum in templo manentem, & deuotioni operam dantem. Hodie verò status sæcularis nobis exemplum dedit, qui, vt omnes norunt, coniugio vt plurimum occupatur.

Regula duplex eos dignoscendi. NOTA.

Sed loquamur adhuc pressius, & magis in particulari de istis statibus. Malus igitur status est, qui statuit hominem in peccato mortali: Eiusmodi est omnium hæreticorum, Schisma-

In particulari. 1. Mali status qui.

Schiſmaticorum, & ſi ſint in arte perfecti, dicerem etiam pſeudopoliticorum. Item eorum, qui aut in gradibus prohibitis conſtituti, aut votis, ſacriſq; ordinibus conſtricti, contraxerunt matrimonium, ſi modo matrimonium dici poteſt, quod matrimonium eſſe non poteſt. Deniq; huius ſunt generis vſurarii, concubinarii, meretrices, lenones, aleatores, & his ſimiles, Status verò periculoſi generatim loquendo, ſunt imprimis corũ, qui pecunia pecuniam aucupantur: Nam tales à mendaciis, à periuriis, à palliatis, vſuris, à mercibus adulterinis, ab eo, ne monetam falſam expendant, & aliis his ſimilibus mille fraudibus abſtinere, & iuſto lucro contenti eſſe difficulter, & raro conſueuere, cuiuſmodi ſunt publicani ſeu telonearii, & mercatores, qui empta ſtatim ibidem vendunt: ſed & militaris ſtatus magnũ ſecum circumfert periculum; raro enim ſibi à rapinis, & concuſſionibus temperant: nec non aduocatorum ſeu cauſidicorum, qui lucro illecti, haud raro partes iniquas ſcienter defendunt, veritatemque cauillis aut opprimunt, aut euertunt: Non carent etiam periculo cauponarii ſeu tabernarii, qui ebrietates, & alia promouere ſolent. Itaq; à talibus periculoſis ſtatibus abſtrahere potius homines voluit Chriſtus Dñus, quàm eos promouere, prout in Matthæo & Zachęo patet; Zachæum enim peccatis nõ caruiſſe & ipſa reſtitutio, quã pollicetur, & verba Chriſti Do-

2. Periculoſi qui.

Mar. 9. 10.
Mat. 19. 9

sti Do-

ſti Domini, quibus ſalutem domui illi factam eſſe aſſerit, ſatis demonſtrant. Ideòque non permiſit Chriſtus illis, vt ad ad hæc officia redirent, ſicut piſcatoribus, etiam poſt reſurrectionem ſuam, exercere piſcaturam permiſit. Eſt tamen inter hos, & illos priores ſtatus magnum diſcrimen, quod ex ſolo patet nomine: Illi eñ nullo modo ſine peccato exerceri poſſunt, iſti poſſunt; idcirco milites à D. Ioanne Baptiſta, non damnãtur, ſed de periculo monentur. *Luc: 3.14*

5. Boni ſtatus qui.

Boni verò ſtatus ſunt, quos aut ipſe Chriſtus quoquo modo, aut Apoſtoli eius, aut Eccleſia approbauit. Talis eſt ſtatus matrimonialis, quem in Euangelio hodierno Chriſtus Dñus & præſentia ſua, & miraculo decorauit: talis ſtatus ſęcularis, ex quo naſci voluit: ſub quibus generibus infinitę cõtinentur ſpecies, quas recenſere nec tempus patitur, nec vlla poſtulat neceſſitas. Principes & *omnẽ potestatem à Deo eſſè* teſtatur Apoſtolus: *Iudicibus* dari poteſtatem deſuper, aſſerit ipſe Chriſtus: Laboribus manuum per artificium, vel alio modo victum quęrere, tam carum habuit Ieſus, vt artẽ fabrilem credatur exercuiſſe; quem Paulus egregiè imitatus, etiam dum prædicaret, arte *ſcenofactoria* vti voluit. *Rom: 13.1.* *Ioan: 19.11* *Mar: 6.3.* *Act: 18.3.*

4. Optimi qui.

Optimi deniq; ſtatus ſunt, quos ipſe Chriſtus Dominus aut in ſe recepit, aut exercere voluit: Eiuſmodi eſt ſtatus Eccleſiaſticus. Fuit enim *Sacerdos*, non quidem iuxta ſacerdoti-

 um Aa-

Ps: 109. 4. um Aaron, sed *secundum ordinem Melchisedech*;
Heb: 5. 6. sicut Dauid & Apostolus attestantur. Suscepit etiam in se statum cælibem, & illum, qui in cælibatu est èxcellentissimus, nempe virginalem. Suscepit statum Doctorum, & Pastorũ
Ioan: 11. 14. Spiritualium: quia & Pastorem se esse asserebat, & omes docebat; & quod magister ab Apostolis vocaretur, approbabat. Suscepit statum pauperum, relictis diuitiis, ita vt non ha-
Ioan: 7. 14. beret vbi caput reclinaret suum. Exercuit sta-
Ioã: 13. 13. tum Anachoretarum, cũ in templo solus mã-
Mat: 8. 20. sit: & in deserto quadraginta, adeòq; pluribus
Luc: 2. 43. diebus est commoratus. Exercuit statum il-
Mat: 4. 2. lorum, qui sub obedientia viuunt, *quando erat*
Luc: 2. 51. *subditus* parentibus non paucis annis. Exer-
Ibidem. cuit statum studiosorum, licet esset omnium doctissimus, quando inter Doctores sedens humiliter & audiebat, & interrogabat eos. Exercuisse denique creditur (vt dictũ est) artẽ fabrilem, vt doceret laborem manuum etiam spiritualibus viris, etiam anachoretis licitum, imò honestum esse; præscierat enim ociosos quosdam venturos, qui eum improbarent, quos viri sancti, Christi & Apostoli exemplo exploserunt, sed & mendicorum statum exercuisse putatur, tum in templo per triduum
Luc: 8. 3. illud, tum quando prædicabat, ex Eleemosynis sanè eum vixisse certissimum est.

Obseruanda in electione. 1. vt bonus sit status. Quare qui bonam status electionem vult facere, imprimis curare debet, vt aut vnum ex optimis, si ad id à Domino, & creatore suo vocatur;

vocatur; aut bonum saltem statum sibi eligat. Nam malum nefas: periculosum verò eligere, est discrimini sese committere: cæteroquin qui iam illũ est cõplexus, nec facilis retrocedendi est ratio, vt non cautè solùm, verùm etiam cautissimè se in eo gerat, curandum ei est. Deinde adhibenda est bona intẽtio, nempè, vt memores cùm diuini præcepti, *non declinemus ad dextram, vel sinistram*; tum admonitionis Deiparę dicentis: QVÆCVNQVE DIXERIT VOBIS, FACITE: quicquid hac in parte agimus, voluntatèm Christi explere studeamus, laudem & honorem ipsius, & salutem animæ nostræ purè ac syncerè quærẽtes, vt locum habeat apud nos admonitio Christi Domini dicentis: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Nam si in omnibus actionibus nostris, requiritur pura intẽtio, vt quicquid *facimus, omnia in gloriam Dei faciamus*, quẽadmodũ nos monuit Apostolus: quantò magis id locum habet in electione status, quæ est cardo quidam, in quo tota vertitur vita nostra. Ideòque Sathan huic periodo vitæ nostræ maximè insidiatur, sciens quot mala sequantur malam electionem. O quot erunt istis bacchanalibus; qui amore carnali succensi statum amplectentur? alii ebrii promittunt, quod postridie factum dolent, nec tamen retrocedere aut possunt, aut volunt, propter aliquos humanos, quos vocant respectus: alii postqam constituerint sibi finem honores,

2. vt recta intentio.

Deut: 17. 11

Mat: 6. 33.

1. Cor: 10. 31.

Cardo vnde dictus.

Abusus hac in parte.

vel diuitias, huic suo instituto statum conformem quærunt. Qui præposterè sanè agunt: cum non media ad finem sed finem ad media dirigunt. Nam finis hominis est, seruire Deo, ad quem finem quęrenda sunt media, quę cuiuis sunt conuenientia. Isti verò è contra diuitiis, vel honoribus pro fine constitutis, diuinum quærere volunt honorem, aut potiùs velle se fingunt. Denique non desunt, quorum alii ad acquirendum beneficium simonias, & his similia fæda ac illicita stratagemata adhibent: alii etiam veneficia & incantantiones addunt, vt statum, aut matrimoniũ quod desiderant, adipiscantur. Næ deplorandum genus hominum: euenit enim illis vt plurimùm, vt quod auctore diabolo inchoatum est, eodem consumatore perficiatur. Hinc rixæ, maledictiones, odia, cædes, Venena, aliaq; nefanda proueniunt flagitia. Hæc omnia fugienda sunt summopere, tàm illis, qui aggredi statum necdum inchoatũ volunt, quàm iis, qui malè cæptum reparare cogitant. Neque verò attendendum est illorum sermonibus, qui dum hac de re arguuntur, respondere solent, diuinam hanc vocationem fuisse. Erras, & erras turpiter quicunque id asseris: Diuina enim vocatio sancta est, pura est, clara est; hæc verò omnia in tenebris peccatorum fiunt. Non diuina igitur vocatio, sed Sathanæ illusio isthæc sunt vocanda.

Excusatio inepta. NOT.

Quapropter posito ante mentis oculos & statu

3. Adhibēda deliberatio in quiete.

ſtatu bono,&fine optimo,nempè gloriȩ Dei, & ſalutis propriæ deſiderio, faciendum eſt, quod etiam ipſi Philoſophi faciendum iudicarunt (ne ab illis condemnemur) in typo ſui Herculis, quem tradunt exiſſe in ſolitudinem, vt melius & quietius de re tanta deliberare poſſet. Idem tibi multò iuſtius eſt faciendum ô Chriſtiane,qui obligationem habes in baptiſmo virtutis, non voluptatis iter ingrediendi & addenda diligens, continua, & diuturna oratio, vt in re omnium grauiſſima Deus & intellectum tuum illuminare ad cognoſcendum, & voluntatem corrobare dignetur ad exequendũ ea, quæ ſaluti tuæ magis ſunt proficua. Adhibendi ſunt etiam in cõſilium illi, qui & regulas tibi bonæ electionis præſcribere poſſint; & tales ſunt, qui nec volunt, nec facilè poſſunt te in errorem inducere: Nolunt, quia pii & ſancti ſunt; non facilè queunt, quia docti ſunt. Tales igitur require, nempe eruditos,pios, & ſpirituales viros. Neque tamen aut in gratia alicuius, aut perſuaſione humana rem tantam concludas, ſed memor conſilii quod olim *Gamaliel legis Doctor honorabilis* dedit, videlicet quod ex humano pendet conſilio, id diſſolutioni obnoxiũ eſſe: quod verò à Deo eſt,ſtabile permanere, concluſionem huius tanti negocii tibi cum Chriſto Ieſu tuo relinquas: quod tandem facias, & conſtanter exequaris. Sed & illa quæ ex dicto Architriclini, & facto Chriſti colligitur

4. Meditatioq; & oratio.

5. Instructores quoque.

6. Cõcluſio tũ tua ſit.

Act. 5.34.

7. Regula ex Euangelio

gitur regula, haud parũ hanc ad rem prodesse poterit. Quicunq; em̃ status in principio dat bonũ vinũ, postmodũ verò id, quod est deterius, fucatus est: qui vèrò còntrario procedit modo, Christi est: Christus enim in finẽ bonum vinum seruat, quod in pænitentia, & aliis, quæ à Christo nobis commendantur, facilè liquet.

SECVNDVS vitæ cardo ẽ, primi reparatio.

Quam quidem pœnitentiam, & pleraque etiam ex iis, quæ dicta sunt, commendamus plurimùm illis, qui secundo indigent cardine: iis inquam, qui certum firmumq; elegerunt iam sibi statum, licet non absque errore, aut mala intentione. Tales enim primùm agant pœnitentiam. Deinde, si statum mutare possunt, mutent illum in meliorẽ. Exempli gratia: Vides tu nobilis te in militia sine rapinis viuere non posse, relinque illam, cura rem familiarem: vides tu ciuis, causidici munus tibi multorum peccatorum causam esse, proiice illud, & aliud vitæ genus minus periculosum sectare. Vides tu artifex, mercaturam quam aggressus es, ad multa illicita, & iniustitias te pertrahere; redi ad priorem statum: Et idem esto iudicium de aliis. Quòd si status est immobilis, ne mutaueris eum, quia non licet; sed da operam, vt & pœnitentiâ, & vitæ sanctimonia repares, quod erratum est: quam ad rem multò plus quam in priori valere debent apud te consilia spiritualium & doctorum virorum, vt ea sequaris, sicut milites Io-

annis

annis Baptistæ consilium, & instructionem ampl ecti tenebantur. Denique ante mentis oculos omnes semper habeamus hoc beatissimæ virginis dictum QVODCVNQVE DIXERIT VOBIS Iesus, FACITE, & omnia bene nobis cedent. Luc: 3. 14

III. PARS. Quōdo verba B.V. omnia bona cōtineant.

Etenim (vt ad id quod vltimo loco proposuimus deueniamus) verba ista Deiparæ virginis continent in se omne bonum. Nam vt diximus, & vt res ipsa loquitur, talia sunt, quæ ad instituendam, continuandam, & perficiendam piè, & sanctè totam vitam nostram abundè nobis sufficient; Si & perpendentur diligenter, & exequutioni mandabuntur fideliter. Quod vt fiat, & vt ego quoq; vnde cæpi finiam; audiamus obsecro auribus cordis nostri turturem hanc castissimam & sapientissimam, rara & cara, honesta, vtilia, iucunda, duo inquam verba proferentem; alterum ad filium pro nobis: alterum ad nos pro filio. In altero testatur virgo *flores apparuisse in terra nostra* in altero monet nos, *tempus putationis nostræ aduenisse*. Apparuit enim benignitas Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui *flos campi* & *lilium conuallium* ibidem nuncupatur. *Vineæ* quoq; *florentes dederunt odorē*: quinimò (quod maius est) ipse vineæ huius (quæ est Ecclesia) maximus Procurator vel hæres potius Christus Iesus non solùm odorem vineæ emisit; sed etiam ipsam aquam hodie in vinum optimum transformauit, ad intercessionem ma-

Summa dictorū & spes erigitur.

Exordiū applicatur.

Can: 2. 12.

Can: 2. 1.

Quō B.V. pro nobis interced. tris suæ dicentis VINVM NON HABENT. Hæc verò verba profert eadem piissima & misericordissima mater etiam nunc pro nobis in cælo; & impetrat incipientibus quidem vinū compunctionis, proficientibus verò vinum mixtum & poculum conditū: perfectis verò vinum germinans virgines: omnibus autem varia vini spiritualis genera, pro cuiusuis necessitate & capacitate: neq; enim filius āplius asperius illam alloquitur, sed libenter quod petit concedit. Audiamus igitur illam, & vt pro nobis intercedat, obnixè rogemus: multò magis autem audiamus nos alloquentem

Quō nos alloquitur.

QVÆCVNQVE DIXERIT VOBIS filius meus Iesus, hoc FACITE; & recordemur, quod *tempus putationis aduenit*: Verè tempus putationis nostræ aduenit, qui tot superflua ad amputandum habemus; quot difficilè ne impossibile dixerim, aut videre, aut numerare: Hæc verò omnia quatuor illis virginis sanctissimæ verbis resecabuntur. Si enim fecerimus quæ præcepit nobis Iesus, primùm, amputabimus omnia, quæ nos à bona status nostri electione (si adhuc liberi sumus) impediunt, vt purè ac sincerè gloriā Dei; & salutem animæ nostræ quærentes, post quietam & diligentem deliberationem ac iugem orationem, illum statum, qui saluti nostræ est maximè accomodatus eligamus. Deinde, si iam in electione status error est commissus, memores dicti huius, dabimus operam, vt per

Putationis tempus explebimus.

1. In electione status.

2. In reparatione.

per pœnitentiæ lachrymas, & emendationẽ vitæ ea quæ indigent emendatione resecemus: Hoc verò videte quàm pulchrè Metaphoræ huic conueniat. Sicut enim vites cum putantur vbertim flere, ac postmodum fructum reddere solent: ita illi qui in electione errorem commiserunt, copiosas lachrymas emittere debent, vt fructus dignos referant pœnitentiæ. Sin autem bonum quidem statum complexi sumus, verùm non benè quin imò ita in eo viuimus ac si Deus non esset nobis præsens, sed circa cardines cæli obambularet tum temporis, tantò magis his verbis virginis moniti, & lachrymas fundere, & per Sacramenta Deo reconciliari debemus, ne Christus in nobis mercede frustretur sua. Merces enim passionum Christi Domini, est salus animarum nostrarum. Præterea verbis istis Deiparæ, si benè & frequenter iis vtemur profligabimus omnes tentationes. quæ nos ad peccandum conantur. Memores enim erimus nihil horum dixisse, & præcepisse Iesum, quæ illæ suggerunt; sed vetuisse potiùs. Examinabimus insuper hisce verbis omnes actiones, locutiones, & cogitationes nostras, & siquidem inuenerimus ea dicta esse à Iesu, libenter & alacriter exequemur; sin minus, fugiemus. Deniq; si obedientes matri, (vt isti Ministri obediebant) obediemus etiam filio ipsius Christo Iesu (prout & illi fecerunt) siq; matrem spei in fide, spe, charitate, misericordia

3. In vita mala.

4. In tentationibus.

5. In omnibus operib⁹.

6. In obedientia spe perseuerãtia.

 ricordia

ricordia, modeſtia, humilitate, quæ omnia in dictis iſtis relucent, in primis verò in perſeuerentia, imitati fuerimus, & ſpem certam ſalutis cōcipiemus, & mercedem vberrimam obtinebimus. Nā ſicut paruus error in principio maximus fit in fine: ita è contra, bona electio licet frigidè in principio facta; magnos & ingentes fructus referet in fine, dummodo ſtudeamus non flacceſcere, ſed procedere in via cæpta diuini ſeruitii, quilibet iuxta ſtatum ac vocationem ſuam. Quam ad rem inuocanda erit nobis hæc miſericors miſerorum patrona, his vel ſimilibus verbis: Te

Oratio ad B. V.

ſanctiſſima Deipara virgo rogamus, tuum auxilium imploramus mater miſericordiæ & ſanctæ ſpei, vt ſicut hodie in nuptiis pro pauperibus vino carentibus; ita etiam pro nobis vino ſpirituali valdè indiguis, apud filium tuum intercedere digneris, vt & quæ tu nos docuiſti exequutioni mandemus, filioq; tuo in omnibus obedientes ſimus, & per te ab eo vinum obtineamus, quod in hac quidem vita nos corroboret, ne in peregrinatione deficiamus: in illa verò vita, ita nos lætificet, vt abſque vllo metu & timore, vnà tecum inceſſanter Deum trinum & vnum Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum laudare, exaltare, & magnificare valeamus per immenſa & infinita ſæculorum ſæcula.

AMEN.

CON-

CONCIO QVARTA.
Charitas.

CHRISTI DICTA MATRIM: CVM CORPOR: TVM SPIRITVALE.

Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Item *Implete hydrias aqua.* Rursus: *Haurite nunc, & ferte Architriclino.*

QVamuis sicut in præcedenti concione Deiparæ, ita in hac, ipsius Dei Christi Iesu verba, quæ in hoc Euangelio reperiuntur, consideranda, & explicanda suscepimus: tamen ita id faciemus, vt & aliorum, quæ hodîerno nostro seruire possunt instituto, non obliuiscamur, & scopum Christi Domini præ oculis habeamus semper; Scopus autem Saluatoris nostri in facto hoc, & miraculo duplex imprimis mihi esse videtur; nempè tũ corporales nuptias approbare, tũ spirituales nobis cõmendare. De vtroq; agemus Christi instituto, sed magis de secundo. Primum enim id est corporale matrimoniũ fundamentum sermonis nostri erit, secundũ verò copiosius explicabimus. Et in concione spirituali (sicut nos monet Apostolus) *Spiritualibus spiritualia comparantes*, charitatem & amorem (quod vtriusq; matrimonii summum est vinculum) excitare in nobis conabimur. Duplex scopus Christi Domini. 1. Cor. 2.

In hac itaque concione; primum quidem Euangelium per modum historiæ breuiter, Propositio Quinq; perfecta habet.

thcmata

themata verò propoſita, paulò vberius & cõpioſius explicabimus, Deinde, de primo fine & ſcopo Chriſti domini agemus, oſtendentes, tum in quo matrimoniũ corporale conſiſtat: tum quæ cõmoda & incõmoda habeat. Poſtea, quibus & quot modis fiat ſpirituale matrimonium demonſtrabimus. Præterea quomodo carnale à ſpiritualibus connubiis ſuperetur diſſeremus. Ac deniq; tum fructus matrimonii ſpiritualis colligemus; tum quomodo illorum participes eſſe poſſimus inueſtigabimus. Da ſponſe Eccleſiæ Chriſte Ieſu, ita hæc & conſiderare, & exequi, vt vinculi illius perfectiſſimi, quod eſt in gloria tua in cælis, per gratiam, & gloriam tuam efficiamur participes in æternum.

I. PVNCTũ Hiſtoriam Euangelij continet.

Poſtquam venit plenitudo temporis ab æterno preordinata, vt tum per prædicationẽ publicam; tum per ſigna ac prodigia magna & copioſa, Euangelium, id eſt, lætum nuntium, primùm in Iudea, poſtea verò per totum terrarum orbẽ manifeſtaretur per filium Dei Chriſtum Ieſum; Cùmq; is, cuius ſecundum diuinitatem annorum non eſt principium, in forma ſerui expleſſet iam triginta annos; cùm deniq; iam & palam fieri, & diſcipulos colligere cepiſſet Chriſtus Dominus, inuitatus fuit vnâ cum diſcipulis ſuis, quotquot eo tẽpore habuit ad nuptias, & epulum matrimoniale, ad oppidum quoddã, ſitum in Galilæa, Cana dictum, vicinum Nazaretho, vbi fuit educa-

tus

tus idem Christus. Neque verò venire recusauit, quamuis nuptiæ illæ pauperes essent, quod ex defectu vini (apud diuites enim nũquam id accidit) satis clarè colligitur. Itaque cùm ibi esset, cæperunt hospites, qui illum inuitarant, inopia vini laborare: Quod animaduertens mater Iesu Maria, quæ (vt est probabile) in nuptiis illis, tanquam cognata ministrans, & vt ita dicam, semiæconoma erat: accessit ad filium suum Iesum, & mansuetissimè humillimeq; tribus verbis nunciat illi, vinum deesse, spem certam, imò vt cum multis sentio, notitiam per reuelationem habens, Christum Dominum necessitati illi minimè defuturum; sed etiamsi vinum emendi facultates non suppeterent, aliunde tamen de vino prouisurum. Nec spes fefellit illam. Nam Christus Dominus licet facti nõn ignarus, gnarus tamen etiam mysterii, nec refragans matri, sed monstrans quomodo se quisque in talibus gerere debeat, deniq; non propter matrẽ, sed propter circumstantes respõdet illi dicens.

QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? NONDVM VENIT HORA MEA. Quæ verba, si quis pio, & Christiano corde meditatus fuerit, inueniet in illis, asperitatis quidẽ parum, aut nihil; artificii verò, mysterii, & consolationis valde multùm esse. Ita enim priora sequentibus temperantur, vt si omnia simul sumas, mirari summopere Christi Domini

PRIMVM dictũ Christi explicatur.

mini

mini in iis ſapientiã debeas. Nam priora aſperiora videntur quia propter circũſtãtes prolata fuerunt; ſequentia verò benigna ſunt; quia illis ſpes matri data, quod eſſet facturus, quæ petiit. Cùm enim inquit, NONDVM VENIT HORA MEA, ſatis clarè denotat, venturã horam, qua id faciet. Illa verò, QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? Quomodo quęſo in eo rigore quem hæretici fingunt intelligi poſſunt? Nam ſi ita ſe res habuit, vt illi volunt, poſſet quiſpiam dicere: Quid inquis, ô bone Ieſu nihil tibi eſſe cum virgine matre? quomodo nihil tibi eſt cum illa, quæ tibi hoc corpus quod geris dedit, cùm ad illud efformandum puriſſimum ſanguinem ſuum pro materia ſubminiſtrauit; quæ te in vtero nouem menſium ſpacio geſtauit? quæ in hãc lucẽ edidit! quæ lacte ſuo pauit! quę in Ægyptum duxit & reduxit, quæ nutriuit, aluit, tibiq; fideliter, & amanter ſeruiuit. Quòd ſi ſpiritualia ſpectes, hæc eſt quæ Archangelo Gabrieli inaudita narranti propter te credidit, hæc quæ, vt in vtero ipſius cárnẽ aſſumeres, conſenſum prębuit, hæc quæ ea omnia, quæ de te dicebantur, à paſtoribus, Magis, Angelis, Simeone, Anna, & quibuſuis aliis non ſolùm audiebat diligenter, ſed etiã conſeruabat in corde ſuo. Et tu nunc dicis, QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? id eſt, nõ noui te, nihil mihi tecum (vt impii interpretantur). Quid? recordor te ô Chriſte olim defen-

Officia B. V. Christo exhibita.

defendisse Magdalenam ad pedes tuos sedentem, & verba tua audientem; nunc verò repræhendis matrem, quæ non solùm audiebat & conseruabat, sed etiam conferebat in corde suo quæ de te dicebantur, quod si id tum temporis fecit, quantò magis id prestitit quando audiebat, quæ à te, de te, & de patre æterno dicebantur? Luc: 2. & 19.

Sed inquiunt: tum temporis benè se gessit Maria: modò verò secus se res habet. Nam & importuna est filio, & quicquid facit, propter vanam gloriam facit, inquit Caluinus. (& probat ex Chrysostomo) additq; interpretationem, nempè Mariam non expectasse miraculum à filio, sed voluisse, vt exhortatione sua capaces redderet conuiuas, de vini defectu. O insipientia, hominis in oculis suis,, suorumq; sapientissimi. O malitia venenata. Siquis nostrûm talem daret interpretationem literæ; quas non Tragędias isti excitarent? Et tamen nihil aliud nisi Euangelium se crepare aiunt, quorum vtinam aliquando tandem oculi mentis aperiantur. Nam vbi quæso est ista interpretatio in scriptura? imò nonne apertè est contra ipsum Euangelii huius textum? Quid enim sibi vult quod Maria virgo iubet Ministris vt Christo obediant, si nihil aliud quam exhortationem ab illo expectabat? Nunquid voluit, vt illũ Ministri viles in exhortatione facienda iuuarent? Malitia verò venenata Caluini, & suorum

Caluini interpretatio absurda.

Cal: in Ioan.

NOTA

Hæreticorũ malitiam.

rum

rum dupliciter hîc apparet: tum quòd malitiosè cor virginis iudicant, (quod hæreticis facere in vsu est semper) ac opus bonum in malam partem interpretantur: tum quòd ea tantùm in patribus & historiis quærunt, quæ vitium aliquod spirant. Sunt enim venenata animalia, vt in alia concione ostendimus, cur enim omnibus aliis & Græcis, & Latinis doctoribus omissis, Chrisostomum solùm sequuntur? Ratio in promptu est, quia scorpiones veneno nutriri solent: quamuis Chrysostomus nec asseueranter id dicat, nec aliorum sententiæ prçiudicat. Et vbi est ô hæretici illa alia vestra regula. Patres non esse audiendos, nisi quando cum aperta scriptura conueniunt? vbi est quæso clara scriptura cũ qua hæc interpretatio Chrysostomi conuenit? Cum nulla sanè, imô illi repugnat, Deiparam enim hæc ex compassione, misericordia, charitate & officii sui ratione fecisse non est obscurum: & fecit hoc cum tanta modestia, vt tria tantum verba protulerit; & tamen neq; in istis venenatas linguas hæreticorum effugere potuit, quin importunitatis ab iis argueretur.

Qui corda malè iudicant.

Qui venena quærunt.

Qui regulas suas non obseruant.

Sed de his satis tum ad supplementum eorum, quæ aliâs excussimus, tum ad meliorem verborum Christi intelligentiam. In quibus (vt dixi) nihil est reprehensionis, mysterii verò plurimùm. Reprehensio nulla est. Phrasis enim hæc aliud sonat nihil, quàm ac si diceret.

In verbis Christi.

Rep̃hensio nulla.

ceret, sine modo; relinque nunc, nondum enim tempus aduenit. Ita vxor Pilato nuncium mittens, inquit. *Nihil tibi, & iusto illi*; id est, relinque hunc iustum ne condemnes illum. Sic dæmones clamant: *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei?* ac si dicerent; sine nos. Qualis modus loquendi etiam in nostra lingua frequens est. Quod si aliquid asperitatis redolere videntur verba ista, facit hoc Christus Dominus propter mysteria. Primum est, vt instruerentur circumstantes. Tale quid legimus in resuscitatione Lazari, vbi orans Iesus inter alia ad patrem inquit, *Sed propter populum qui circumstat dixi*: Sicut ergò hisce verbis: ita istis ad matrem, testatur se omnia miracula purè ad laudem Dei retulisse, & fecisse, ne quis putaret illum carnis affectu quicquam tale patrasse. Vbi & illud notatu est dignissimum. Quod etiamsi dominus Lazarum resuscitauerit purè ad promouẽdam gloriam Dei, fecit tamen hoc permotus lachrymis sororum eius, vt testatur Ecclesia: ita istud in vino miraculum quamuis egerit, vt manifestaretur gloria eius diuina, & vt crederent in eũ discipuli eius (quod & subsecutum est) tamen fecit etiam hoc permotus precibus matris suæ. Nam & alia frequenter fecit miracula ad intercessionem hominum, vt cẽturionis, vt Archisinagogi, vt Reguli, vt discipulorum, vt aliorum. Hoc igitur est primum in asperitate (si quæ est) horum ver-

Mat. 27. 19

Mat. 8. 29

Mysteria nuitæ.

1. Doctrina data circumstantibus.

Io: 11. 42.

borum Christi secretum, nempè ne quis circumstantium suspicaretur, illum non Dei, sed matris causa edere miracula. Alterum est vt Deum agnoscas, qui & matri imperat, & prouidentia sua omnes horas ab æterno dinumeratas habet, & nouit quid quouis momento fieri debeat. Tertium vt matrem plus mereri faciat; dum patientiam, fiduciam, modestiam, & alias virtutes exercet. Sicut enim vos patres sano & vegeto filio, onera imponitis; ægrum & debilem ipsi portatis: ita Christus Dominus, quantò quis est sanctiòr, quantò robustior in spiritu, tantò asperius illum tractat, vt maiorem coronam recipiat. Videmus id in D. Paulo, videmus in aliis Apostolis, videmus in Beata Virgine; tam in isto Euangelio quàm in illo quod prçterita Dominica lectum fuit. Pulchrum tam pro illis qui in tribulntionibus sunt; quàm contra impatientias nostras documētum. Ac proinde hoc é quartum in dictis istis mysterium, videlicet vt nos instruat, quomodo & in aduersis nos gerere, & omnia cogitata, dicta, factaq; nostra spiritualia, purè & syncerè ad laudem Dei referre debeamus.

2. Vt Deum agnoscas.

3. Vt B. V. merita multiplicentur.

Simile.

4. Vt nos instruamur.

Hoc igitur nodo dissoluto, ad nostra redeamus & facilia quæ in historia restant breuiter expediamus. Itaq; mater Christi, virgo prudētissima & patiētissima absq; vlla animi & corporis comotione, Monet Ministros vt Iesu dicto sint obedientes, non ignara tum ex

Historia Euangelij cōtinuatur:

responso

responſo filii, tum aliunde quid eſſet factu-rus. Nam aliâs, quid quæſo veniſſet Mariæ in mentem, miniſtros & non alios monere? vel etiam quippiam alicui dicere, ſi ignara fu-iſſet myſterii? ſciuit igitur & vinum ad futu-rum, & modum quo illud fieri debuit, ideò illos inſtruit quorum opera Chriſtum vſurũ nouerat. Qui cum prȩſto eſſent. Chriſtus Ie-ſus, quando venit hora illla ab æterno prȩor-dinata; ſecundum profert verbum, dicens Miniſtris.

IMPLETE HYDRIAS AQVA. Erant enim ibi ſex vaſa aquea, lapidea, magna & ca-pacia, quæ iubet Chriſtus aqua implere; quod peragunt Miniſtri & alacriter, & fideli-ter, implentes ea vſq; ad ſummum. Ieſus au-tem inquit eis. SECVNDVM dictũ Chriſti.

HAVRITE NVNC ET FERTE ARCHITRICLINO. Tertium hoc & vltimum Chriſti dictum in Euangelio hodierno diffi-cultatis nihil, myſterii non parum in ſe con-tinet: denotant autem ſingula penè verba (vt aliâs diximus) aliquid. Nam primum HAVRITE, oſtendit magna vaſa fuiſſe: ſecũdum NVNC, declarat, horam expectatam iam ve-niſſe. Reliqua ordinem docent. Iis enim pro-fecto conuiuii debitum exhibere iubet ho-norem, amator omnis boni ordinis Deus. Iuſſis verò Chriſti obediunt Miniſtri, & hau-ſtam minori vaſe ex hydria aquam deferunt Architriclino. Is autem dum quod porrige- TERTIVM dictum explicatur.

batur gustasset, vinum & vinum præcipuum esse reperit, & demirans tam excellentem potum tamdiu seruatum fuisse, accersens sponsum, expostulat cum illo, quod prętet hominum consuetudinem tam bonum vinũ tamdiu seruasset: Verùm sicut Architriclinus ignorabat, quòd iam defecisset vinum in nuptiis; ita tam ipse, quàm sponsus nesciebant vnde esset illud vinum optimum. Ministri autem sciebant, quòd à Christo Domino vinum illud ex aqua confectum fuisset; qui etiam factum prodiderunt. Quod & domesticos, & cõuiuas omnes procul dubio in stuporem vertit; discipulos verò Christi etiam conuertit, vt crederent Iesum, non solùm prophetam, non tantùm Messiam desideratum; sed etiam Deum esse, qui naturas rerũ posset transmutare, quod Dei solius est propriũ; ideò dicuntur credidisse *in eum discipuli eius:* In neminem autem rectè creditur, nisi in Deum. Hæc est facti hodierni, breuis in verbis historia, at longa nimis in doctrinis, & mysteriis; quorum quædam iam retulimus, quædam ad aliud tempus seruabimus; plura autem ignoramus, quæ scient illi quibus post diligentem meditationem Christus manifestare voluerit. Nos duos illos quos in principio posuimus fines, paulò copiosius considerabimus. Diximus enim Chrstum Dominum facto isto voluisse, tum matrimonium corporale confirmare; tum spirituale docere.

Propositio sequẽtium.

docere. De priori dicta sunt iam non pauca, ideò hîc breuius; de altero verò agemus fusius, quia ad hanc propriè concionem pertinet.

Matrimonium igitur corporale, in noua lege licitum & honestũ esse, constat inter alia multa, ex facto hodierno Christi Domini, qui non solùm approbat illud præsentia sua, sed etiam ornat miraculo, quod primum (saltem publicè) fecit, postmodum verò ornauit etiam illud & dotauit sacramento: ita vt ab initio mundi nunquam fuerit magis honoratum connubiũ, quàm est modò. Nam si rem benè considerauerimus inueniemus quò posterior est lex Dei, eò matrimonium inter virum & fæminam fuisse excellentius. Quadruplex fuit lex in mundo, quintam verò expectamus in cælo. Prima erat lex innocentiæ; in qua ita fuit matrimonium honoratum, vt amor qui in illo viget, fuerit prelatus amori patris & matris, idque ab ipso Deo. Etenim verba illa Adę, in ipsa Euæ formatione edita. *Quamobrem relinquet homo patrẽ suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:* Christus Dominus a Deo dicta esse asserit; quia Deo inspirante ab Adamo dicta fuerũt: vnde etiam intellexerat Euam ex latere suo eformatam fuisse. Altera lex fuit statim post peccatum primorum parentum; in qua matrimoniũ multò magis est nobilitatũ, quando Deus promisit ex matrimonio nasciturã, quę contritura esset caput serpentis infernalis.

II. PVNCTVM De matrimonio corporali. Eius Excellentia.

In lege innocentiæ.

Gen: 2. 24. Mat: 19. 5

Maior in lege naturæ. *Gen. 3. 15.*

 Terti-

Aduc maior in scripta. Tertia lex fuit circumcisionis, quæ cœpit ab Abrahamo, cui circumcisio primùm præcepta erat. In qua tum ipsa Circumcisio, tum prohibitio ne matrimonia cum alienigenis contraherentur; tum verò destinatio vnius certe familiæ (vt Abrahami, Iacobi Dauidis Salomonis) ex qua nasci Messias debuit, plurimùm honoris addidit connubio. Quarta lex est ipsius Christi, quæ quantopere matrimonium præ omnibus aliis honorificauerit, & indissolubilitate, & sacramẽto, iam diximus.

Maxima in noua lege.

Castitas tñ præeminet. *Eph: 5. 32.* Neq; tamen ideò castitate & virginitate est excellentius, tum alias dictis de causis; tũ quod hoc carnale matrimonium sit figura spiritualis, vt testatur Apostolus: Spirituale autem in castitate maximè consistit, de quo paulò post. Deniq; quintam legem expectamus in cœlo, vbi solum spirituale vigebit cõiugium, Christo dicente quod in resurrectione neque nubent, neque nubentur. *Mat: 22. 30*

Quid sit matrim. corp. *Gen: 2. 24* *Gen. 2. 7* *Mat: 19. 6.* Est autem matrimonium corporale, vt ab ipso Deo descriptum audiuistis, coniunctio duorum *in carne vna.* In quibus verbis est Hebraimus (sicut in illis paulò ante. *Factus est homo in animam viuentem*, id est, anima viuens.) quem explicans ipse Christus Dñus inquit: *Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro.* Hæc verò cõiunctio & vnitas in tribus præcipuè consistit, quæ etiam cohonestare dicuntur coniugium, nempè fides, proles, & Sacramentum. Duo priora explicat Apostolus Corintiis, tertium

Tria eius commoda & bona. *1. Cor: 7. 1.*

NOTA.

Ephe-

Ephesiis. Illa duo erant in omni lege; tertium accessit in noua. Itaque in connubio viri & fæminæ, est vna vtriusque fides, vna proles, vnum Sacramentum. Fides inducit obligationem moralem; tenentur enim vsq; ad mortem vtrinq; seruare fidẽ. Proles inducit obligationem naturalem; tenetur enim vterque coniugum prolem educare, & alere: Sacramentum inducit obligationem gratiæ: tenẽtur enim se inuicẽ charitate Christiana amare, & vinculum hoc indissolubiliter conseruare. Fides comprehendit etiam intentionem se obligandi ad vinculum matrimoniale, quæ si non fuerit, matrimonium est nullum. Proles, non est in potestate coniugũ, quia à Deo datur; debet tamen esse in intentione. Sacramentum, in fidelibus statim consequitur. In quo etiam gratia diuina datur ad hæc bene & Christianè seruanda: modo quis gratiæ obicem non ponat, quod ne fiat, præparatio est pręmittenda, quam Ecclesia in Concilio Tridentino pręscribit. Hæc igitur sunt bona, & cõmmoda matrimonii: verùm habet etiam sua in cõmoda, nec leuia, nec pauca. Nos ea tantùm tangemus, quæ Diuus Paulus ibidem recenset: Primùm est *debitum*, quod velint, nolint, reddere tenentur. Alterum, *tentatio Sathanæ*; & adiungit causam, *propter incontinentiam*, quò enim quis est incontinentior, eò maioribus tentationibus est expositus. In coniugio verò esse continens nemo potest,

Eph: 5. 32

Con: Trid. Ses: 24. ca: 1. de Refor.

Sex verò incõmoda ex Apostolo.

NOTA.

1. Cor: 7. 5.

nisi *ex consensu ad tempus*, vt ibidem habes. Tertium *Alligatio*, seu seruitus, quia abinuicē *discedere non possunt*. Quartum. *Tribulatio carnis*. De qua in alia concione disseruimus. Nec verò mirum id videri debet (quod hęreticis mirum valde videtur.) matrimonio enim non mortificatur, sed irritatur potius caro. Idcirco coniugium medicina est, non sanitas, vt ibidem Apostolus pulchrè discurrit. Quintū est incomodum, quod multa complectitur, *Sollicitudo* varii generis, Paulus ponit, *vt placeat mundo & viro*, sed est alia etiam acerbior, ne vir, vel vxor placeat alteri: hinc zelotypia vlcus pessimum mentis. Item: Sollicitudo de re familiari, de liberis, deq; aliis infinitis. Ideò istæ nuptiæ in Euangelio benè dicuntur factæ *in Cana Galileæ*, id est in zelo volubilitatis. Nō rarò enim amarus zelus, & volubilitas ac alternatio amoris & odii ibi esse solet. Deniq; ponit Apostolus vltimum, quod *potestatem nō habent suæ voluntatis*, sed hoc ad priora reduci potest. Reliqua quæ aut apud Sanctos, aut in ipsa scriptura reperiuntur recensere nolo, quia ad principale nostrum institutū festino.

III. PVNCTVM de matrimonio spirituali.

Spiritualis etenim matrimonii cōsideratio huic loco propria est; ideòq; id diligentius est à nobis pertractandum, tum quòad eius intrinseca; tùm quòad numerum, tum quòad excellentiam, & alia generis eiusdem. Est autem matrimonium hoc duplex, vel triplex; primum in se continet coniunctionem & copulati-

Quod est triplex.

pulati-

pulationem duarum naturarum; naturæ videlicet diuinæ & naturæ humanæ, in vna persona; quodquidem matrimonium factum est in vtero Mariæ virginis, admirabile sanè, stupendum, incomprehensibile; de quo nobis grandis sermo, sed non modò. Alterum factum est in cruce, quando nouus Adam nouam sibi formauit Euam ex latere, id est Ecclesiam. Tertium fit per Sacramenta, in quo spirituali matrimonio omnes animæ fideles, & cum capite suo Christo Iesu, & secum inuicem copulantur, ac in vnum corpus spirituale coalescunt. Sic eñ inquit Apostolus: *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Qua de re etiam alibi copiosius disserit. Ad Ephesios verò ita illud extollit, vt matrimonium corporale figuram esse asserat coniugii spiritualis. Nam referens illud: *erunt duo in carne vna*, in quo carnalis cõnubii vis consistit, adiungit; *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quanta igitur est dignitas, cõiunctio, vnioq; matrimonii spiritualis, cuius illud aliud vmbra tantum & typus est? Huius ergò duplicis postremi matrimonii die hodierna præcipuam in Ecclesia memoriam agimus; & videte quàm aptè, & quantis cum mysteriis. Audiuistis ab Ecclesia, & SS. Patribus, tribus miraculis nos diem istam ornatam habere; nempe aduentu Magorum duce stella, ad adorandum Iesum; Baptismo Christi in Iordane, post

Ro: 12. 5.
1. Cor: 12. 8
Dignitas eius.
Eph: 5. 31.

Tria miracula ei applicantur.
In prima concione.

quem aperti sunt cœli, vox Patris audita, & Spiritus sanctus in specie columbæ visus fuit: & hoc tertium, quod præ manibus habemus,
Auctor eius Christus Dominus. transelementationis aquæ in vinum. Omnia tria nobis hoc matrimonium depingũt. Quis enim autor huius matrimonii, imò & consũmator alius, quàm ipse Christus? Nemo equidem. De Christo enim scribitur, illum ideò
Io: 11 52. venisse, & mortuum esse, *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*; id est, vt vnum corpus efficeret omnes; prout ex Paulo audiuistis. Hoc verò miraculis istis mirificè est adumbratum, imo elucidatum potius hac ratione. Primò, per aduentum Magorum Ecclesiam sibi ex gentibus copulare incæpit Christus. Secundò: Baptismo suo aquam sanctificauit, qua quicunq; in nomine Sanctissimæ Trinitatis (quæ tunc apparebat, Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columba) baptisantur, Christum induunt: ita enim
Gal: 3. 27. inquit Apostolus: *Quicunque in Christo baptisa-*
1. Cor: 12. 2 *ti estis, Christum induistis*; & ita fiunt *membra de membris eius*: tertiò verò isto hodierno miraculo, denotatur excellentissimus huius matri-
Chris: hõ. 60. ad pop. Antioch. Cyr. Alex. li: 4. in Io: an: 17. monii nexus, qui fit per Eucharistiam (cuius hîc non typum modò, sed etiam præparationem habemus, in ista naturarum aquæ & vini transmutatione) per quam ita coniungimur, copulamur, cõmiscemur, (vt Sanctorũ phrasibus vtar) Christo Dño, vt concorporei & cõsanguinei illius dicamur. Imò non solùm cum

Christo,

Christo, sed etiam nobiscum in Christo vnum efficiamur. Id enim testatur idem Apostolus disertis verbis, cum inquit: *Quoniã vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Quantis bonis se vltro citroq; priuarunt miseri hæretici, præsentiam corporis Christi in Eucharistia negantes? verũ missos illos faciamus. Cyr Hierosł. Cath. Myst. 4. 1. Cor. 10. 17.

Quare vt eò vnde egressa ẽ, referat se oratio, matrimonium spiratuale, quod est coniunctio singulorum cum Christo Iesu & tota Ecclesia; vt simus omnes *vnum corpus, & vnus spiritus*; extrinsecus quidem & efficienter fit per Sacramenta; imprimis verò per Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ: intrinsecè autem fit dupliciter, vel tripliciter; primò per fidem, Ita enim Deus per Prophetã: *Et spõsabo te mihi in fide*: secũdò per charitatem, Cuius idem Deus meminit per alium Prophetam dicens: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam & charitatem desponsationis tuæ.* Tertiò per castitatem & virginitatem; de quo Apostolus. *Despondi enim vos, vni viro, virginẽ castam exhibere Christo.* Quæ desponsatio & si omnibus Christianis competat (omnes enim cùm corporalem castitatem seruare tenẽtur, siue virginalem, siue cõiugalem, siue quamuis aliam quilibet secundum statum suum: tùm spiritualem, de qua ibi propriè Paulus loquitur) tamen desponsationem istam magis propriè competere illis qui aut virginitatem, aut

Tertiũ matrimon. spirituale fit extrinsecè per sacramenta.

1. Cor: 6. 17

Intrinsecè verò tripliciter.

1. per fidem Os: 2. 20.

2. per charit. Iere: 22.

3. Per castit: & per vota maxime.

2. Cor: 11. 2.

Casti-

castitatē suā Deo deuouerūt, nemo Catholi-
Differentię inter ista. corū dubitauerit. Itaq; prima despōsatio facit nos Christianos, altera efficit bonos & pios Christianos: qui enim charitate caret cum infidelibus condemnabitur: Postrema verò, statum perfectum aut ad perfectionem tendentem in se continet. Prima potest esse sine aliis; aliæ verò sine illa nequaquam. Nam sine fide nec vera charitas esse potest, nec castitas etiam virginalis valet quicquam. Qui ergò sola fide cōiunctus est Christo, habet quidem aliquod vinculum matrimoniale cum illo, (est enim in Ecclesia) sed debile nimis; qui addit charitatem, magnum vinculum habet spirituale: qui verò his duobus adiūxerit castitatem, vel etiam virginitatem mentis & corporis, strictissimo coniugio specialiter deuincitur Christo. Primum matrimonium bonū est, sed esse malum potest, si solum tantùm erit: Secundum melius, quia bonum hominē facit: Tertium optimum, si est quale esse debet; debet enim duo priora præsupponere. Duo priora sunt à Deo pręcepta, de tertio cōsilium tanùm est à Christo datum, ideò perfectissimum est.

1. Baptismo. Quamuis autem omnia tria coniugii spiritualis genera suo modo in baptismo reperiātur; peculiari tamen ratione, primum baptismo competit; ideò baptismus Sacramentum
2. Eucharistiæ. fidei dicitur. Secundum magis proprium est Eucharistiæ, vnde Eucharistia Sacramenti charitatis

ritatis

ritatis nomen ſortita eſt. Tertium per vota, & maximè per illa tria religioſa perficitur, per quæ aliis ſe Deo perfectè reſignat & tradit, quando bona quidem omnia externa per votum paupertatis, corpus verò per votum caſtitatis, animā autem per votum obedientiæ Creatori & ſponſo ſuo Christo Ieſu, in odorem ſuauitatis offert. Quæ tria in his tribus dictis Christi Domini notata habemus; duo quidem manifeſtè, tertium verò ſubobſcurius. Nam cùm inquit Christus Dñus. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? docet nos propter amorem ipſius cum ab illo ad religionem vocamur, abrenunciare externis bonis omnibus, quæ poſſidemus, & ipſis etiam (quod hac in parte eſt maximum) parentibus. Hoc verò fit voto paupertatis. Deinde quando inquit: IMPLETE HYDRIAS AQVA: docet nos mortificationem, qua tanquam aqua inſipida (quam tamen Ieſus in vinum conuertit) hydriæ corporis noſtri implentur; quod fit per votum caſtitatis: dum enim hanc vouemus, etiam quæ ad rem conſeruandam requirun tur, facturos nos recipimus. Denique, quādo inquit: HAVRITE NVNC ET FERTE ARCHITRICLINO; docet nos eximiè obediētiam illam perfectam, quā cæcam vocant. Quæ in miniſtris quibus hæc verba dicta ſunt valde elucet. Nunquid enim illis in mentem venire non potuit, ne obedirent Christo Domino? Dicentes inter ſe.

3. Religioſæ vitæ maximè cōpetit.

Huic vltimo.

Thema applicatur.

Quid

Quid iste Iesus vult nos aut ludibrio exponere, aut etiam plagis afficere, qui iubet nos aquam, quam ipsi ex flumine hausimus ferre Architriclino ad bibendum, vt sic deludatur? verùm illi nihil tale: Quare? vt nos per illos doceat Christus Iesus, certo quodam obedire modò etiãsi id, quod pręcipitur contrarium nostræ opinioni esse videatur, dummodò non præcipiatur peccatum, prout hic nullum fuit. Hic igitur est excellentissimus spiritualis matrimonii modus: qui licet non sit Sacramento coniunctus, (vt sunt duo priores modi) est tamen perfectissimus; tum quòd, (vt diximus) duos illos præsupponat; tum quòd ex pura libertate fiat, cum non sit in pręcepto; tum quòd (vt Sancti asserunt) sit species quædã martyrii. (Martyrium autem saltem quantùm ad meritum excellere sacramẽtis, omnes libenter concedunt.) Videntes etenĩ amatores Christi, non esse licitũ seipsũ occidere, vt martyr efficiaris; inuenerũt quoddam genus liciti diuturniq; martyrii: videlicet bellum indicère. mundo; carni & diabolo, (quod fit per vota religiosa) à quibus cũ affliguntur pati multum ac martyrium quodam modo subire debent. Nam vt ex vno capite de aliis iudicemus. Quis non videt maximam illam pugnam, & conflictum Pauli, qui extorsit ab eo verbà illa: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*; martyrio fuisse similem? Qualis verò hæc tentatio fuerit, & ibidem

Matrimonium hoc per vota excellentissi: esse NOTA
1
2
3

Martirij genus.

Rom:7. 24

ibidem satis demonstrat, & alibi adhuc clarius cum inquit: *Datus est mihi stimulus carni meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Contra eandem tentationem mirè & miserabiliter lamẽtatur D. Gregorius Naziãzenus, quod ea quę in iuuentute non sensit, in senectute crudelia sanè pati debuèrit. Hoc igitur est vnum martyrii genus contra castitatis votum. quid dicã de aliis? quæ fiunt inquam contra votum paupertatis, & obedientiæ? Tempus me deficeret, si omnia recensere vellem. Non est tamẽ abiiciendus animus; sed excitandus potius; tũ amore Chtisti tum præmiis maximis; tum quòd non desint etiam contra hæc remedia, & multa, & efficacia, quibus armatus idem Apostolus, paulò post inquit: *Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.*

2. Cor. 12. 7.

Greg. Naz. in variis carmi: vide Bar: Anno Christi 389 tom: 4.

Ro: 8. 37.

III. PVNCTVM Quo corporale matrimonium à spirituali superetur.

Cæterùm declarata natura, & proprietatibus triplicis huius matrimonii spiritualis (vel adumbrata potius, cum singula singulas requirerẽt conciones) videamus iam, quonam modo, carnale cõnubium, ab his omnibus spiritualibus matrimoniis modis superetur vniuersis, siuè naturam eorum siue bona, siue cõmoda, siue alia extrinsecè aduenientia, siue quiduis aliud spectes. Coniunctio maris & fæminæ in vnam carnem, facit matrimonium naturale seu corporale; at in spirituali fit coniunctio animæ fidelis & Dei immortalis in vnum spiritum. Hęc comparatio est ipsius Apostoli, quoad vtramq; partem, quam sic cõcludit:

I. Ratione cõiũctionis.

1.Cor:6.17 cludit: *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.* Itaq; quantò excellentior est tum Deus homine, tum spiritus carne, tum anima corpore; tantò matrimonium spirituale corporali præstat. Quamuis in sanctissimo Eucharistiæ Sacramẽto, etiam corpus nostrum corpori Christi coniugatur, quo pascitur & potatur, admirabiliter sanè & ineffabiliter, de qua coniunctione alias copiosius agendum erit.

2. Rõne honestatis.

Quod verò ad illa tria bona, nempè fidem, prolem, & sacramentum, quibus carnale coniugium honestatur, attinet: ista in spirituali longè esse præstantiora nimis euidens est. Primum quidem, quia spirituale connubium cohonestatione non indiget, cùm ex se, & ex natura sua sit honestissimum, castissimum, purissimum. Deinde, quia tria hæc, multò magis hic præcellunt. Nam ibi est fides homini data, quæ morte corporali dissoluitur: hic Deo fit promissio, quæ post mortem durat, imo morte ipsa perficitur. Scitis enim quod sicut in carnali connubio, vtrinq; aliquid promittitur: idẽ fieri in baptismo (vtinam etiam quotidie pacti illius meminisse velitis.) Ibi n. nos quidem, mundo, carni & diabolo abrenunciantes, Deo coniungimur; Deus verò nos ex filiis iræ, filios gloriæ efficit: & regnũ cęlorum promittit. Nonne videtis quantũ hæc illa & antecellunt, & morte perficiuntur?

3. Rõne illorum trium bonorum 1. Fidei.

Prolis.

Deindè proles ibi est & carnea, & modica, & sæpe incerta, & certò terræ tradenda, in quam paulò

paulò post conuertetur, quicquid ex connubio hoc nascitur: nam ad animam nihil habet coniugium: à solo enim Deò hæc creatur) hic verò & certissima proles est, & spiritualis, & copiosissima; quot enim sunt bona opera, tot proles. Quid verò dicam de iis, qui Christo animas lucrātur proximorum. Neq; verò fætus iste terræ mandatur, sed cælo præparatur, In tertio, id est, in Sacramēto postremus matrimonii modus, qui fit per vota deficere videtur sed expletur id, vt vidimus aliunde. Nā vt dici à nostris Scholasticis solet, quod deest ratione operis operati, impletur, imò etiam superatur ratione operis operantis, sicut in martyrio fieri animaduertimus. Ab aliis verò matrimoniis spiritualibus etiam ratione sacramenti corporale matrimonium longè superatur. Nam Sacramentum baptismi, & Eucharistiæ, excellentius esse Sacramento matrimonii quis nesciat?

Sacramenti

Quid verò dicemus de incommodis illis matrimonii corporalis, quæ ex D. Paulo attulimus? Nonne videmus in spirituali connubio aut nihil esse tale, aut esse longè alterius id est excellētioris generis. Ibi *debitum* turpe; hîc honestissimum. Ibi *tentatio*, ex natura sua propter rationem, quàm adfert Apostolus, quia continentes esse non possunt, etiāsi velint hîc si quid tale euenerit, est ab extrinseco permittente Deo, propter pugnantium, & vincentium maius meritum. Ibi *al-*

4. Ration. cōmodorū. NOTA. 1. Cor. 7.

1. 2. 3.

ligatio & seruitutis homini facta, hîc Deo creatori. Ideò ibidem clamat Apostolus: *Nolite fieri serui hominum.* Ibi *tribulatio carnis*: hîc vt explicuimus, nihil tale. Ibi *sollicitudo eorum quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori & vxor viro*: Hîc *sollicitudo, quomodo placeat Deo.* Quanta differentia? Ideò inquit Apostolus: *Volo autem vos sine sollicitudine esse*; quibus verbis ostendit hanc qua quis vult placere Deo verè sollicitudinem non esse, non enim cruciat, sed delectat: non distrahit, vt illa, sed colligit: non laborat zelotypia, sed ardet amore & Dei & proximi; velletq́; vt omnes ita Christum amarent, vt ipse amat; contrario planè modo illi priori. Ibi *non habet quis potestatem suæ voluntatis*: neq́; hîc sed longè diuersa ratione: nam ibi voluntatem suam carni propter carnem tradidit: hic Deo illam resignauit (vel quod etiam maius est homini propter Deum) vt spiritus magis magisq́; reuiuiscat. Deniq́; ibi is, cui te tradidisti nihil opis tibi ferre potest in spiritualibus: hîc omnia potest & præstat abundanter omnibus, qui se illi syncerè dedicarunt.

4\. 5. 6. 7.

5\. Ratione extrinsecorum quadruplex differētia.

Quòd si extrinseca corporalium & Spiritualium nuptiarum considerare velimus, Deus meus quot, & quantæ hic erunt differentiæ? Prouidetur in nuptiis corporalibus de cibo, potu, recreatione, ornatu, vestitu, nēpe vt sint cibi exquisiti, vina pręcipua, musica suauis, ornatus preciosus, vestis sumptuosa &

deli-

delicata. Prouidet etiã ſponſus Chriſtus Dominus de his omnibus, illis, qui cum eo ſpirituale contrahunt matrimoniũ, & multò excellentius. Tanganus generalia tantũ, vt hinc particularia colligat, qui volet. Etenim primum quidem ibi quæ prouidentur omnia corporalia ſunt: hic verò ſponſus Chriſtus Ieſus de corporalibus dat quantum ſatis eſt, cuilibet pro vocatione ſua, ſpiritualia autem abundanter tribuit, quorum ibi nihil eſt. Deinde quę ibi preparãtur in illis omnibus abuſus eſſe poteſt, imò in ipſis nuptiis; abutũtur eis plerũque homines, cibo ad gulã, vino ad ebrietatem, veſtitu ad ſuperbiam, ornatu ad concupiſcentiam, & ſimilibus ad ſimilia. In ſpiritualibus verò nuptiis talia ſunt omnia, quibus nemo abuti poteſt. Virtutes ſũt enim, quibus ſi malè vti velis, virtutes eſſe deſinunt. Hæc ſola differentia, quanta & quàm eximia ſit, norunt qui ſpiritũ, & rationem ducem ſequuntur. Preterea in illis corporalibus, defectus eſſe poteſt, vt hic defeciſſe vinum videmus: In ſpiritualibus nullo modo. Quid enim deerit ibi, vbi ipſe Deus prouiſor eſt & æconomus? Verũ deſunt aliquando (inquis) conſolationes neceſſariæ. Conſolationes neceſſariæ, nunquã equidem deerunt; aliæ quas ſpõſus Chriſtus animæ amore ſui flagrante, nonnũquam ſuperabundanter dare ſolet, has de eſſe aliquando fatendum eſt, ſed hoc ipſum vt deſint, nobis multò eſt vtilius, multò ſe-

1.

2.

3.

curius, quod si nos non agnoscimus, scit ille qui omnia nouit, quid nobis magis expediat: Ideò totos nos voluntati ipsius etiam hac in
4. parte tradere debemus. Deniq; in illis, quæ ibi preparantur, non solùm defectus accidere potest sed etiam possunt ex se esse mala: hic nihil tale est timendum. Nonne in Euangelio ex ore Architriclini audiuistis mentionem de-
8 Concione terioris vini? Sed & in alia concione explicatum habuists, quomodo id in omnibus mundi huius voluptatibus euenire soleat, & quàm fallax quàmq; malum sit vinum quod mundus propinat.

6. Ratione vini excelentiss. Sed quia vini mẽtionẽ fecimus, videamus iá quæso si placet, quomodo in vino quod Christus suis tribuit, õnia mũdano vino cõtraria reperiantur, & videamus, tũ ex illis, quas ebriosi considerant proprietatibus: tùm ex Euange-
1. lio hodierno. Primum illud Diaboli vinum,
De: 32.31. coloris est spurci, turbidum, atroflauum vt fel draconis. Christi verò est perlucidũ, candidum, & aliquantulùm rubicundum, vt sunt ipsa malogranata vnde conficitur; & sicut a-
Cant. 8. 2. qua est lucida, vnde vinum hodiernum trans-
2. formatum fuit: deinde odor illius est teterrimus & abominabilis, qualis est ipse draco. Vini autẽ spiritualis odor est suauissimus: quia aromaticus, vt sponsa testatur, quo quidam
2. Cor: 2. 15 inebriatus, vide quid de seipso dicat. *Christi bonus odor sumus*; Deo, *in iis qui salui fiunt*, & *in*
3. *iis qui pereunt*. Preterea sapor illius mundani est

est amarissimus teste Moyse: huius Christi suauissimus teste Architriclino. Quamuis, vt aliâs diximus, vinum Christi incipientibus est subacerbum; at continuantibus dulcissimum, vinum verò Diaboli contrarias habet qualitates. Deniq; si vtilitatem spectes; diaboli vinum dat mortem, & mortē æternam; Christi 4. contra tribuit vitam animæ, tum vitam gratiæ, in hac peregrinatione, tantò vberiorem quātò plus de vino hoc bibimus: tum vitam gloriæ in patria, & vitam sine fine mansuram. Hæc notasse vel perstrinxisse potius satis sit; tum quòd & in hac & in aliis concionibus dicta sint hac de re non pauca: tum vt vobis etiam ad ruminandum aliquid relinquamus. Sicut enim qui apud principes cibos incidendi munus gerunt, non adeò minute id faciūt; vt conuiuæ, & habeant quo ipsi etiā occupentur, & sapidius gustent, quod ipsi sibi ex parte aliqua prepararunt: ita concionatoris est officium, non semper cibos spirituales minutissimè dissecare, sed aliqua etiā ad meditandū & ruminandū auditoribus relinquere. Dulciora enim sunt semper propria quàm aliena inuenta.

Officiū concionatoris similitudine declaratur.

Accedamus itaq; iam ad fructus colligendos qui ex matrimonio spirituali proueniūt. Quorū multos iam notauimus. Omnes autē ad duo illa capita, reducūtur quæ Dauid vno, imò semi versiculo cōplexus est, cùm inquit: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Quicquid enim

V. PVNCT. Fruct⁹ matr. spirit. & media ad acquirendum.

Ps. 83. 12.

enim boni in hac vita habemus, gratię, & munificentiæ diuinæ acceptum referre debemus: quicquid verò in alia vita expectamus, totum id ex gloria, quam dabit Dominus electis suis, emanabit. Quorum omniũ quis alius fons, auctor & consummator est, quàm ipse Christus Iesus, quo cum per matrimonium spirituale vnus spiritus, & vna caro efficimur? Connubium igitur hoc, causa, & origo est omnium quæ habere possumus bonorũ spiritualium. Hæc etsi vniuersè loquendo ita se habeant, in particulari tamen, & ex dictis, & ex Euangelio hodierno, possumus colligere fructus aliquos eximios, ex hoc sacro matrimonio prouenientes, vt magis magisq; ad illud adamandum, & quantũ in nobis est procurandum excitemur. Duo autem hic coniungemus: vtilitates videlicet, & media peropportuna ad illas acquirendas. Rectè enim vtrumque copulatur, cùm vnum alterius sit causa. Nam sicut generoso animo & cordato, ipsi fructus & emolumenta ad opus perficiendum sunt sumi medii & incitamenti loco: ita opus, quod pro Christo, & cum Christo agimus, donũ ipsius est, & fructus huius connubii spiritualis. Reducemus autẽ hæc pęnè omnia ad dictaChristi Domini, quæ in hoc Euangelio reperiuntur, & quæ nos loco thematis in hac concione explicanda suscepimus. Itaq; primum verbum Christi est ad matrem.

In particulari.

prim' fruct' sui perfecta abnegatio.

QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER, NON-

NONDVM VENIT HORA MEA. Vnde duplicem fructum, & totidem ad eos percipiendos media carpore possumus. Prima vtilitas notatur in priori membro, in quo habemus fructum eximiũ huius sacri connubii, perfectam videlicet omnium rerum abnegationem, ita vt ipsi etiam patri & matri (inter quos & filios strictum amoris vinculum esse solet) dicat quis: QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? Quis verò numeret, & antiquos martyres, & tam antiquos quàm hucusq; viuentes religiosos, qui hæc verba parentibus dixerunt? Nec immeritò sanè. Nam quilibet tenetur eosdem parentes propter vxorem relinquere; quantò iustius propter Christũ sponsum animæ suæ? & hos & ipsam etiam vxorem & quicquid habet carissimum debet repudiare, si illum à marrimonio spirituali auocare nituntur? Hic est ergò primus fructus huius matrimonii. Cæterùm hæc ipsa verba. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER. sunt etiã efficax medium, siue ad acquirendum spirituale matrimonium, si illud per peccatum mortale perdidimus, siue ad continuandũ, si in eo stamus. Quod vel inde apparet: Si enim Adam primus pater omnium, hæc verba dixisset Euæ pomum sibi porrigenti. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? quantò nunc nos feliciores fuissemus. Verùm non solùm eo tempore sed etiam ad hanc ipsam horam omnis interitus spiritualis

Idẽ mediũ ad matri: spirituale.

 causa

causa hæc est, quia verbis istis seriò vti nolumus. Quoties enim Eua, id est siue sensualitas, siue malus honoris appetitus noster, siue socius siue alius quispiam porrigit nobis pomum vetitum delectationis, quod nos non solum verbis istis non repudiamus, sed etiam acceptamus & cum Adamo comedimus atq; ita in anima perimus? Frequentissimè equidē id nobis accidit. Itaq; euigilemus, & quotiescunq; siue parentes, siue vxor, siue caro sensusq; nostri, siue quiduis aliud, aut à fide Catholica nos volunt auocare aut ad aliquid illicitum pellicere, dicamus liberè magna cum cordis & vocis (si opus est) intensione: QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER? Nolo, non acquiesco tuis consiliis, neq; facio quod vis. Si enim id præstiterimus, fiet in nobis quod Princeps Apostolorum desiderat, quod
2 Pet. 1. 10 *non peccabimus aliquando.* Hic est matrimonii spiritualis primus & fructus, & vsus, ex verbis istis. Alter verò est in altero membro: Cùm enim inquit Christus: NONDVM VENIT HORA MEA, apertè docet se omnia ab æterno & preuisa, & preordinata habere: nēpè quid, à quo qua hora, & quibus modis fieri debet. Cuius rei consideratio & fructus est, ac consolatio spiritualium virorum maxima, & medium efficacissimum ad omnia aduersa patienter toleranda. O quàm sanctis illis patribus in Eremo habitantibus (imò omnibus aliis) meditatio prouidentiæ diuinæ, sine qua

Secundus fructus diuinæ prouidētia.

Idē mediū.

capillus

capillus capitis nostri non peribit & vsitata fuit, & efficax; tum ad omnia aduersa patienter sustinenda: tum ad vniuersas tentationes profligandas? Id verò nos hæc Christi sententia docet, vt sciamus, siue desint consolationes, quod NONDVM VENIT HORA earum siue adsint tentationes, & desolationes, istam esse horam illarum, vt *in patientia nostra possideamus animas nostras*: quemadmodũ nos ipse spõsus noster Christus Iesus docetq; monetq;, Cuius alterũ verbum iam audiamus. *Luc: 21. 18.* *Ibidem.*

IMPLETE HYDRIAS AQVA inquit: idq; historicè quidem ad Ministros, spiritualiter verò nobis quoq; & omnibus, qui illi spirituali connubio sunt iuncti loquitur; habentq; id in se grande mysterium. Etenim sunt quoq; nobis hydriæ, & hydriæ sex, & lapideæ; quas Christus Iesus iubet implere aqua. Meditentur hæc spirituales & applicent sibi prout Deus cuiq; dederit. Nos per sex vasa ista sex præcipua quę in nobis reperiũtur intelligimus nempe. Tres potentias animæ, memoriam intellectum & voluntatem; duas verò partes appetitus sensitiui, irascibilem & concupiscibilem, ac postremo sextum corpus ipsum cum suis sensibus. Hæc enim omnia propter naturam nostram corruptam, lapidea sunt in nobis ad opus bonum, & dura nimis ad diuina percipienda. Idcirco implenda sunt, nou vino precioso, non deliciis, quas desiderant; sed aqua insipida quidem, sed vtili, quia sponsus noster Iesus conuertet

Tertius fructus & vsus sex hydriæ spirituales.

eam in vinum suauissimum, prout hic in nu-
1. Hydria memoriç. ptiis fecit. Itaq; impleamus memoriam no-
Is: 38. 15. stram aqua amaritudinis, aqua inquam illa,
quam Ezechias Rex habuit quãdo dixit: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Eximia sanè & Deo placens aqua, quamuis amara.
2. Intellect°. Intellectum verò nostrum impleamus aqua submissionis. Submissio enim insipida quidem est, intellectui nostro qui adhærescere iudicio proprio multùm consueuit; attamen salubris est valde & necessaria
2. Cor: 10. 5 hæc aqua. De qua aqua Apostolus. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* Quam quia hæretici habere nolunt; ideò matrimonii spiritualis participes esse ne-
3. Voluntas. queunt. Voluntas verò impleatur aqua con-
Ps: 50. 19. tritionis, pro peccatis nostris: nam *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet*, ait Dauid, qui fuit benè in hoc negocio versatus.
4. Irascibilis Iam quod ad irascibilem attinet, hydria ista implenda est, aqua patientiæ; quæ ingrata quidem est ira æstuanti; sed tam vtilis, vt
Heb. 10. 36 dicat Apostolus. *Patientia vobis necessària est vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Promissio autem hæc noc est alia, nisi quam sponsus Christus animæ sibi matrimonio coniunctæ dare consueuit, id est seipsum. Idcirco subiungit: *Adhuc autem modicum aliquantulumq;, qui venturus est veniet, & non tar-*
5. Concupiscibilis. *dabit.* Porrò concupiscibilis nostra implenda est iis quæ illi sunt contraria nempè timore, tristitia, vindicta, & aliis fructibus pœni-

tentiæ, quæ Apoſtolus enumerat. Deniq; corpus ipſum cum omnibus ad illud pertinentibus, ſi inuiſa ſibi impleatur mortificatione, & ipſi oculi fontibus lachrymarum, quos tantopere & ſancti deſiderarunt, & ſcriptura commendat, explebitur, quod hic Christus Dominus ſponſus animarum noſtrarum ſpiritualiter præcipit dicens, IMPLETE HYDRIAS AQVA. Sequeturq; tertius huius matrimonii ſpiritualis & fructus, & ſuo modo cauſa. Fructus quidem, quia hæc vniuerſa, ex iſta ſacra coniunctione originem ducunt: cauſa verò; quia quantò quis ſe magis iſtis exercuerit, tantò vberiorem gratiam & horum omnium incrementum recipiet. Poſtremum Chriſti verbum eſt ad eoſdem Miniſtros. 2. Cor. 7. 8. 6. Corporis.

HAVRITE NVNC ET FERTE ARCHITRICLINO. Quid verò ferant? Num aquam, quam ex flumine, aut puteo hauſerant? At hoc periculi plenum eſt, ne caſtigentur vel à ſponſo, vel ab ipſo Architriclino. Periculum nullum eſt, quando iubet Chriſtus; maius foret ſi non obediretur. Eſt igitur hic quartus ſpiritualis huius cõnubii fructus excellentiſſimus ſanè. OBEDIENTIA videlicet ſancta, & obedientia cæca, ſicut eam ſuperius explicuimus. Qua tantò quis plus abundat, quantò ſtrictius hoc matrimonio conſtringitur: Et viciſſim, quantò quis magis magiſque ſeſe in tali obedientia exercuerit, tantò arctiori cum Quartus fructus & vſus eſt obedientia cæca.

ori cum Christo ligabitur vinculo spiritualis connubii Procuranda est itaq; cum ab omnibus; tum verò à religiosis, qui in tertio eoq; strictissimo matrimonii huius gradu repeniuntur. Verùm vrgebit aliquis, & petet iterum; quidnam vtiq; isti ferant Ministri? Ad quod respondemus tulisse eos.

Quintus fructus & vsus vinū Euangelicum.

AQVAM VINVM FACTAM. Id enim gustasse Architriclinum testatur Euangelista. Quibus in verbis quintam preparationem, & quintum huius matrimonii effectum considerare possumus, imò plures in vno, sed nos in solo vino omnes cōprehendamus. Quod quidem vinum, preter illas qualitates, quas paulò ante recensuimus, habet & alias, quas hoc vinum Euangelicum nobis insinuat. Est enim ex aqua factum, in sex hydriis, quas iam exposuimus: nunc verò addimus, quia quicunq; hydrias suas illis aquis quas recensuimus impleuit, conuertet piissimus Christus Iesus, omnia illa in vinum excellentissimum. Hoc n. facit quotidie. Sciunt qui gustauerunt, atque vtinam omnes gustent, quàm sint dulces etiā ipsæ contritionis (alias amarissimæ) lachrymæ, propter consolationem quam tribuit Christus, quando aquam in vinum cōuertit. Et idē dicendū est de aliis, quæ ibi habuimus Deinde vinum hoc non fit, nisi desinente alio vino: Ita si vis de vino isto spirituali gustare, vinum terrenarum consolationum effundas ex corde tuo necesse est. quod quātò exactius fe-

Quod habet 7. proprietates Fit enim.

1. Ex aqua.

2. Deficiente altero vino.

us feceris, tantò in vino Christi maiorem gustum senties. Præterea vinũ hoc fit post in tercessionem Deiparæ virginis: implorandum igitur nobis erit eius auxiliũ. Qua de re quia satis multa diximus in alia concione, hic satis est insinuasse. Insuper. Non solum post intercessionem, sed etiam post perseuerantem patientiam virginis gloriosæ fit hoc vinum. Audistis enim illam nihil cõmotam fuisse verbis filii paulò quasi asperiobus: sed monendo ministro fecisse quod in se erat: Ita & nos etiamsi desint consolationes, etiamsi tentati, & afflicti simus; nil tamen cõmoueamur, neque animo cõcidamus: verùm & sustineamus patienter, & quod nostri est officii præstemus diligenter; aderitq; sponsus noster Christus Iesus, quãdo ei cõmodum videbitur. Item vinum istud fit in Cana; id est, in zelo. Est enĩ etiam zelus sanctorum, est zelus qui se effundit in vtilitatem proximorum. Quo vino zeloso ebrii erant Apostoli in Actis Apostolorum, quando Iudæi putabant illos alio vino maduisse. Præterea vinum hoc fit apud pauperes. Tales enim respicit Deus, vt ipse testatur dicens: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, &c.* Deniq; vinũ hoc datur ad gustandum primum Architriclino. Pulchra & in via spirituali necessaria conditio: Docemur etenim vt orationes nostras, deuotiones, consolationes, mortificationes, & id genus alia, demus prius ad degustandum superiori eiusq; sequa-

3. Ad intercessionem B. V. *Concio. 3.*
4. Post perseuerãtiam.
5. In zelo sancto.
6. Apud pauperes. *Act. 2. 13. Is. 66. 2.*
7. Datur gustãdum superiori.

ſequamur iudicium, ne errèmus. Iſti ſunt matrimonii ſpiritualis fructus & media excellentiſſima. Plura tu inuenies, ſi diligenter iſta meditatus fueris.

CONCLVSIO. habens originem matrim. ſpiritualis.
NOTA.

Verum in calce concionis libet contemplari, quod ſupra inſinuatum tantum fuit, nempè vndenam hoc matrimonium ſpirîtuale originem ſuam duxerit, & quanti Chriſto Domino conſtiterit. Res equidē magni eſt momenti, & conſideratione digniſſima; ſed breuitas temporis abbreuiare cogit ſermonem. Dico igitur vno verbo, procedere hoc ex illo alio connubio, quod in vtero virginis confectum fuit. Conſtat autem tanti, quanti magis conſtare non potuit. Sanguine etenim ſuo diuino, paſſione dura & dira, morteq; infami Chriſtus Ieſus ſponſus vnicus illud comparauit. Nam duos Adamos fuiſſe, veterem videlicet legis diuinæ præuaricatorem, & *nouiſsimū* ſalutis noſtrę recuperatorem nouimus ex ſcriptura, Et ex eâdem ſcimus, ſponſam ſibi formaſſe vtrumq; quamuis diſpari ratione. Vetus enim Adam non ipſe eam ſibi parauit, ſed tantùm coſtam tanquam materiam adminiſtrauit, vnde Eua à Deo ædificata fuit teſte ſcriptura. At verò nouus Adam, ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto ſpōſam ſibi fecit, & perfecit. Quibus autem modis id actum fuerit, contēplare obſecro ô anima fidelis, vide quomodo vetus Adam antequam ſpōſa eius formaretur, placidè in viridi requieuit herba: at nouus

1. Cor. 15. 45.
Gen. 2. 21

nouus Adam Christus Iesus, cum summis doloribus in arido pendet ligno. Ille inscius quid fieri debeat, suauiter dormit: hic sciens & volens, tantis in angustiis positus fuit, vt exclamaret: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me;* vt te inquam ô anima Christiana matrimonio sibi copulare posset. Ac proinde ex illius latere, sed dormientis; ex huius verò itidem latere, sed mortui, sponsa Ecclesia (cuius tu membrum es) formatur. Formatur autem sic, vt quod residuum habuerit Christus Dominus circa cor sanguinis, illud crudeli lancea aperto laterè extrahi sibi pateretur, cui & aquam miraculosam addidit, vt te aqua à peccatis ablueret, & sanguine suo potaret, atque ita sponsam sibi formaret *non habentem maculam aut rugam.* O quantus meditationis cãpus, ô quàm admirabile exemplnm? O quam validum ad gratiarum actionem & amorẽ in nobis excitandum incitamentum. Hæc igitur diu noctuq; cogita, & recogita, volue, reuolue, in mente tua ô anima fidelis, vt grata pro tanto beneficio esse possis, vt memor dispensationis tuę per fidem omnem perfidiam & blasphemiam, quam impii tàm contra sponsum tuum Iesum, quàm contra matrem eius Mariam euomunt, detesteris: vt quæ tum in baptismo: tum spontaneè, & liberę, (si votis te propter sponsi amorem constrinxisti) spopondisti; ei fideliter reddas: vt siue te mulcet consolationibus, non extollaris, siue arguit

Mat: 27. 46.

Eph: 5. 27.

Exhortationem.

Et summã cõcionis.

guit tribulationibus, non turberis, sed cum Virgine matre, patienter & alacriter tuũ munus obeas: vt perfectum tui, tuorumq; etiam parentum, etiam vxoris, etiã cuiusuis alterius abnegationem propter illũ facias; vt hydrias tuas aqua lachrymarum & amaritudinis implere studeas: quam Christus Iesus in optimum vinum conuertet; vt hoc ipsum vinum, cum dictis conditionibus pro mundi vino eligas, eoque delecteris: vt iudicium tuum captiues in obsequium Christi, & illorum quos Christus loco sui tibi in mundo reliquit. Denique hæc meditare, hæc contemplare, vt desponsationem illam factam in charitate, non solùm retineas, sed etiam & in te augeas, & in aliis quantùm potes procures: vt inquam vinculo illo sanctissimo dilectionis, quod omnia alia sanctificat, quàm strictissimè illi coniungaris constringarisq; & illis quos recensuimus & aliis modis. Quod si verò via Domini aspera tibi ab initio esse videtur, mundi autẽ, & carnis dulcis: considera, tum consolationes, quæ in illa in ipsa etiam amaritudine dãtur, tum pænas & tormenta, quæ in hac circa finem sentiuntur, & alia sine fine duratura expectantur; & ne sis stultus ac insipiens. Quis

Simile.

enim stultum non reputaret illum, qui relicto hospitio, quod habuit apud amicum suũ optimum, qui in principio quidem illum errorum arguebat, & paulò asperius tractabat, postea verò in dies singulos meliora illi appo

nebat

nebat & fercula, & verba; hoc inquam relicto. illius amplecteretur consortiõ, ui prima quidem die lautè eum tractaret; at postmodùm & peiora quotidie apponeret, & flagra multiplicaret, & tormenta incredibilia appararet? Nemo sanè est qui talem (si quis reperietur) insanum planè non reputaret. Nemo igitur sit qui eum imitari velit; sed potius quilibet nostrum memor quod in baptismo promisit, abdicatis mundi, carnis, & Sathanæ illecebris, ardentissima charitate adhæreat sponso suo Christo Iesu, vt illius omnium perfectissimi connubii, quod expectamus in cælis, vbi nec vinum deficere poterit vnquam, nec charitas cessare, fiat particeps, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum.

AMEN.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matth 8.

IN illo tempore. Cum descendisset IESVS de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes

me mun-

me mundare. Et extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens: Volo. mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod praecepit Moyses, in testimonium illis. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alii, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: Ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

PARTITIO.

DVo miracula, quae in hoc Euangelio describuntur, totidem dant nobis illius partes. In prima leprosus mundatur à Christo Domino, & mundatus mittitur ad Sacerdotem illis verbis: *Vade, ostende te Sacerdoti.* In secunda curatur paralyticus ad intercessionem Centurionis heri sui gentilis. Cuius fides ita Christo Domino placuit; vt comminando Iudaeis dixerit. *Dico autem-*

autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Hæc Euangelista: nos verò circa illa nostras conciones hac ratione ordinabimus. Timorem incutient hæc verba vltima Christi Domini, satis, vt apparet, terribilia. Fidem confirmabunt Catholicam, illa alia: *Vade, ostende te Sacerdoti.* Spem eriget leprosi mundatio: Charitatem denique excitabit, tum paralytici sanatio, tum pedissequa charitatis humilitas, cuius in toto Euangelio eximia sane exempla & documenta conspiciuntur.

CONCIO PRIMA.
Timor.

REPROBATIO IVDÆORVM, ET ALIORVM.

Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abrahã, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor gentium.

QVicquid Deus optimus maximus, naturæ indidit humanæ, id ipse quoque obseruare consueuit; ablata tamen omni quę hac in parte reperitur imperfectione. Inter alia autem infinita. id quoq; naturæ nostræ insculptum est, vt si aliquem in libertate constitutum in nostram sententiam pertrahere conamur, duplici id modo, & via faciamus; aut amore videlicet, aut timore. Ad amorem

Dei & hominum natura in duplici suadendi modo.

promiſſa, pollicitationes variæ, ſermo affabilis, animi iucunda declaratio, obſequia, inſtructiones etiam, & cohortationes; maximè verò omnium beneficiorum exhibitio pertinent: in quibus ita inſtructi eſſe ſolent, qui hac via procedunt; vt non raró in aſſentationes, adulationes, vitiorum approbationes, imò & patrationes in gratiam illius, quem ſuum eſſe volunt, erumpant. Ad timorem veò ſpectāt, periculorum demonſtrationes, minitationes, increpationes, correctiones quoque & afflictationes, in quibus tamē ſæpe ita exceditur: vt non ſolùm hæc contra ius & æquitatem fiant: verumetiam mille inueniantur artes ad affligendum pauperem; vt quod volens recuſat, inuitus faciat. Eâdem omninò duplici ratione ſe gerit creator cum ſua creatura, detractis (vt dixi) omnibus quę vitioſa ſunt. Quod qui ſcripturam legit facile per omnes eius libros, imò nonnunquam paginas animaduertet. Nam voluit Deus primos noſtros parentes ſibi vt par eſt eſſe obedientes. Quid facit? Dotat, ditatq; eos donis infinitis cùm naturalibus; tū verò gratuitis: collocat in optimo loco, in ipſo *paradiſo voluptatis*: tradit omnia in manus eorum, vt ipſius amorem ſum̄um erga ſe agnoſcant: addit tamen præceptū & minas intentat, vt ſi ex tentatione ab amore deflectere inciperent, timore in officio continerentur. Idem obſeruat Deus cum Cain filio eorum, quem vt frugi faceret, iam benignè

Exempla.

Gen: 2: 8.

Ibidē v. 16

Gen: 4. 6.

gnè alloquitur, hortatur, libertatem arbitrii ob oculos eius ponit: mox verò pænis etiam terret. Hoc ipsum Christũ Iesum verum Deum & hominem facere in Euangelio hodierno nimis in propatulo est. Duplici namq; & miraculo, & beneficio, duplicem gentem, in quam tum temporis totus diuidebatur orbis, per summum amorem suæ adoptare conatur voluntati. Addit nihilominus contra ingratos minas in dicto illo, quod in principio à nobis propositum audiuistis: quod quam sit terribile non omnes fortè, vt oportet, considerant.

Quare vt nos nostro satis faciamus officio: In hac concione; primùm quidem hanc Christi Domini comminationem explicabimus. Deinde, quonam modo in Iudæis expleta fuerit ostendemus, causásque huius rei inuestigabimus: postea, quanam ratione etiã nunc locum habeat, demonstrabimus. Ad extremùm, remedia adferemus. Concede benignissime Iesu, vt ita hæc & consideremus, & cordi habeamus, vt in regno tuo cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo recumbere, teq; cum illis in æternum laudare valeamus. PROPOS: quadripartita.

Inter multa aduentus Messiæ signa, quæ Deus misericors per Prophetas suos primùm populo Iudaico; postmodùm etiam omnibus nobis dedit, reliquitq; illud haud in postremis censeri debet, quod iam oculis conspicimus nostris; nempe per aduentum veri I. PARS. Signum aduentus Messię esse reprobationẽ Iudeorum ostenditur.

Messiæ gentem quidem Iudæorum, quæ illũ repudiauit, à Deo quoq; repudiandam, Gentiles verò in eorum locum sufficiendos esse. Quod quidem tam frequens est apud prophetas sacros, quàm quod frequentissimum. Prædicit hoc manifestè in suo cantico magnus illorum Moyses Dei nomine terrens & minitans Iudæis ac dicens. *Et ego prouocabo eos, in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Quem locum citans Apostolus copiosè hoc argumentũ prosequitur, & hoc ipsum, quod proposuimus, ex scriptura probat: ideò non est, quod nos multis hac in parte occupemus sed est cur id ipsum in Christo Domino videamus. Is enim si vllo alio, hoc certè argumẽto & signo ad conuincendos Iudæos, vsus est, sæpissime. Hoc docet verbis, hoc testimoniis scripturæ comprobat, hoc variis adumbrat parabolis, de patrefamilias locante vineam suam agricolis: de rege faciente nuptias filio suo, & reiiciente illos, qui se excusabant; deq; aliis, quæ nostis; hoc deniq; ipsis demonstrat exemplis, & miraculis, in quibus quoties beneficium contulit alicui gentili personæ; toties in ea excellentior pro Iudæis fides enituit, sicut apparet tum in illa Cananæa, seu Syrophoenissa muliere: tum in hoc nostro, quẽ præ manibus habemus, Centurione. Nam tam illam, quàm istum non ex Iudæis, sed ex gentibus fuisse, & vtrumq; admirabilẽ fidem, ac humilitatem habuisse, constat ex Euangelistis.

1. Ex Moyse. *Deu: 32.21.*

2. Ex Apostolo. *Rom: 10.19 & 11. cap.*

3. Ex Christo

Mat: 21.33. Luc: 14.16

Mat: 15.22

Mat: 7.26.

listis. In hodierno verò Euangelio pręcessit curatio leprosi, qui Iudœus erat; vt scias vtramq; quidem gentem, id est, & Iudæorum, & gentilium per Christum sanitatem obtinere: Sed tamen pręcessisse Iudæos, vt impleatur, quod Christus Samaritanæ dixit; quia *Salus ex Iudæis est.* Iudæi enim primò crediderunt, vt Maria mater Iesu, vt Ioañes Baptista cum parentibus, vt Simeon cũ Anna, vt Apostoli, vt alii, non omnes tamen. Ex parte enim tantùm Israel saluatus fuit; vt & res ipsa, & Apostolus testantur. *Ioan:4.22.* *Rom:11.25*

Succedit, sanato siue mundato Iudæo, puer Centurionis, qui sicut ipsius herus, gentilis quoque erat: Ideoq; hic paralyticus, ille verò leprosus fuisse perhibetur, & leprosus non per totum corpus; sed ex parte (qua de re in sequentè concione disseremus) vt mysterium agnoscas, & mysterium triplex, aut quadruplex. Primum notatur in diuersitate horum morborum; Puer enim centurionis toto corpore algebat, leprosus in parte tantùm, æger erat: ille moriturus decumbebat, hic tamen obambulabat. Mysteriũ hoc est, Iudæi enim veram Dei agnitionẽ habebant; gentiles verò toti in Idololatria sua obriguerant: illi obambulabãt, (leprosi tamen & à Christo si illũ recipere voluissent mundãdi erant) isti prostrati planè, non morituri, sed mortui omninò iacebant. Hinc alterum consequitur, quod leprosus ipse pro se, vt sanetur, rogat: at pro

Inter Iudæos & gẽtiles differentia quadruplex.

1.

2.

gentili puero herus ipsius Centurio, & pro
3. Centurione Iudæi deprecantur. Est & aliud: Iudæum enim Christus ipse præsens, imò tangens, à lepra mundat: seruũ verò Centurionis absens solo verbo transmisso, sanat. Christus enim Iesus ipse per se Iudæis Euangelisauit, verbum autem suum gentilibus per Apostolos transmisit; quo tam hi, quàm illi sanati saluatiq; fuerunt, quicunq; illud recipere voluerunt.
4. Denique fides centurionis fidei non solùm leprosi, sed etiam aliorum Iudæos incredulos, grauem comminationem & prophetiam protulerit, qua prędicit illos quidem repudiandos, gentiles verò tum ecclesiæ adscribendos, tum cælo inferendos esse. Quam quidẽ cõminationem Christi iam audiamus. Inquit enim.

Thema explicatur.

DICO AVTEM VOBIS. Conuertitq; sermonem suum ad sequentes se (hoc enim paulò ante testatur Euangelista) id est, tum ad discipulos suos, vt sciant, quomodo se hac in parte inposterũ gerere debeant: tum ad alios Iudæos, vt videant quo sint in periculo ne eueniat illis quod sequitur, nempe.

Multi cõuertẽtur etiam nunc.

QVOD MVLTI, Multi inquit, quia non omnes omni tempore gentiles conuersi sunt, sed multi singulis temporibus, & multi nimis; prout nunc etiam conuertuntur plurimi, neque tamen hucusq; finis. Nouæ enim prouinciæ gentilium in singulos penè annos aperiuntur, quæ Euangelium recipiunt, quam diu

autem

autem id durabit, ipse nouit, qui scit omnia. Hic tamen illud est animaduertendum, quòd & si in themate, proposito precipuè sit sermo tum de vita, tum de interitu æterno; quod textus ipse demonstrat: in quo Abrahami recumbentis in regno cælorum, & tenebrarum exteriorũ fit mentio, quæ omnia æterna sunt; notatur tamen nihilominus etiam conuersio gentium ad fidem Christi, sine qua nemo regnum illud obtinebit vnquam. Idcirco nos quoq; de vtroq; agemus. Ait itaq; Christus quod multi.

Duplex sal' & interitus.

AB ORIENTE, ET OCCIDENTE VENIENT. Per quas duas precipuas, & remotissimus plagas, totum intelligit orbem terrarum, vnde gentiles primùm ad Ecclesiam confluent; postmodùm verò ad regnum cæleste emigrabunt. Ita enim inter alios, de hoc prophetauit Isaias dicens: *Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da: Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Quod explicans ait. *Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus.* Cur Dauid cõcinit *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* Hæc de gentibus. De Iudæis verò (quos alienos vocat, quia se à vero Messia alienarunt) subiungit idem Dauid dicens: *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt & claudicauerunr à semitis suis.* In quibus verbis tres infidelitatis eorum fontes aperit:

Gentilium cõuersio ꝓbatur.

1. Ex Isaia. *Isa: 43. 6.*

2. Ex Dauide *Ps: 17. 45.*

Reprobatio Iudæorum.

Causa triplex.

aperit: videlicet mendacium, inueteratam malitiam, seu habitum in peccatis; & claudicationem. De qua etiam olim ab Elia arguebantur, cùm inquit: *Vsquequo claudicatis in duas partes?* Et hæc est etiam nunc omniũ malorum origo: de quo sub finem concionis aliquid dicemus: nunc reliqua Christi dicta cõsideremus, & ponderemus. Ait ergò, quòd non solùm venient, sed

3. Reg: 18. 21.

Quies & epulum cæleste qualia.

ET RECVMBENT tum ad quiescendũ: tum ad epulandum. Ita enim ipse Christus ad discipulos. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum: vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Et Ioannes *Beati* inquit, *qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt.* Quod tamen epulum non carnaliter intelligendũ est, vt illud Turcæ, & Iudæi intelligũt; sed spiritualiter pro omni, quæ excogitari potest, imô quam etiam cogitatione apprehendere nequimus, spirituali delectatione. Quamuis post resurrectionem corporũ non defuturã corporibus glorificatis hanc quoq; aut huic similem, quam nunc ex cibo & potu haurimus delectationem, volunt quidam ex nostris scholasticis: ablata tamen omni quæ hic reperitur imperfectione, labore, & molestia, quam in comedendo, & bibendo habemus. Verùm de hoc aliâs: nunc cæpta prosequamur, & videamus, quibus cum recumbẽt isti gentiles. Respondet Saluator, quòd.

Luc: 22: 29.

Apo: 19. 9.

Abraahmi &

CVM ABRAHAM, ET ISAAC ET IACOB

COB: Mirum Christi artificium, & sapientia. Non alios, sed hos tres nominauit. Primò, quia his tribus promissio ista facta fuit: prioribus quidē duobus illis verbis: *Et benedicētur in semine tuo, omnes gētes terræ.* Iacobo verò illis. *Bñdicētur in te, & in te, & in semine tuo cūctæ tribus terræ.* Secūdò, vt contūderet superbiā Iudęorum; qui de tribus istis & maximè, & sæpissimè gloriabtāur. Ideò hoc ipsum quòd Christus; exprobrabat etiam illis Ioannes Baptista inquiens: *Et ne cæperitis dicere, patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* Per lapides saxea, & indurata in Idololatria gentiliū corda intelligens. Tertiò, nominauit hos tres Christus Dominus, vt demonstraret illos nō solùm Iudæorum, sed etiam gentilium patres esse, imò excellentiori modo horum, quam illorum. Gentilium enim erunt patres spirituales: Iudæorum verò carnales. Quatùm ergò corpori anima præeminet; tantùm ista paternitas, illam superat; tantopere equidem, vt D. Paulus iudicauerit illam carnalem, huius respectu, ne nomine quidem paternitatis dignam esse: sic enim ait: *Cognoscite ergò quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ:* ac si diceret hi, non illi, qui de carne eius gloriātur sunt eius filii. Postremò, hos tres nominat, vt summā miseriam Iudęorum ipsismet ob oculos ponat, si fortè resipiscere & conuerti vellent. Quæ enī maior calamitas excogitari potest, quàm de quo gloriaris, eius consortio priuari in æter-

cæterorum Christus meminit.
1. Quia id illis pmissum fuit.
Gen: 22.18
Gen: 26.4.
Gen: 28.14
2. Vt Iudęorum supbiam cont underet.
Luc: 3.8.
3. Quia hi tres Patres sunt omniū
Gal: 3.7.
4. Vt miseriā Iudaorū ostendat.

num. Hoc verò futurum verissimè ipsa veritas prædicit eis dicens: quòd

In Regno Cælorum vbi omnia sunt æterna, omnia sine mensura; ibi gentiles cum Abrahamo sedebunt.

Filij Regni Iudæi.

Filii Autem Regni Eiicientur, Id est Iudæi: Nam per filios regni Iudæos intelligit: Ipsi enim ad regnum cælorum destinati erant. Est autem Hæbraismus sicut n. David à Saule vocatur *filius mortis*; quia ad mortem fuit ab eo destinatus; ita hîc Iudei dicuntur *filii regni*, quia ad regnum cælorum preordinati erant. Quod explicās Apostolus inquit: *Israelitæ quorum adoptio est filiorū & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Nihilominus his non obstantibus dicit Christus, quod eiiciētur è regno. Quo verò eiiciētur?

1. Reg: 20. 31.

Rom: 9. 4.

Cur tenebras eis minatur.

In Tenebras Exteriores, respondet Saluator. Quare? quia interioribus pleni erant, per has enim, ad illas fit trāsitus; & internæ siue infidelitatis, siue impietatis tenebræ, externarum sunt causa. Quapropter cùm Iudei luce repudiata diuina tenebras adamarint infidelitatis impietatisq; iusto Dei iudicio de tenebris ad tenebras translati sunt: de tenebris inquam intimis ad tenebras Exteriores, vt hic testatur Christus. Per exteriores verò extimas, id est, summas, omnisq; generis intelligit: quales in inferno erunt, de quo hic est mentio. Non solùm autem tenebræ, sed etiam.

IBI ERIT FLETVS. Pro risu, quem hic exercuerunt. Nam vt ſcitis tum aliâs: tum verò eo quo Christus Ieſus in cruce pendebat tempore, ſuauiter ridebant Iudęi *mouentes capita ſua* & blaſphemantes; dignum igitur fuit, eritq; in æternum vt amarè in poſterum fleant; omneſq; cum illis, qui imitantur illos. Neq; verò fletus tantùm, verùm etiam. Cur fletum Ma: 27.39

ET STRIDOR DENTIVM, ibidem inuenietur. Meritò ſanè: Nam ſi illud, quod in actis legimus: *Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis & ſtridebant dentibus, in eum* in Stephanum videlicet, ſi inquam Iudæi fremebant in ſeruum, quid putatis feciſſe illos Domino? Si ſtridebant dentibus contra Stephanum miſſum à Ieſu, quantùm arbitramini ſtridebant cõtra ipſum Ieſum, propter quem Stephanum perſequebantur? In quo ergò hic delectationem ſuam collocabant, illud deguſtabunt in æternum. Deguſtabunt autẽ ſine guſtu & voluptate; ſed non ſine amaritudine & tormentis grauiſſimis. O iuſta Dei iudicia. O miranda ac diu noctuq; reuoluenda conſilia eius. Neque enim ſolis id eueniet Iudæis: tangit enim nos quoque hæc comminatio, & quidem multò magis quàm ipſos Iudæos, de quo paulò poſt, nunc porrò explicato themate, reliqua, quæ propoſuimus, videamus. Cur ſtridorem. Act: 7.54

Diximus verbis iſtis Christi Domini repudiationem Iudæorum denotari, reprobationemq; duplicem, tum temporaneam à vera fide: tum II. PARS Duplex reprobatio Iudæorum.

de: tum æternam à conſpectu veri Dei; illam tenebræ internæ cum plagis temporaneis; hãc exteriores cum tormentis conſequentur æternis. Qua de re loqui copioſius offeret ſeſe, vt arbitror, aliquando occaſio. De temporanea quidem, cùm alibi, tum verò quando excidium Hieroſolymitanũ deflebit miſericors Ie-

Lu: 19. 41 ſus: De æterna vix exempla alia in nouo teſta-

Æternę duo exempla. mento habemus præter illa duo de diuite epulone, & de Iuda proditore. De epulone

Luc. 16. 1. Epulonis. quidem quamuis ignoremus; an habuerit tenebras infidelitatis (probabile eſt autem illũ habuiſſe; vix enim vnquam tales recipiunt Euangelium) non ignoramus tamen illum non caruiſſe tenebris impietatis, & immiſericordiæ; quibus obrutus egeno & afflicto Lazaro opem ferre récuſauit. Qua etiam de cauſa, vt Chriſtus teſtatur, *Sepultus eſt in inferno*: vbi quanta ſuſtinuerit totmeuta, & adhuc ſuſtineat, ſuſtinebitq; in æternum, verba illa ipſius

Lu: 16. 24. ad Abrahamum teſtantur, cum inquit: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Neq; tamen id obtinuit, ſed neq; aliud quicquam ex iis quæ petiit aliud; vt ſcias nihil ibi impetratũ iri vnquam. Hic ergò dum viuis ora, & vt orationes tuæ exaudiãtur, per bona opera effice.

2. Iudæ proditoris. De Iuda verò conſtat illum infidelem fuiſſe, & non ſolùm Chriſtum Meſſiam repudiaſſe; ſed etiã illis ipſis, quibus hic cominatur Chriſtus,

ſtus Iudæis eum vendidiſſe. De Iudæ verò, pœna habemus in Actis Apoſtolorum, quod *abiit in locum ſuum.* Locum ſanè terribilem, cru delem, miſeriis tormentisq́; pleniſſimũ: quod conſiderans Saluator noſter erumpit in illa verba: *Væ homini illi: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Quantam putatis illam eſſe calamitatem, & miſeriam, cuius reſpectu ipſo Chriſto teſte bonum eſſe reputatur; nec eſſe, nec fuiſſe vnquam? Cùm tamẽ ex natura ſua quod nõ eſt, bonum eſſe nequeat. O vtinam id omnes pro dignitate conſideremus. Iudam autem traditorem in eundem, quo ipſe præceſſit locũ, ſequuti ſũt õnes Iudæi, & qui tunc blaſphemarũt & qui nũc nõ recipiunt Chriſtũ Dñum. Nõ ñ. iã amplius quisquã illorũ defertur in ſinum Abrahæ, id eſt, ad infernum ſuperius, vbi limbus erat (iam verò ceſſauit) quo Lazarus olim ab Angelis delatus fuit: ſed quilibet illorum præcipitatur cum Iuda in infernum inferius; vnde liberari ſe Dauid petiit. Et hoc eſt, quod illis ipſa veritas Chriſtus Ieſus verbis iſtis prædicit, & re ipſa quotidie pręſtat.

Act: 1. 25. *Ma: 26. 24.* Idẽ eueniet alijs Iudæis. *Act: 16.* *Pſ: 85. 13.*

Quod ſi cauſa tantorũ malorum, quæ Iudęos & iam ex parte inuaſerũt, & peiora maioraq́; ab iis expectantur, inueſtigaueris; reſpondebit tibi Chriſtus dicens: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael*; quantam videlicet inueneratin Centurione gentili. Et ſtatim ſubiungit, quam audiſtis ſententiam:

Cauſa horũ aſsignatur. *Mat: 8. 10.*

DICO

DICO AVTEM VOBIS, &c. Quod explicans, & hoc ipsum tractans argumnetum
Ro. 11.19. Apostolus disserit pulchrè & clarè, cũ inquit: *fracti sunt rami*, id est, repudiati sunt Iudæi; & vt hic Christus asserit, destinati sunt ad tene-
Mat: 8.12. bras exteriores, *vbi erit fletus, & stridor dentium*, Quid causæ? Respondet Apostolus, & ait.
Incredulitas *Bene; propter incredulitatem fracti sunt*: Itaque incredulitas seu infidelitas Iudæorum causa fuit, & est reprobationis illorum. Increduli-
Ioã: 3.18. tatis verò quæ est causa & oratio? Hanc assignat ipse Saluator noster Christus Iesus, in illa, quam cum Nicodemo doctore Iudæorum
Huius verò causa opera sunt mala. doctam, & profundam habuit disputationẽ: assignat autem eam his verbis: *Hoc est autem iudicium.* (id est hæc est causa condemnationis Iudæorum, Iudicium enim pro condemnatione in scriptura sæpe sumitur) *quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Lucem se ipsum, ac fidem, quæ est in illum vòcat Christus: tenebras verò incredulitatem Iudæorum, qui illum non receperunt. Cuius quidem infidelitatis vide qualem, & quàm expressam adferat causam, dicens: *Erant enim eorum mala opera.* Ecce totius mali, & condemnationis origo, mala videlicet opera. Quibus quia Iudæi abundabant, ideò ad lucem venire recusarunt: ideò Christum non receperunt; ideò in incredulitate perseuerarunt. Non omnes tamen: nam non omnium erant opera mala: propterea qui pii

fuerunt,

fuerunt, fidem Christi receperunt, & saluati sunt.

Ceterum de gentilibus quid dicemus? Nunquid gentilium mala opera nō fuerunt? Fuerunt sanè. Ideò D. Augustinus hæc considerans admirabundus inquit: [Fratres mei quorum opera bona inuenit Dominus? Nullorum: Omnia enim opera mala inuenit] sed & Apostolus testatur, quòd *conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Cur ergò, Iudæi reprobati; gentiles contra in eorum locū suffecti fuerunt? Habes responsum apud eundem Apostolum, qui statim post ea, quæ retulimus verba, exclamat dicens: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Habes & apud psalmistam, quem paulò ante citauimus. Habes & in Augustino; Cuius ratio eò reducitur, illos videlicet qui dilexerunt tenebras, cōfiteriq; peccata sua noluerunt, in cæcitatate remansisse (quales magna ex parte fuerunt Iudæi) qui verò confessi sunt peccata sua. illi luci appropinquarūt, & ab ea illuminati sunt: quorum pleriq; erant gentiles. Habes & in hodierno Euāgelio ipsius Christi, qui post quam asseruit se non inuenisse tantam fidem in Israel, quantam reperit in hoc gentili Centurione, effectum quasi huius causæ assignat, eam, de qua disserimus vocationem gentilium, & reprobationē Iudæorum. Fidem autem non nudam hic Chri-

Obiectio de gentilibus soluitur.

Aug: Trat 12. in Ioan: sub finem.

Ro: 11. 32.

1. Ex Apostolo.

Psal: 17. 46

2. Ex Dauide.

3. Ex Augustino.

4. Ex Euangelio.

ſtus Dominus intelligit, ſed cum ſpe, dilectione, humilitate, & aliis virtutibus coniūctā: quæ ſicut in hoc Centurione prę Iudæis eminebant, ita ſunt eximiæ, ad lumen diuinum recipiendum diſpoſitiones. Credebat enim Centurio hic, potuiſſe Chriſtū etiam abſentē ſanare famulum ſuum; quod non credebat il-
Ioan:4.49 le, qui dicebat *deſcende priuſquam moriatur filius meus*. Quem Iudæum fuiſſe clarum eſt, ex illis Chriſti ad ipſum prolatis verbis: *Niſi ſigna, &*
1.Cor:1.22 *prodigia videritis, non creditis.* Nam & Apoſtolus teſtatur, quòd *Iudæi ſigna petunt*: & Chriſtus Dominus non ſemel Iudæos hoc nomine arguit. Fiduciam propterea habebat Centurio, ſe certò gratiam hanc obtenturum; ideoq; & diligebat eum, à quo talia ſperabat, & reuerebatur eum, & humiliabat ſe illi plurimùm. At in Iudæis contrariū planè accidit, qui non ſolùm non reuerebantur, nec amabant tantū
Act.10.38 benefactorem ſuum qui totam Iudæam *pertranſiuit beneſaciendo*: verùm etiam perſequebantur, & tandem pro tantis beneficiis innocentem occiderunt, & cruci affixerunt Ieſum. Meritò igitur ab eo reiecti, & repudiati fuerunt: meritò hæc quæ tractamus verba audire debuerunt.

III. PARS. Quod Chriſtianis eadē cōpetat cōminatio.

In quibus quidem verbis, illud quoq; inter alia notari velim; quòd ii, qui reprobantur; qui Abrahami, Iſaaci, Iacobi, piorum patrum ſuorum conſortio in æternū priuantur, quibus tenebræ exteriores, cum aliis tormentis permit-

permittuntur, ii inquam nihilominus FILII REGNI nuncupabuntur; quia ad regnũ cælorum capessendũ vocati erant; idem omninò tibi euenturũ ò Christiane: si Iudæos potius, siue in incredulitate, siue in impietate quàm maiores tuos in sanctitate, imitare volueris, certò persuadeas, & perhorrescas. At inquis, id ego non timeo, cùm certus sim gentem Christianam nunquam à Deo reprobatum iri, sicut gens Iudæorum repudiata fuit. Respondeo. Tantò peius, & deplorandũ magis, quòd non pertimescis, quod timere te, & valde pethorrescere Apostolus monet: qui eo, quo nos (contrario planè tuo) argumentandi vtitur modo: Sic enim tibi similẽ; imò teipsum alloquitur Paulus: *Noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturabilibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Imò per comparationem oliuæ, & oleastri lõge iustiori ratione eadem tibi contingẽt quæ Iudæis acciderunt. Time ergò etiam atq; etiã te oro, & obsecro, ne in æternũ perdas & vocationem, & animã tuã. Quòd si scire cupis causã, tũ salutis tum interitus tui, audi Apostolum exactè eam describentem, suamq; ad te admonitionem cõtinuantem: ait enim: *Vide ergò bonitatem, & seueritatem Dei, in eos, quidem, qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei.* Ne autem in misericordia Dei inordinatè confidens securus dormias, vide quam conditionẽ, quamue comminationem subiungat dicens: *Si permanseris*

Imo magis teste Apost.

Rom. 11. 20

Causę assignantur.

manseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Audisne Christiane, quòd tu quoque excideris? Cur autem, & quando excideris? Quando non permanseris in bonitate. Duæ igitur sunt causæ salutis nostræ: prima & præcipua bonitas, & misericordia Dei: altera perseuerantia nostra in bonitate. Interitus verò & excidii à regno cælorum sola causa est, non perseuerare in bonitate. O vtinam hæc nobis semper ante oculos mentis obuersentur, & sanctū in nobis timorem ad pœnitentiam excitent.

Obiectio soluitur. Nam quod ad illud argumentum de non reprobandis Christianis attinet: & ego certa fide credo, neq; legem, neq; gentem Christianam ad consumationem sæculi cessaturam vnquam. Sed quid mihi fides hæc proderit, si ego condemnabor? Quid tibi hinc emolumenti quæso, si omnes nationes frumento abundant, quando gens nostra indigens est? Dicam plus; quid prodest etiam si Polonia tota abundet, tua autē familia indigeat? Dicam adhuc plus, quid prodest quantumuis omnes tuæ familiæ homines superflua victus habeant, si tu fame enecaris? Nihil equidem: imò ex abundantia aliorum, maius tormentum non habenti crescere videtur. Idem ad spiritualia, & salutem animæ tuæ applica. Verissimum, & certissimum est non solum gentem Christianam verè Catholicam, sed etiam viros pios nunquam defuturos; at certū non est, nationem aliquam reprobatum non iri; imo

Per simile notandū.

imo contrarium est euidens. Multas videlicet nationes, linguas, populos olim Catholicissimos & sanctissimos, nunc infidelitati & impietati deditos, & à Deo reprobatos esse. Illud enim priuilegium, quod olim vni genti, & nationi Iudæorũ collatum à Deo fuit, nunc à Christo toti terrarum orbi concessum est. Time igitur ò gens, & natio quæcunq; tandẽ es, ne & tu repudieris. Deniq; etiamsi omnes gentis tuæ homines saluarẽtur, quid tibi proderit, si tu condemnaberis? Condemnaberis autem certo certius, si in fide Catholica, & bonitate non perseueraueris. Euigilate ergò peccatores, & redite ad cor, & ad pænitentiã. Audite, & ponderate quid Christus Dominus dicat in prolata sententia. Quod enim dixit Iudæis, idem & vobis, nisi seriò resipueritis, omninò eueniet. Eiiciemini etenim vos quoq; in tenebras exteriores, qui nunc abundatis tenebris interioribus, siue infidelitatis, siue impietatis, siue vtrisq;. — Exhortatio.

Et Notate rogo quomodo Christus dominus in dicta sententia varia, quæ in inferno erunt pænarum genera, ad certa reduxit capita: Genera inquam infernalium pœnarum perstrinxit: Nam tormenta particularia, quæ damnati sustinebunt, quis non dico enumerare, sed vel mente & cogitatione consequi poterit? Nemo profectò: sunt enim *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus iis, qui diligunt eũ,* teste — Thema resumitur & pænæ ad capita reducuntur. — *Isa: 64. 4.* *1. Cor: 2.9.*

teste propheta, & Apostolo: ita nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus tormenta, & pænas iis, qui non diligunt eum, mandata eius transgrediuntur. Capita autem pœnarum, quæ hic à Christo tanguntur, sunt ista. Primum, notatur in verbo EIICIENTVR. Magnum sanè malum, & multa in se complectens. Eiicietur enim non solùm de regno cælorum non solùm à consortio Abrahami, & omnium sanctorum: sed etiam à visione omnipotentis Dei, à conspectu Trinitatis adorandæ, quæ est vera & perfecta beatitudo nostra. Eiicietur impius, ne videat faciem Dei, & priuabitur omnibus, quæ nec propheta nec Apostolus recensere nobis potuerũt voluptatibus, ac deliciis. O ingens calamitas, quam etiamsi impii parui, vel nihili æstimẽt, est tamen omnium maxima, vt sancti determinant, & res ipsa loquitur. Quid enim æquè miserum, quàm priuari fine, ad quem conditus & redemptus fuisti? Fine autem suo priuabuntur omnes, qui à conspectu eiiciuntur Dei. Et hæ sunt pænæ, quas Theologi nostri vocãt, pœnas damni. Tantum equidem damnum vt cum illo omnîa totius mundi damna, etiam simul collecta, ne comparari quidem possint. Vtinam illa sano mentis oculo intueri velint, qui in peccatis immersi iacent, & ex iis resurgere satagant. Verùm quia homines, qui sensui, carni, amori & iudicio

1. Genus pœnæ damni.

Quam grande sit hoc malum.

dicio proprio in ordinato; indeq; luxuriei, voluptatibus, superbiæ, iracundiæ, aliisq; vitiis dediti sunt, magis, mouentur illis, quæ hisce sunt contraria, & quæ sensus, æstimationem, honoresq; lædunt; idcirco Christus Dominus hæc copiosius multò; quàm priora prosecutus est, non vnum, sed aliquot eorum capita recensens.

Secundum itaq; sit, quòd designatur per TENEBRAS EXTERIORES, ad quas per tenebras interiores (siue vt illas Augustinus vocat exteras) esse progressum iam diximus: Vnæ enim tænebræ, aliarum maiorum & grauiorum solent esse causæ. Hoc vt plurimũ ordine Tenebræ peccatorum, & impietatum si diutius continuantur, generant tenebras incredulitatis, & perfidiæ. Testatur id sapiens, cùm de parte illarum inquit: quòd *vinũ & mulieres apostatare faciunt sapientes*. An non manifestũ est id in Luthero, & omnibus eius asseclis? Faxit Deus, vt & ipsi id videre, & emendare velint: vtræq; verò hæ tenebræ sunt causa malitiæ, & tenebrarum illarum, quas scriptura excæcationem vocat: *Excæcauit enim illos malitia eorum* ait sapiens. Omnes verò istæ tenebræ causant has, de quibus ex ore Christi audis *tenebras exteriores*, ac infernales; quę duo complectuntur præcipuè priuationem nempè luminis: & consortium, imò crudele dominium & tyrannidem cacodæmonum, qui sunt principes, & potestates tenebrarum harum.

2. Genus Tenebræ variæ. *In Psal: 6.*

Catena cars.

Eccl: 19.

Sap: 2. 21.

Quid in se contineat.

Eph: 6. 12.

Ignis, an lucebit in inferno. rum. Quamuis enim ignis ibi ſit futurus, isque copioſius, & vrens nimis: tamen idem

Baſſ: in Pſ: 28. ille ignis, aut non lucebit, vt ait D. Baſilius: aut lucebit quidem aliquantulùm, ſed non niſi ad maiorem damnatorum pœnam, vt ſocios ſcelerum ſuorum agnoſcãt, & ab iis affli-

Greg: lib: 9. Mor:: in 10. cap: Iob. gantur, vt vult D. Gregorius magnus. Dæmones verò quas non inferent illis & torturas, & ignominias? Et meritò quidem; qui enim per ſuperbiam ſuam ſubeſſe noluerunt Deo optimo maximo, digni ſunt, vt tradantur in perpetuam ſeruitutem Diabolo, peſſimo, abiectiſſimo, qui illos infinitis in æternum afficiet ignominiis, ſupliciiſq́; , & acerrimis onerabit tormentis.

§. Genus pœnę ſenſuũ. Tertium afflictionum caput tangitur à Chriſto verbis illis: IBI ERIT FLETVS: Contin etq́; tormentorum genera, quæ corpus, ſenſuſq́; affligant, infinita ſanè; & quæ nunc ne mens quidem humana cogitatione aſſequi poteſt. Iuſto enim iudicio Dei, qui in hac vita; delitiis, voluptatibus, lætitiis, & riſibus abundabant: atq; in dies ſingulos, ſpurciora quæq́;, noua, & inaudita, quibus ſe contra Deum oblectarent, inueniebant oblectamenta in illa vita (vel morte potiùs) inaudita quoq́; corporis & ſenſuum ſuorum tormenta ſuſtinebunt. Quæ omnia hîc per fletum notantur: ſicut enim omnium carnalium voluptatum, finis eſt riſus, ac lætitia: ita omnia his contraria per fletum, qui tri-

ſtitiam

ſtitiam conſequi ſolet, hic à Chriſto optime exprimuntur. Quamuis verò dum anima eſt ſine corpore in inferno, fletum methaphoricè nos intelligere, ac pro triſtitia angoreq; animi ſumere oporteat; tamen poſtquam infelix anima infeliciſſimo coniungetur corpori nihil obeſt, quin verum fletum ibi ad futurum ſentiamus, eumq; crudeliſſimum, & fortè igneum. Certum eſt enim maiora ibi ad futura tormēta, quàm nos capere poſſumus: nec eſt improbabile corpora illa ex oculis quoq; ignem (quo plena ſunt) ad inſtar aquę fluidę cum ſummis doloribus emiſſuros.

Quartum tormentorum caput notatur à Chriſto Domino in STRIDORE DENTIVM. Quem verum & non parabolicum post reſuſcitationem corporum futurum, credunt plerique; Doctorū, propter verba Chriſti apud hunc ſolùm Euangeliſtam, quinquies repetita. Verùm diſcrepant de cauſa, vnde hîc ſtridor prouenturus ſit. Nam alii putant euenturum id ex nimio frigore: frigus enim futurum in inferno colligunt ex illo Iob: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, & vſq; ad inferos peccatum illius.* Vnde duplicem ponunt gehennam, frigoris, & caloris; & vtramq; acerbiſſimam; quia in ſummo erit vtrumq;. Alii hunc ſtridorem dentium ex ira, indignatione, & rabie proceſſurum arbitrantur: Puto vtrumq; verùm eſſe, & plura etiam iſthic futura quam nos cogitare poſſumus:

4. Genus ſtridor dentiū. *Hier: in Iob & in Mat; cap: 10. Iob 24. 19.*

Ex frigore.

Ex rabie.

ufa vtri. usque. Idq; meritò. Sicut enim dum essent in hoc mundo, variis, & sæpè contrariis vitiis delectati sunt: ita dignum est, vt in illo, non modo: diuersis sed etiam contrariis pœnarum generibus affligantur, in æternum, propterea sicut dum hîc viuerent, stridebant dentibus ex ira, & odio in seruos Christi, qui illos exhortationibus, concionibus, & aliis modis à peccatis abstrahere conati sunt: ita post resurrectionem stridebunt iisdem dentibus: tum contra eosdem, & ipsum Deum: tum contra seipsos, ac dæmones infernales, ex ira, & odio, in illa vita, vel morte potius æterna.

III. PARS. Remedia & cõsideratio-nes.

Quare hæc considera ô anima Christiana, dum tempus habes, & cogita seriò, & reuolue cum fide certa, quòd & hæc omnia, & multò plura tibi euenient, nisi pro peccatis pœnitentiam egeris. Nam si princeps Apostolorum inquit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes*: Quanto magis nos dicere possumus: Habetis o sepulti in peccatis non iam prophetarum; sed ipsius Dei, qui mittebat prophetas, Christi Iesu, firmissimum, & verissimum ex ore ipsius prolatum sermonem; quod vos hæc omnia maneant tormenta, nisi à peccatis cessaueritis, & de patratis dolueritis? *Benefacietis* itaq;, non Deo, sed vobis: non cuiuis alteri, sed vobismetipsis, qui ita, & tantopere vos diligitis, vt hoc nomine, Deum offendere non

2. Pet. 1. 19.

1. Dictorũ.

non vereamini: *benefacietis* in quam, *his attendentes*, ea noctu diuq; ruminantes, ac inde timorem sanctum in vobis excitantes, & ad Deum vestrum syncerè per pœnitentiam & dignos fructus pœnitentiæ reuertentes. Et hoc sit primum remedium quo ea quæ recensuimus, & multò plura, quæ recensere non possumus mala, ac tormenta effugere valebitis. Quam ad rem iuuabit vos multùm; si diligenter ea, quæ hîc ex ore auditis altissimi, antitheta & contra positiones perpendatis. Testatur enim Christus, quòd illic, quo tu properas, erit summa inquietudo; in eo verò, quem per peccata tua perdis locum, erit diuersissima quies; quia RECVMBENT inquit Saluator: ibi erit consortium, imò tyrannis dæmonum pessimorum, vt alibi idem Saluator asserit: hîc erat societas Abrahami, Isaaci, Iacobi, & omnium sanctorum, vt hîc audis. Ibi erit infernus dæmonum; hîc regnum cælorum: ibi tenebræ exteriores densissimæ: hîc lux splendidissima ac continua. *Nox enim non erit illic* ait propheta noui testamenti Ioannes. Ibi erit fletus ait Saluator, & causa fletus torměta innumerabilia: hîc omni modalætitia, & delitiæ innumerabiles, vt tota scriptura clamat. Ibi deniq; stridor dentium cum rabie, odio, blasphemiis: hîc contraria omnia ex amore, & delectatione ineffabili procedentia. Hæc igitur considerate, ô peccatores, & si voluptates istæ carnales, mo-

2. Antitethorū Christi.

Mat. 25. 14

Apoc: 21. 25.

dicæ,

dicæ, turpes, mixtæq; doloribus, si lux & pulchritudo, si quies & bona corporis constitutio, si chara societas, si lætitia, si alia eiusdem generis, vobis à Deo placent, vt propter hæc quæuis etiam cum labore præstetis: placeant obsecro illa, tam excellentia, placida, delectabilia; vt ea, quæ hîc habentur, cum illis ne comparari quidem possint; displiceant verò omnia his contraria, quæ tantoperè versamini, quæ tamen vos nisi resipiscatis, certissimò manent.

3. Reprobatinis nationũ. Neq: verò vos ea seducat cogitatio, quæ seducit plurimos; quòd hæc Iudæis à Christo dicta, & prædicta fuerint; quòd vos Christiani sitis; quòd fidem, quæ sola iustificat habeatis; quòd lex Christi mansura sit vsq; ad consummationem sæculi; quòd vos repudium pati non possitis: hæc enim hisq; similia aut deliria hæreticorum, aut ineptiæ stultorum, aut sunt arundinea sustentacula impiorum: Considerate obsecro, quot non modo personæ priuatæ, verum etiam integræ omninò gentes, nationes, populique, dati sint, nõ solũ in reprobũ sensũ, vt credãt mẽdatio, qui veritati credere noluerũt: (2. Thess. 2. 11.) Sed etiam in seruitutem temporalem Turcarum, Tartarorum, & aliorum crudelissimorũ Tyrannorum; qui suaue iugum Christi Domini sustinere detrectarunt. Ex vobis met-ipsis, vel ex Græcis, quos fratres vocatis vestros, o Rutheni, siue Rusi, mei exemplum (4. Seruitutis tyrannicæ multorũ.)

capite,

capite, quomodo gens illa olim doctissima, sanctissima, liberrima, imò imperans aliis, iusto Dei iudicio percussa & inuoluta sit tenebris interioribus ignorantiæ: quomodo sit ab illis vera vitæ sanctimonia, quæ non nisi in Catholica Ecclesia esse potest: quomodo dati sũt denique in seruitutem durissimam, & dantur in annos penè singulos: prout in regno Cypri olim florentissimo nostra ætate vidimus. Quod verò his & aliis infinitis nationibus (vt Armenis, Persis, imò & Scythis, & Arabibus, quæ omnes olim erant fidei Catholicæ) euenit: idem & nobis licet nunc fideles simus, eueniet; nisi fontes impietatis in nobis obstruxerimus. Per gradus enim, ab impietate & mala Catholicorũ vita, in hæreses & Schismata delabuntur incauti. Verùm quicquid sit vniuersim de qualibet gente. vnus quisq; seipsum consideret sigillatim; neque sibi de nomine Christiani, vel etiam Catholici multùm applaudet, si impius est; neq; Iudæos pro consolatione, sibi in memoriam reducat, vt liberius peccet. Iniqua enim est, & impia (quia contra scripturam) & stulta hæc cogitatio: cùm contrarium potius concludere, indeque te à fortiori (quod dicitur) ad maiorem timorem excitare deberes: hac videlicet ratione: Si non pepercit Christus Dominus suis, quos peculiariter elegerat, ex quorum sanguine corpus & sanguinem assumere, nasciq; voluit; quantò minus mihi parcet?

5. Periculi proprii.

parcet? Hæc eſt Spiritus S. vt paulo ante ex
Rom: 11. 6. D. Paulo vidimus, argumentatio. Maior
Maioris Chriſtianorum condemnationis. enim vos manet reprobatio, & cõdemnatio, ſi fideles non erimus; vel ſi fidei bona opera non adiunxerimus; quæ in vaſiteos, quibus hic Chriſtus minatur, Iudæos, tum quòd
Cauſæ. oleaſter, non oliua ſimus: (vt D. Pauli vtar
Iſa: 10. 22. verbis) tum quòd promiſſa talia non habe-
Rom. 9. 27. mus, qualia olim hubuerunt Iudæi & habent hucusq;, quòd reliquiæ eorum ſaluæ futuræ ſint: tum quòd non tam clarè vocemur filii regni, vt hîc vocantur Iudæi à Chriſto. Si ergò filiis id contigit, quid euenit alienigenis & ſeruis? tum verò quia maior in Chriſtianis ingratitudo: quò verò hæc maior, eò & condemnatio, ac pæna grauior & vehementior certò ſubſequetur.

Deniq; fontes impietatis claudendi. Hæc igitur obſecro conſideremus, nec falſam ſecuritatem (propter illas, quas recenſuimus ineptas argutias) ſed timorem ſanctum in nobis excitantes, laudamus fontes, ex quibus reprobatio, & omnia mala ſcaturiunt & deriuantur. Iis enim occluſis, pænas quoq; quæ illos conſectantur effugiemus. Fontes autem ſunt, tum iam ex Chriſto, Dauide, & Apoſtoſtolo recenſiti: tum ab aliis notati. Perſtringamus eos breuiter. Primus eſt Apo-
1. Superbia. ſtoli: *Altum ſapere*, id eſt ſuperbia. Nam vt in-
Ro: 11. 20. quit ſapiens *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.*
Eccl. 10. 15 *Ioã: 5. 44.* Ex qua illæ inanes & inutiles imò nociuæ no-
2. Incredulitas. mine Chriſtiano conceptæ proueniunt complacen-

placentiæ, quem fontem intèritus Iudæorum assignat Christus sic eos alloquens: *Quomodo vos potestìs credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Quibus in verbis asignatum & illum fontem videmus, quem in hoc Euangelio Christus Iudæis exprobrat, nempe defectum fidei. Tertius est, ex Dauide: Mendacium ipsum, vitium olim Iudæis, nunc & ipsis, iisdem & hæreticis, & omnibus impiis valde familiare. De Iudeis constat ex illo Christi dicto: *Ero vobis similis mendax:* Mendaces igitur erant Iudæi. De Hæreticis clarum est ex D. Petro, qui eos non solùm mendaces; sed etiam *Magistros mendaces*, vocat: quod nos non oculis & auribus tantum verum etiam ipsis vt ita dicam, manibus, in hæreticis nostri temporis palpamus. De impiis non est quod probetur, cùm & ipsi, & res ipsa, id testentur. Quartus fons est: Inueteratum. habituatum & sepultum esse in quouis mortali peccato; vt in rapinis, odiis, luxuriis, voluptatibus, aliisq; scelerum generibus. Quod obiiciens pharisæis Saluator inquit: *Intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate,* vel quemadmodum alter Euangelista ait: *Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.* Neque hoc siuè in hæreticis, siue in malis Catholicis indiget demõstratione, cùm nimis sit in propatulo, quàm ægrè ad Dominum conuertantur qui eiusmodi vitiis sese implicarũt. Quintus

Ps. 17. 49.
3. Mendacium.
Ioã. 8. 55.
2. Pet 2. 1.
4. Habitus mali.
Mat. 23. 28
Luc. 11. 39

5. Claudicatio spiritualis. Psa:17.45. tus est, claudicatio eodem Dauide teste: Fons equidem pessimus, & in Iudæis olim, & nũc tum in quibusdam Catholicis, tum in hæreticis, tùm verò in pseudopoliticis, qui in hoc vitio planè fundati, & radicati esse videntur. Omnibus enim sese accomodare volunt, omnium mores, siue bonos, siue peruersos, in se induere conantur. Et cum Christus dicat: Mat:6.24: *Non potestis duobus dominis seruire:* illi etiam pluribus placere satagunt; cùm tamen propter suam hypocrisim vix vlli placeant. Addamus sextum & vltimum fontem, ex propheta noui testamenti D. Ioanne, qui peculiarem causam assignat translationis veræ religionis ad gentem aliam. Est autem fons iste defectus charitatis, de quo Ioannes (vel Christus potius per illum) ad Angelum; id est, Episcopum Ephesi, sic loquitur: *Habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Itaq, relinquere primum charitatem, causa est vt moueatur candelabrum (cum lucerna fidei) de loco suo, ad locum, & gentem alienam. Isti igitur sunt inter alios, fontes horum, quæ duce Christo recensuimus, & aliorum, quæ assequi non possumus malorum, ac pænarum, quos claudamus & obstruamus obsecro quã diligentissimè. Obturabimus autem illos, si hæc duo, triaue tũ ab Apo-

[Margin notes: 6. Defectus charitatis. — Apoc: 2.4. — Quõdo claudendi fontes isti.]

ab Apostolo, tum à Christo data remedia obseruauerimus. Etenim cõtra illum principalem fontem, dat D. Paulus statim remedium dicens: *Noli altum sapere, sed time*. Et hoc ipsum in istis, quæ èxplicamus verbis præstat Christus dominus. Contra hoc ipsum verò, & cætera omnia iam iam audistis duplex remedium, pœnitentiam (quàm bis inculcat) videlicet, & prima, id est, bona, & sancta opera facere. Habeamus ergò timorem Dei, recurramus toto animo ad pœnitentiam, & relictis impiis, & sceleratis, pia & sancta opera faciamus. Ita enim non solùm pænas & tormenta omnia effugiemus; verùm etiam visionem beatam, Patris & Filii & Spiritus S. in æternum acquiremus; præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. AMEN. *Ro: 11. 20.*

CONCIO SECVNDA Fides.

Vade, ostende te Sacerdoti.

QVòd Christus Dominus noster verbis istis leprosum à se mundatum, & curatũ miserit ad Sacerdotem, non adeò mirum videri debet: cùm propter vetus testamentum, in quo id strictè præcipieba- **Quid mirãdum in curatione lepræ.**

tur: tum verò propter cõsuetudinem, & humilitatem ipsius Christi Domini, qui omnia illius legis (quamuis obligatus ad id non esset) diligentissimè obseruat; præsertim verò ea, quæ sacerdotes concernebant: ne illis vel minimam offensionis daret occasionem. Verumenimuerò non absque causa demirabitur quispiam, qui factum sit Deũ optimũ maximum, morbi huius tantũ in veteri testamento curam gessisse, quantùm nullius alterius videtur habuisse. Etenim per Moysen præcepit Deus, vt vbinam esset lepra, summo studio inuestigaretur, vt leprosi de ciuitate expellerentur, vt aliis etiam pœnis grauioribus afficerentur; deniq; vt sanati cum sacrificiis, purificationibus, & cæremoniis multis reciperentur. Quorsum hæc omnia? Nunquid ideò, quia morbus iste contagiosus erat? Sed sunt etiam alii æquè, imò multo magis exitiosi: multò enim periculosius inficit pestilentia, quam lepra. Legimus Dauidis tempore non pleno triduo *septuaginta millia virorũ* pestilentia consumpta esse: Angelus enim Domini, quem tum temporis vidit Dauid non gladio (vt pingitur) sed pestilentia interficiebat populum, eâdem scriptura teste, cum inquit: *Immisitq; Dominus pestilentiam in Israel.* Quid tale vnquã de lepra audiuimus? Taceo alios morbos, qui & fætidiores sunt, quàm lepra; & statim interimunt; quod non facit lepra. Nihilominus de nullo morbi genere fuit

Leu. 13. & 14. cap.

2. Reg. 24. 15.

fuit tantoperè Deus sollicitus, sicut de lepra. Qua de causa rogo? Dicant nobis hæretici, qui omnia nosse se iactitant; & ita dicunt, vt quæ de lepra in figura loquitur Moyses, rei significatæ omnia particulatim conueniunt. Quod si illi facere nolunt nec possunt, nos Christo Iesu iuuante faciamus.

Itaque in pręsenti concione: Primū quidē breuiter, & summatim perstringemus, quæ de lepra per Moysen dicta, constitutaq; sunt à Deo. Deinde quidnam illi in nouo testamento respondeat inuestigabimus. Postremò, quomodo hinc quoque vera in terris Christi Ecclesia cognosci possit, euidenter, digito quasi extenso, demonstrabimus. Tu Christe Iesu effice, vt mysteria tua diuina & intellectu percipiamus, & firma viuaq; fide credamus. Prop. tripartita.

Ea est non paucorum opinio, antiquos Iudæorum magistros, seu Rabbinos, de lepra corporali dignoscenda, corrigenda, mundanda, multa & ingentia volumina conscribere fuisse solitos; sicut nunc à nostris doctoribus casus (quos vocāt) conscientiæ conscribuntur, & enodantur. Verum quicquid sit de Rabbinis, illud certò nobis constat, Moysen non proprio iudicio, sed iubente, & quasi dictante Deo, in descriptione morbi huius duo integra, & bene longa capita tertii libri sui cōsumpsisse. In quibus quidnam sit lepra, vbi reperiatur, & alia quam plurima adeò minutatim prosequitur, vt mirum profectò sit le- I. PARS. Lepra ex veteri testamē to describitur. *Leuit: 13. & 14. capi*

ctu, dictuq;. Nos vt breuitati studeamus, ad hæc capita omnia reducemus, videbimusq;, 1. Quidnã fuerit hoc morbi genus. 2. Quàm varium, seu quottuplex. 3. Quibusnam in rebus reperiebatur. 4. A quo cognoscebatur & diiudicabatur, tum lepra, tũ leprosus ipse. 5. Quanta cum diligentia id fieri debuit. 6. Quomodo inuenta lepra puniebatur (vt ita dicam) & castigabatur. 7. Quibus cum ceremoniis, & oblationibus à lepra mundatus recipiebatur, atq; ad aliorum consortium admittebatur.

1. Quid sit. Cap: 13. 2. Lepra itaq; breuiter verbis ipsius scripturæ sic describi potest. *Est pustula (aut quasi lucens quidpiam) in cute & carne orta, crescens, pilosq; in album mutans colorem, & ipsum locũ lepræ*

2. Quottuplex. Ver: 12. *humiliorem cute, & carne altera, faciens.* Est autẽ lepra duplex; immunda, & munda. Hanc autem ita describit per Moysem Deus: *Sin autẽ effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes: quicquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eum sacerdos,*

3. Vbi reperiebatur. Ve.. 29. Ver. 47. Ver. 59. Cap: 14. 33 *& teneri lepra mundißima iudicabit.* Reperiebatur autem lepra primum quidem in *hominibus siue viris, siue mulieribus.* deinde *in veste lanea siue linea, in stamine, atque subtegmine, aut pelle; vel quicquid ex pelle confectum est.* in *omni supellecti-*

4. A quo dignoscebatur. Cap: 13. 2. *li*: ac deniq; *in ædibus domibusq;.* Dignoscebatur autem tam lepra in domibus, & aliis; quàm leprosus; ab *Aaron, vel quolibet filiorum*

5. Quam diligenter- *eius,* & à *Sacerdote.* Qui magnam debebat adhibere

hibere diligentiam in iudicio ferendo lepra ne
eſſet an ſecus: ideò in re dubia iubebatur dif-
ferre iudicium ad ſeptem dies, & iterum ad
alios ſeptem dies, clauſa interim, ſiue domo,
ſiue perſona, de qua iudicium dari debuit.
Pæna verò lepræ mundæ nulla omnino erat. Ver: 5.
Ita enim inquit Deus poſt illam, quam recen- 6. Quomodo caſtigabatur.
ſuimus mundiſſimæ lepræ deſcriptionē: *Con-*
ſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima Ver. 13.
iudicabit, eò quòd omnis in candorem verſa ſit, &
idcirco homo mundus erit. De altera autem ſta-
tim ſubiungens inquit: *Quando verò caro viuēs* Ver. 14.
in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur, &
inter immundos reputabitur. Pænum autem, quā
leproſus incurrebat, ſic deſcribit: *Quicunque* Ver. 44.
ergò maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad ar-
bitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput
nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordi-
dum ſe clamabit. Omni tempore quo leproſus eſt & Ver. 52.
immundus ſolus habitabit extra caſtra: His igitur Cap: 14. 45
pænis afficiebantur homines leproſi. Supel-
lex verò omnis, prȩſertim pellicea lepra infe-
cta, *comburebatur flammis.* Ædes autem & do- 7. Quomodo mundabatur.
mus, quando poſt diligentem curam immū-
dæ reperiebantur, *ſtatim diſſoluebantur, & lapi-*
des earum, ac ligna, atq; vniuerſus puluis proiicie-
batur extra oppidum, in locum immundum. Deni-
que quod ad receptionem illius, qui à lepra
curatus fuit, attinet, hæc quibuſnam cum ſa-
crificiis, aſperſionibus, ac ceremoniis (miran-
dis ſanè) fiebat copioſè à Moyſe deſcribitur,

quæ suo loco aliquando excutienda, & declaranda à nobis erunt.

II. PARS. Lepram p̄significasse aliq̄d ꝓbatur. Videamus iam num tam exacta, & copiosa veteris Testamenti de lepra institutio & ordinatio, aliquid in noua lege faciendum præsignauerit, & quidnam sit illud, Nam nihil designasse impossibile est omninò, tum propter scripturam contrarium suadentem: tum propter admiranda valde, & quasi rationi contraria, quæ hic à Deo constituūtur. Scriptura est aperta. Expressis enim verbis, Apostolus de Patribus antiqui testamenti loquēs ait: quòd *omnia in figura contingebant eis.* Et alibi inquit: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum &c.* Ac proinde D. Paulus & in istis locis, & in omnibus suis epistolis minima etiam quæque, quæ in lege veteri reperiuntur, nouo testamento applicat; ita vt & duos filios, duasq; vxores Abrahæ, & montem Sinai, mysterio non caruisse asserat; illudq; explicat. Quatò magis hæc tanta, & talia, quæ de lepra conscripta, & præcepta fuerunt, quidpiam necessario gerendum in Ecclesia Christi præfigurabunt? Stupenda em̄ sunt profectò. Nam quod sibi vult quæso, quod duplicem lepram ponat, & eam, quæ totum corpus occupat, mundam, imò mundissimam vocat; ac idcirco talem consortio aliorum nō priuat: aliam verò eiicit, cùm contrarium ratio ipsa docere videatur? Quis enim non rideret, aut ex Magistratu, aut ex medicis aliquē, qui

Ex scriptura.

1. Cor. 10. 11.

Heb. 10. 1.

1. 2. 3.

Gal: 4. 22

Ex mirādis & rationi quasi cōtrarijs.

B

A simili.

qui ſtatueret, vt is quidē, qui vnum, aut alterum peſtiferum apoſtema haberet, ab aliis hominibus separaretur. ne eos inficeret: qui verò à planta pedis ad verticem vſq; capitis carbunculis quos vocant, obſitus eſſet, vt talis pro mundo haberetur, liberq́; dimitteretur? Quis inquam ordinationem eiuſmodi rationi contrariam eſſe non clamaret? Nihilominus tale quid de lepra ordinatum hic à Deo videmus. Cur quæſo? Deinde, lepram quæ fuit in veſtibus, in ſupellectili, propter quam hæc omnia comburebantur, quis non miretur? 2.
Sed & illud, quod talia Sacerdos conſiderare, & diiudicare debebat, ſtupendum planè eſt. Ad medicos enim corporales, vel Chyrurgos id pertinere videbatur potius, quàm ad eos, qui altari ſeruiebant. Similiter tantam diligentiam, & cunctationem, quæ hac in parte fieri præcipiebatur, carere myſterio quis credat? ſicut & illud, quod iubebatur vt quilibet leproſus ſeipſum accuſaret, & ad diiudicandū ſacerdoti deferret. Nam quod de domo dicitur: *Ibit cuius eſt domus nuncians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſè in domo mea*: id de aliis quoq; intelligendū venit. Preterea admirandum eſt valdè, quod ipſe Deus, qui præcepit dicens: *Cor inopis ne afflixeris*, hoc in facto, homini graui morbo afflicto, adiungat non vnam, ſed plures etiam pænas; quæ non tantùm cor, ſed etiam corpus eius affligunt. Iubet enim capite nudato, & diſsitis veſtibus

(margin: 3. 4. 5. *Leu: 14.35* *Eccl: 4. 2.* 6.)

ambulare, atq; ciuitatibus exulare, insuper clamare se contaminatum & sordidum esse. Quæ omnia, & corpus, & cor, animumq; non
7. poterant graui non afficere molestia. Ad extremum mirandæ sunt valde tot, & tales ceremoniæ quæ ad emundationem leprosi adhibebantur.

Caluini hac de re. Cal: lib: 3. institut c.4 ser: 41 1. Mendaciū

Dicant itaq; nobis aduersarii nostri, num ea, quæ recensuimus, quorum quædā, etiam ipsi sunt quodammodo rationi, & scripturæ contraria, aliquid significent gerendum in Ecclesia Christi, vel non? Respondet Caluinus vnus ex antesignanis eorum, & dicit tria. Primùm, profert per interrogationem his verbis: [Quæro obiter si hic locus spiritualis lepræ eos iudices facit, cur naturalis & carnalis lepræ cognitionē ad se trahunt?] Ecce tibi primum mendaciū, & crassum sanè. Quis enim in Canonibus, siue conciliorum, siue Sumōrum Pontificum legit vnquam, vt carnalis lepra à sacerdotibus diiudicetur? Sequitur alterum mendacium, quod sic expressit: [Ad hæc importuna est ipsorum allegoria, quæ legem merè politicā inter ceremonias reponit.] Quanta hominis impudentia, & vesania, legē ceremonialem esse negare; quæ tot ceremoniis (de quibus paulò post) expediebatur. Vt interim taceam, quod si lex ista merè politica fuit, cur similis in simili, imò longè maiori periculo, pestis videlicet, & huic similibus morbis, lex lata non erat? Tertiò Caluinus ait:

2. Mēdaciū

Et inepta responsio.

Nunc

[Nunc respondeo. Translato Sacerdotio, necesse est legis translationem fieri. Omnia sacerdotia ad Christum translata sunt, in eo impleta & finita, ad eum igitur vnum ius omne & honor sacerdotii trãslatus est.] Ita omninò, quis negauerit? neq; id nos quærimus, sed an aliquid lepra pręsignauerit? Tu verò quid cõtra nos verbis istis? Imò verò multa pro nobis. Primum quidem quia nos quoq; asserimus, omnia veteris legis sacerdotia finita, & omnem eorum honorem in Christum translatum esse. Deinde [eum vnum, ius omne] à patre accepisse, & abrogandi antiqua, & cõstituendi noua. Ac proinde tertiò dicimus illud Apostoli: *Trãslato Sacerdotio necessè est, vt & legis translatio fiat*: valde esse pro nobis, cõtra vos: sicut enim *legis translatio* per Christum facta est, legis inquam antiquæ in legem nouam, veteris testamenti in nouum: ita per eundem Iesum translatio Sacerdotii perfecta est. Ipse enim summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec (de quo copiosè ibi Apostolus disserit) fecit, & ordinauit alios sacerdotes noui testamenti, prout illi melius placuit: per quos ipse explet suum Sacerdotium, secundùm ordinem Melchisedec, & explebit vsq; in consumationem sæculi. Quod si hæretici non intelligunt, vel intelligere nolunt, quid ad nos? quinimo etiam hoc ipsum est pro nobis: quod enim idem Apostolus dixit suis Iudæis de eodem Melchisedeci my-

Marginalia: Hebr:7.12. — Quæ nobis fauet poti⁹. — 1. — 2. — Heb:7.12. — 3 — Vbi scriptura à Caluino allata retorquetur. — 4. — Heb. 5.11.

sterio: *De quo nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*: idem nos quoq; dicimus nostris hæreticis. Interpretari hoc mysterium grande vobis non possumus, quia incredulitas & perfidia vestra imbecilles vos reddidit & ad
5. audiendum, & ad intelligendum. Deniq; ex iisdem verbis concludimus, quod *translato Sacerdotio* veteris legis per Christum in Sacerdotes nouæ legis, hæc quoq; inter alia translatio facta est: & quemadmodum Sacerdotes antiquæ legis ius habebant diiudicandi inter naturalem & carnalem lepram, vel non lepram: Ita Sacerdotes nouæ legis habent ius à Christo datum, non solùm iudicandi lepram, non quidem corporalem (vt mentitur Caluinus) sed spiritualem, id est peccata; sed etiam vel soluendi, vel retinendi ea.

Figura lepræ applicatur nouo testamento.

Quare cùm Hæretici corticem istum figurarum veteris legis frangere non potuerint, vt nucleum noui gustent Testamenti: nos qui in Ecclesia Catholica sumus, id faciamus: quod ita Christo iuuante præstabimus, vt & propositæ difficultates enucleentur omnes, & figuratum figuræ ad amussim respondeat: ita tamen, vt excellentiora hic omnia appareant: Id enim natura rei figuratæ requirit. Itaq; vt vno verbo dicam, quod fuit lepra in veteri testamẽto, hoc est peccatum mortale in nouo.

Lepra peccatũ significat pręsertim hæreses.

Et omne quidem peccatum, etiam occultum per lepram designatur; præcipuè tamen publicum.

blicũ, quodq́; habet annexam excõmunicationem; maximè autem omnium hæresis, vt bene notat D. Augustinus, & alii Doctores, (imò quæuis infidelitas) qui multas ad id comprobandum adferunt rationes: quibus ad aliud tempus dilatis, eas tantùm perstringamus, quæ se nobis & in historia Euangelii hodierni & in figura offerũt. Prima igitur sit, quia vt inquit noster Euangelista, hoc miraculum factum est. *Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eũ turbæ multæ, & ecce leprosus, &c.* Datq́; rationem D. Ambrosius cùm ait: quòd turba [non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia] id est diuina mysteria altiora non capit, non penetrat; multò minus autem ascẽdit ad sublimia peccator; minimè vèrò omnium hæreticus. Om̃es enim humi repunt, licet ore suo mundati, alta resonent, & de spirituali cognitione glorientur. Videmus id in Hęreticis nostri temporis ad oculum: Lutherus enim quàm terrenus? quam carnalis, quã frigidus in diuinis, quàm effusus & spurcus in humanis? vident hoc etiam sui, & nonnulli erubescunt. Sacramentarii verò neque eò, quo Lutherus progredi voluerunt, vt crederent Christum posse esse in Eucharistia: corpus Iesu esse in pluribus locis. Quid dicam de Anabaptistis, Gentilistis, & aliis, qui maximè sese spirituales vocant? hi & in fide de Deo vltra Philosophos, qui solum lumen naturale sequuti sunt, non pertingunt: quin imò multis eti-

Aug. li: 2. q̃stio: Euã: Et de Verbis Domini hom: 10

Declaratur ex Euãgelio 1. Quia humi repunt hæretici.

Ambr: li: 5 in Lu: ca. 6

tis etiam Philosophis sunt longè inferiores; & in moribus sępe grauia & enormia scelera perpetrant, & suis permittunt. Deinde à D. Luca dicitur hoc miraculum factum à Christo
2. Quia se ingerunt. *cum esset in vna Ciuitatum.* Quomodo? nũquid
Luc: 5.12. leprosi è Ciuitatibus non excludebantur? Ita sanè fieri debuit, vt ex Scriptura vidimus, veruntamen nonnunquam illi sese ciuitatibus ingerebant: typus euidens hæreticorum, qui etiam prohibiti irrepunt in oppida, in ciuitates, in quæuis loca, tantò infælicius, quantò & difficilius cognoscuntur, quia lepram non in facie, sed in lingua gerunt; & plura mala faciunt; quia animos inficiunt; & postquam cogniti fuerint, remissiũs excludũtur, imò, proh,
3. Quia mũdantur. dolor à multis & fouẽtur, & defẽdũtur. Deniq; hoc ipsum suadet, tùm quòd leprosus iste nõ curari, sed mundari dicatur: tum alia, quæ dũ figuram excutiemus, videbimus quòd iam in Christi nomine aggrediamur.

Ex figura idem deducitur. Descriptio itaq; lepræ à Deo data, primum locum meritò obtinere debet: quam omni
Leu. 13.2. quidem peccato mortali, inprimis tamen publico, & hæresi competere, nimis est euidens.
1. Ex descriptione. Est namq; hæresis *pustula*, & scabies pruriens. Prurit enim, tum in lingua Ministrorum: tum in auribus audientium; teste Apostolo cùm
2. Tim. 4.3 inquit: *Erit enim tempus* (quale est nunc) *cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.* Et idcirco inquietam conscientiam hominis

reddit; & quò magis fricatur, eò ex turpi illa delectatione, magis magisq; crescit. Est autẽ *in cute & carne orta*: tum quia carnalia docet, vt iam vidimus: tum quòd quando Ministri è latebris prodeunt, palam fit omnibus. *Pilum* quoque *in album mutat colorem*: sunt enim Ministri Hæreticorum, vt Apostolus loquitur, *habentes speciem quidem pietatis; virtutem autem eius abnegantes.* O quàm id nimis est clarum, præsertim in Anabaptistis. Est etiam *quasi lucens quidpiam*, dum scripturam allegat, cui tamẽ rectius dixeris, noctem quasi & tenebras offundit. Deniq; lepræ propriũ est *crescere.* Qua de re idem Apostolus: *sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus*: nũc verò Lutherus, Caluinus, Gentilis, Suenckfeldius, & alię pestes; eorumq́; Ministri, & asseclæ (quæ omnia cuiuis etiam peccato mortali suo modo competunt, de quo aliâs.) Hæc nos Catholici de lepra spirituali, ad instar lepræ corporalis scripturam veteris testamenti, per scripturam noui, ab Apostolo nobis traditam (vtinam id Hæreticos iuuet) interpretantes, sentimus, credimus, docemus.

Octo hæresis ꝓprietates.

2.Tim.3.5

2Tim.2.17

Partitio item illa lepræ, in lepram mundam, & immundam, egregiè fidem Catholicam confirmat. Peto enim iterum ab hæreticis, cur is, *in quo caro viuens apparet*, immundus esse iudicatur, & idcirco & è ciuitatibus pellitur, & aliis pœnis afficitur; is verò, qui toto corpore est leprosus, *mundißimus* à Deo pronun-

2. Ex diuisione difficultas notãda.

Leu.13.15

pronunciatur? si lex lepræ [merè est politica] vt Caluinus asserit, ipse potiùs eiici debuit, à quo maior fætor, & infectio procedebat. Mysterium igitur Deus hîc quoq; inclusit, quod expleri in religione Catholica, & videmus, & lætamur. Quid enim caro partim viuens, id est munda, partim lepra infecta, significabit melius, quàm cùm peccatorem publicum, tum verò hæreticum? In iis enim est mundi aliquid, tum quòd charactere baptismali insigniti sint; tum quòd ille quidem fidem; hîc verò quorundam articulorũ Catholicorum professionem retineat; nihilominus lepram quoq; habent, quia Catholicus quidem. Charitate; hæreticus verò & charitate, & fide priuatus est: Credit tamen fide humana aliquos fidei articulos, & symbolum recipit Catholicum. At verò qui nec baptismum, nec articulos fidei Catholicæ recipiunt, isti per omnia leprosi sunt, nec quicquam sanum habent; tales sunt Gentiles, Ethnici, Iudæi, Turcæ, Tartari, & alii his similes, qui cùm *mundissima lepra* (vt eam scriptura vocat) spirituali teneantur, idcirco per Canones Ecclesiasticos nec ciuitatibus Catholicis arcentur, nec excommunicationem aliasq; pœnas incurrunt; quibus illi, qui lepram maculosam (sic enim eam vocare libet, quorum viua caro maculis lepræ aspersa est) habent, obstricti tenentur. Ecce & nodi illius difficilis enodatio; & mysterii pulcherrimi ex-

Lepra imũda in hæreticis.

Lepra mũda in Ethnicis.

NOTA. Hæreticos pelli nõ, autẽ Iudæos.

mi ex-

mi explicatio, & solutio illius quàm hæretici sæpè in ore habent querelę; dicentes: Cur nos de ciuitatibus eiicitis, aliisq; pænis afficitis, quod Iudæis & gentilibus non facitis? Cùm vtiq; nos plus, & melius quàm illi credamus; qui Christum Messiam profitemur? Responsio in promptu est: Ecclesiam id facere, tribus præcipuè de causis: Primùm quidem, vt ostendat se esse veram sponsam Christi, in qua sicut aliæ, ita hæc quoq; impletur figura. Deinde, quia scit tum ex scriptura, tum experientia, quantopere inficiatis fideles, quod non faciunt illi alii; presertim quãdo inter Catholicos versantur. Et fortè illi lepræ, quàm scriptura mundissimam vocat, id peculiare dederat Deus, vt alios non inficeret, præuidens hoc mysterium, quod iam nos oculis conspicimus nostris. Notate autẽ quæso verba illa: *quicquid sub aspectum oculorũ cadit*. De occultis enim non iudicat Ecclesia, neque punit illos etiam hæreticos, qui in corde tantùm sunt tales. Denique, quia nouit & hoc ex Scriptua Ecclesia, perfidiam hæreticam alias omnes infidelitates longè superare. Ait enim Princeps Apostolorum: *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sanctum mandatum*. Vides quomodo D. Petrus verbis expressis asserit, quòd melius esset vel in Iudaismo, vel in gentilismo permanere, quàm post agnitam veritatem in hęreses delabi?

Vt figura impleatur.

Quia magis inficiunt.

Leu: 13. 1.
Quia grauius peccant.

2. Pet: 2. 21

bi?

bi? Ne mireris igitur, quòd ab Ecclesia grauius puniantur, qui grauius peccant; sed agnoscas Dei virtutem in ea, & Dei sapientiam, & conuertaris vt viuas. Neque te seducat illa cogitatio, quòd credas Christum, quem illi
Iac: 2. 19. articulum non admittunt: Nam *& dæmones credunt, & contremiscunt*: neq; tamen sunt meliores Iudæis, & gentilibus: quia magis blasphemant Christum; ita Hereticorum blasphemia execrabilior est, quàm gentilium & Turcarum.

§. Ex reb⁹ q̃ inficiebãtur
Leu: 13. 59
Sed videamus iam illud tertium admirandũ sanè quod lepra etiam in domibus & aliis in rebus, *omniq; supellectili pellicea* reperiebatur, quæ omnia præcipiente Deo comburebantur. Quid est hoc? & cur præ cæteris supellectilẽ pelliceam exaggerat? Magnum equidem mysterium, quod pandunt & expandunt nobis Actus Apostolorum his verbis:
Act. 19. 18 *Multiq; credentium veniebant confitentes, & annũciantes actus suos. Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis preciis illorum, inuenerũt pecuniam denariorum quinquaginta millium*: quam summam computant calcographi ad quinque millia aureorum, & plusquam septem millia nostrorum florenorum: per hãc ergò scripturam illam interpretando, dicimus primò. Benefacere Ecclesiam (quod malè habet Hæreticos) cùm alia, tum verò libros eorum comburendo. Id enim & in figura olim pro-

Doctore Moyse & Luca libri hæreticorũ cõburendi sunt.

pronotatum, & ab Apostolis in nouo Testamento factitatum fuit. Vnde etiam illud intelligitur, cur Moyses tam frequentem supellectilis pelliceæ comburendæ mentionem faciat: nemo em̃ ignorat, antea libros in pellibus purgatis, conscribi fuisse solitos, prout etiam nunc fit in diplomatibus Apostolicis, & quibusuis magni momenti priuilegiis. Vides ne vnum iota in scriptura vacuum mysterio esse? Dicimus secundò, combustionem istam optimè & præcipi, & fieri post confessionem. Hoc ipsum enim in ipso Ecclesiæ Catholicæ exordio ab Apostolis factum esse videmus. Dicimus tertiò, sanctissimè hanc combustionem fieri publicè: audis enim idem olim in præsentia omnium esse peractum. Postremò tantum librorum concrematorum precium, docet, ne ii; qui conuertuntur molestè ferant dispendium pecuniarum, quas pro libris illis exposuerunt; sed alacriter illos comburendos tradant, ne propter illos æternam sustinere cogantur combustionem, quã Deus auertat.

Peracta confessione.

Publicè.

Etiam magni p̃cij.

Cæterùm respondẽt Ministri hæreticorum non tales hîc libros intelligi, sed libros tum superstitiosos, tum obscænos, Gentilium, magorum, Pòëtarum, & his similium. Sic illi: ego verò contra aio. O pseudoeuangelici qui & scribitis, & prædicatis vos non nisi Euangelium docere; ostendite ex quo loco Euangelii habeatis, hos tantùm libros hîc esse intelligendos? proferte vel vnum iota,

Hæreticorũ respõsio retorq̃tur.

qui præcipitis, ne vnquam etiam vobismetipsis credatur, si quid prẹter Euangelium adferatis? vbi ergo est hac de re Euangelium? Nos certè & ex traditione, & ex hac ipsa, aliaque scriptura habemus contrarium; nempè & istos, quos recensuistis, & hæreticorum, schismaticorumq; libros in istis verbis notari, ac proinde sapientissimè ab Ecclesia omnes tales prohiberi, & igni flammisq; dari. Primùm quidem, quia verba illa, *qui fuerunt curiosa* sectati, hoc nos docent. Quis enim dubitare poterit tam hæreticos, quàm qui eos audiunt, curiosa sectari? Ideò enim Paulus vocat tales *prurientes auribus*; quia hoc ipsum curiosis est maximè proprium: Atq; vtinam Catholici nunquam inuestigassent curiosè quid Lutherus, quid Zuinglius: quid Caluinus, quid alii hæretici scripsissent; non equidem nunc tantam animarum iacturam lugeremus, patriaq; nostra immunis ab hæresi hucusq; permansisset. Non enim natum, sed aliunde allatũ hæresis vitium in nostras oras fuit, ac proinde tantò iustiùs ac diligentius eiiciendum est, quantò iniquius possidetur. Vtinam, o vtinam ita fiat. Deinde, nunquid quando hæc acta sunt, non viuebant iam *Hymenæus, Philetus, Alexander ærarius, Simon Magus, Nicolaitæ*, quorum scriptura meminit: Cherintus quoq;, & alii, quos Sancti Patres, & historici recensent? Illorum verò scripta in illa concrematione, defuisse, quis nostros hæreti-

Qui libri curiosi.

2Tim: 4. 3

Cur à Polonis maximè profligandi hæretici.

Hęretici tpe Apostolorũ.
2Tim.2. 17
2.Ti: 4. 14
Act: 8. 20.
Apoc: 2. 6.

hæreticos certiores reddidit, postremò, hoc ipsum nos docet traditio Apostolica, hoc cõsuetudo Ecclesiæ, hoc iudicium ipsius: Iudicio autem Ecclesiæ refragari velle, est inter Ethnicos & publicanos computari, teste ipso filio Dei Christo Iesu.

Ad Sacerdotem venio, qui diiudicator lepræ à Deo constituitur. Cur non medicus potiùs? Quia voluit ostendere Deus, quid in Ecclesia Christi fieri & geri debuit; vbi non nisi solus Sacerdos de lepra spirituali iudicat. Estq; animaduersione dignum, omnes tres Euangelistas, qui hanc historiam conscripserunt, vnius tantùm Sacerdotis mentionem facere: VADE, OSTENDE TE SACERDOTI ait noster Matthæus: & eadem verba habet Lucas: Marcus autem sic: *Vade, ostende te Principi Sacerdotum*. Vnde colligũt quidẽ Doctores, ad solùm summum Sacerdotem pertinuisse de lepra, & non lepra decernere. Cui sententiæ præter Marcum, fauet etiam Moyses, qui Aaronis tantùm, & filiorum eius facit mentionem. Verùm cùm in alia leprosorum emundatione dicat Saluator in plurali: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*; pulchrè vtrũq; quod agi in Ecclesia videmus approbat: In qua tota potestas, & iurisdictio discernendæ lepræ spiritualis, ita in *principe Sacerdotum* (vt cum Christo, loquar) noui testamenti residet; vt tamen aliis communicari, & delegari possit. Itaq; summus pontifex prout vel or-

4. Ex iudice quoq; patet lepram designare hæresim.

Iurisdictio tota in Papa.

Matt: 8. 4

Luc. 5. 12.

Mar. 1. 44.

Leu: 13. 2.

Lu: 17. 14

do, vel ſtatus cuiuſuis poſtulat, vel ad maiorem Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem fieri debere iudicauerit, ita iuriſdictionis huius alios quoq; participes facit; grauiores ſpiritualis lepræ caſus, ſibi vt par eſt, reſeruando.

5. Ex diligẽtia.

Non ſolùm autem ſolis Sacerdotibus lepræ negotium cõmiſit Deus, ſed & præcepit, vt cum ſumma diligentia, cunctatione, dilationeq; (vbi opus eſſet) perurgerent: qua in re docet, inſtruitq; tum nos Sacerdotes, & cõfeſſarios; quomodo nos hac in pate gerere debeamus: tum vos pœnitentes, ac confitentes,, vt æquo feratis animo, ſi quid tale à prudenti confeſſario circa vos, veſtramq; abſolutionem eueniat. Si enim ad lepram, quæ corpus tantum inficiebat diſcernendam, tanta, quantam audiuiſtis, adhibenda erat diligẽtia, idq; iubẽte ac mandante Deo: quanta eodẽ auctore Deo, in peccatis in lepra inquã ſpirituali, quæ animam, non inficit modo, ſed et interficit, diiudicanda, cura, & ſollicitudine vti nos conuenit? Magna equidem. Æquum igitur etiam eſt vt tum Catholici nõ fugiant, ſed quærant talem confeſſarium: tum hæretici non carnificinam (vt ſolent) ſed diuinam prouidentiam vocent tantam diligentiam, quantam in re omnium grauiſſima adhiberi vident. Quid enim excellentius eſſe poteſt, ſalute animæ? quæ in rectè facta confeſſione, & abſolutione accepta acquiritur?

Doctrina cõfeſſarijs & cõfitentib' neceſſaria.

Quòd

Quod verò ad pænas seu pœnitentias attinet, quibus is, qui per lepram afflictus fuit, magis ad huc per diuinam legem affligebatur; quis oculos mentis apertos habens non animaduertit, quàm grande in se mysterium id contineat? *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo*: ait Deus per sapientem, Hic verò contrarium planè videmus, mærent & amaro sunt animo propter grauẽ infirmitatem leprosi; & non solùm non datur eis aut sicera, aut vinum. aut quæuis alia consolatio; sed adduntur pœnæ ad pœnas, amaritudo mærentibus adiungitur & quod caput est, fit hoc & innoxiis sæpè, & nolentibus semper, Quis enim lubens & volens tã fædum, molestumq; morbum pateretur, qualis est lepra? Debet itaq, nobis id, quòd à iusto & misericorde Deo fit, aliud quid ob oculos ponere, quàm quod litera sonat. Non quòd ea, quæ describuntur in illa lege non agerentur, sed quia illa quæ agebantur quicpiam aliud, cui ista magis propriè conueniunt, gerendum significabant. Hoc verò nihil est aliud, quàm quod fit in Ecclesia Catholica: In qua videmus. quod afflictæ morbo, imò morte spirituali animæ, aliæ adduntur afflictiones aliæ pœnę, & pænitentiæ. Priuatę quidem in priuatis, publicæ verò in publicis peccatis: vt excommunicatio, per quã conuersationes, orationes, salutationes, cõmercia, & vsus mensæ communis cum talibus pro,

6. Ex pœnis

Mysterium necassariũ.

Prou: 31. 6.

Quod nunc expletur.

bus prohibentur. Deniq; grauissimis, & quę alios inficiunt sceleribus adiunguntur eiectiones è ciuitatibus, & aliæ quæ iuribus ciuilibus statutæ sunt pœnæ. Quæ omnia meritissimò fiunt: non enim in causa est horum omnium lepra corporalis inuoluntariè suscepta, sed peccatum tam voluntariè patratum, vt si voluntarium non esset, nec peccatum esset. Quæ tamen vniuersa ita insectantur hæretici, vt hic vel maximè exclament; supremam impietatem, carnificinam, legis diuinæ pręuaricationem isthęc vocantes. Quod quã verè, iusteq; faciant, alias videbimus.

Nunc quonã modo pænę illæ veteris testamenti, quibus lepra naturalis castigabatur, nouo testamento, ac inprimis hæreticis, aliisq; excomunicatis conueniant, cõsideremus

Pœnę nunc multò grauiores. NOTA. Tantò sanè pænæ modernæ sunt illis grauiores; quantò magis non tantùm corpus, sed etiam animam affligunt. Ibi enim ciuitatibus excludebantur: hîc verò intercessionibus & meritis Sanctorũ, & Ecclesiæ priuantur. Illic pileo ac tegumento materiali capitis spoliabantur: hic *traduntur Sathanæ, vt discant non blasphemare,* sicut talibus fecit Apostolus. Ibi vestis discinditur: hic omnes contractus ab excomunicatis facti, dissoluuntur; & comercia cum eis vetantur. Ibi os obturatur leproso, hic & illi, & omnibus fidelibus, vt *ne Aue* quidem ei *dicatur*, vt docuit D. Ioannes. Ibi leprosus clamat se esse immundum, & conta-

1. Tim: 1. 20 — 2. Ioã: 10.

minatum : hic etiamsi ipse nolit per omnes Ecclesias, & suggesta talis esse denunciatur; quemadmodum Paulus incestuosum, à se excommunicatũ, & Sathanæ traditum Corinthiis denunciat vt ipsius conuersationẽ auersentur. De pæna verò, quam hæreticis brachiũ quod vocant sæculare, infligere solet, dabitur breui commodior Christo iuuante differẽdi, ac disputandi occasio; quando ipsi ineptis suis argutiis nos in certamen euocabunt. Iam verò nihil hac inparte amplius superest, quàm vt Polonos meos, Lithuanosq; moneam, vt maiorum suorũ sanctissimis, & antiqnissimis legibus potius insistant, quàm nouas alienigenarum perfidias consectentur. Hoc à vobis parentes vestri, de quorum gloria, insignibus, magnanimitate, pietateq; gloriamini postulãt. Hoc statuta cõmuni omniũ cõsẽsu ãtiquitus cõdita, vt hæretici pro hostibus patriæ habeãtur, & inter perduelles cẽseantur, volunt. Hoc Christus ipse iure suo requirit, vt fædera eius seruetis, neq; cõfæderationibus, fæderibus ipsius cõtrariis, subscribatis; sed potius eas à Repub. vestra, quàm longissimè arceatis.

1. Cor. 5.

Dom. 5. post Epiph. Con: 2.

Exhortatio contra cõfœderationẽ.

Ad vltimum, quod in lepra corporali Deus obseruare præcepit, veniamus, nempe ad modum, oblationes, sacrificia, ceremoniasque varias; cum quibus leprosus à Sacerdote in illa lege; suscipiebatur, quæ quidem habent, & continent in se magna sanè, & multa nimis, tum ad fidem Catholicam confirmandam,

7. Ex modo recipiendi.

tũ ad myſteria diuina declarãda tũ ad gratitudinẽ in nobis excitãdã, tũ documẽta, tũ argumẽta: quę oĩa tã breui, quod nobis reſtat; tẽporis ſpacio coanguſtãda nõ ſũt. Itaq; aliis ad aliud tẽpus reiectis, de iis tantũ agamus, quæ cũ ſcopo in hac concione ſuſcepto cõueniunt.

Legẽ lepræ eſſe cæremo nialem.

Quorum primum illud eſt, quod ſuperius leuiter tetigimus, contra impios, qui mendaciter aſſerunt, in veteri teſtamento de lepra, legem [merè politicam] non autem cærimonialem a Deo conſtitutam fuiſſe. Cæci profectò nimis qui tot cærimonias in ſcriptura non vident: imò impudenter mendaces, qui vidẽt, & tamen contrarium aſſerunt: nam claram adeo ſcripturam non videre illos quis credat? ſic enim incipit Leuitici caput decimũ quartũ *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt.* Quid eſt ritus? ſi ſcripturæ credere nolunt, credant ſaltim profanis. [Ritus mos eſt comprobatus in adminiſtrandis ſacrificiis] ait vnus: Alter verò ritualium librorum meminit, in quibus aruſpicina, & id genus alia continebantur. Et hac ratione in ſcriptura ritus ſemper ſumitur pro conſuetudinibus, quæ in cærimoniis ſacrificiorum adhibebantur. Sed quid opus eſt multis, cùm poſt iſtam vniuerſalem propoſitionẽ tot cærimoniæ recenſeantur à Deo per Moyſen, quot vix numerari poſſunt? Præcipitur enim Immolatio duorũ paſſerum cum ſtupẽdis ſanè cærimoniis, oblationes pręterea ligni cedri-

Feſtus Cic. lib. 1. de Diuina.

cedrini, vermiculi, hyssopi, & octauo die oblatio ouis, duorum agnorum, olei, vini, similæ, Purificationes quoq;, aspersiones, vnctiones, & alia his similia: quæ omnia inter cærimonias reponenda non erunt, quia reponi ea non vult Caluinus. Prô pseudoprophetam. Adhucne pro veraci homo fallax ab hominibus cordatis habebitur? Sed dicet ex asseclis ipsius quispiam. Etiam leges cærimoniales veteris testamenti abrogatas esse. Quis Catholicorum hac de re dubitat? aut quis in nouo testamento eas, quas recensuimus cærimonias obseruauit vnquã? Cessasse eas fatemur; sed ita cessasse, vt in meliores commutatæ sint, nempe corporales in spirituales, emundatio carnis in emundationem animæ, purificatio leprosi in purificationem peccatoris: illa per Sacerdotem veteris testamẽti fiebat iubente Deo, hæc per Sacerdotẽ noui, institutore Christo. Leges cærimoniales quomodo abrogatæ.

Ceterùm non est hic dissimulanda obiectio, quam hoc ex loco habent in ore semper hæretici, quando detrahunt absolutioni sacramentali Sacerdotum noui testamenti. Aiunt enim isti. Ecce in veteri lege non mundabant Sacerdotes leprosũ, sed tantum mundatũ esse declarabant: vos verò asseritis vestros Sacerdotes, verè à peccatis absoluere, eaque emũdare. Asserimus omninò: quia hoc ante nos Christus Dñus asseruit qui & potuit, & voluit talẽ potestatẽ dare hominibus, quod & fecit. NOTA. Quod hæretici cum sua obiectione. Inepti sunt.

Et iniuriosi in nouum testament. Nolunt isti miseri vt Sara libera aliquid amplius priuilegii habeat, quàm Agar ancilla cõtra apertam D. Pauli determinationem. Nolunt vt Ecclesia Christi Iesu, in qua bullit sanguis ipsius in Sacramentis inclusus, plus valeat, & possit; quàm potuit Synagoga, quæ *vmbram futurorum habebat bonorum.* Itaq; concedimus illis, quòd etiam si non nunquam dicat Moyses, *mundabit eum*, tamen quia explicans inquit: *Considerabit eum Sacerdos, & mundum esse decernet*; concedimus inquam, quòd Sacerdotes veteris testamenti neminem mundabant, sed mundum esse decernebant, & purificatum ad consortium aliorum admittebant: Contra verò quia non legimus à Christo Dõino dictum Apostolis, declarabitis, & decernetis, quòd illis sint remissa peccata: sed audimus ex ore ipsius: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Credimus, verissimè Christũ Dominũ Spiritũ S. dedisse Apostolis, per quem dedit potestatem hominibus, vt Sacerdotes noui testamenti verè emundare homines à lepra spiritnali, verè dimittere, vel etiã retinere peccata, possint. Pari ratione, quia in themate proposito audimus, Christũ Dominũ illi, quẽ à lepra mundauerat dicentẽ: VADE, OSTENDE TE SACERDOTI, vel vt Marcus habet *Vade, ostende te principi Sacerdotum*, ideò credimus leprosum istum non mundatum esse à lepra, sed mundum iam factum.

Gal: 4. 22

Differentia inter Sacerdotes veteris & noui testamẽti.

Heb. 10. 1.

Leu: 13. 6.

Ler. 13 17.

Sacerdotes nostri verè absoluunt.

Ioã: 20. 22.

Mar. 1. 44

ctum, pro mundo declaratum fuisse à princi-
pe Sacerdotum veteris testamenti. At verò
quia ad principem Sacerdotũ noui testamen-
ti dicitur à Christo: *Tibi dabo claues regni cælorũ:* Mat:16.19
& quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum &
in cælis; hoc nos audientes, credimus veram &
supremam in terra ligandi, & soluendi pote-
statem, residere in summo Pontifice: quia hoc
habet expressè textus scripturæ: quia vtrum-
que os Domini locutũ est: quia veritas Iesus
vtrumque veraciter protulit. Ideo hæc firma Rõ. 10.10
fide, & *corde credimus ad iustitiam: ore autẽ con-*
fitemur ad salutem, sicut nos Paulus docuit, cõ-
tra omnes versutias & vesanias, *quæ indocti &*
instabiles (hæretici) *ad suam ipsorum perditionem* 2Pet: 3.16
adinuenerunt, & quotidie adinueniunt, pro-
ut de illis princeps Apostolorum prędixit.

III. PARS. Signa Ecclesiæ.

Quare vt ad vltimum, quod proposuimus,
deueniamus: ex iam dictis haud difficile erit
demonstrare, & cognoscere, vbinam sit in ter-
ris vera Christi Ecclesia, vbi verò Sathanæ Sy-
nagoga. Et vt ab hoc, quod vltimo diximus
loco, atque ab Hæreticorum Principiis incipi-
amus. Cùm certum & proclamatum sit ab il- 1. Euangelium esse.
lis, ibi esse Ecclesiam Christi, vbi verbum Chri
sti, & Euangelium syncerè prædicatùr, cumq;
tum in tota concione, tum verò iam iam de-
mõstratum sit, nos verba Christi Domini syn-
cerè prędicare: illaq; ita vti sonant, intelligere;
Hæreticos verò ea tot peruersionibus, quot
vix iam numerari possint, obscurare: certum

etiam

etiam erit nos verôs Euangelicos, illos contra pseudoeuangelicos esse: ac proinde nos veram Ecclesiam, illos autem Synagogam Sathanæ
2. Veracem esse. habere. Deinde cùm non minùs sit euidens,
3. Reg. 22. tum ex scriptura, tum ex confessione aduer-
22 Ioã: 8. sariorum, spiritum Sathanæ esse mendacem,
44. Ioan: 15. 26. Spiritum verò Christi veracem; euidens quoque erit, Caluinum qui inter primos Prophetas, & Hæreticorum antesignanos numeratur, spiritum Sathanæ habuisse; vtpote qui & contra Catholicos. & contra ipsam scripturam, euidentissima mendacia protulit. Duo hic notauimus, alia pro occasione recensebimus. E contra verò in prophetis Ecclesiæ
3. Docere q̃ facis. Catholicæ, non nisi *est, est, non, non*, id est veritas reperietur. Præterea signum Ecclesiæ est,
Mat. 5. 37 id docere, quod vis fieri, Synagogę insigne est, id arguere (imò pro nota Antichristi habere) quod ipsa facit. Notum est autem omnibus, quòd hæretici inter alias notas Antichristi (qui vtiq; spiritum Sathanæ habebit) hanc quoq; reponant, aut expellere, aut occidere quempiam, in negotio fidei, aut etiam libros hoc nomine flam̃is tradere. Nam vt illi aiunt, fides debet esse libera. Ceterùm cum non minùs clarum sit, illos hæc publica authoritate patrare omnia; clarissimum etiam erit, apud illos verè esse synagogam Sathanæ: apud nos verò Ecclesiam, vbi quicquid hac in parte legitimè fit, idem etiã docetur sed argumentũ, hoc post duas dãte Deo hebdomadas tractabimus, & excutiemus diligentiùs.

Quod verò ad figuram lepræ, de qua in hac concione disseruimus, & rem figuratam attinet, inde quoque, ex iis, quæ dicta sunt, nec pauciora, imò multò plura, nec minus illustria, signa, & argumenta habemus ad agnoscendã veram in terris Christi Ecclesiã. Quorum istud est fundamentum, quod hæretici aut nolunt intelligere, aut intellectum impudenter calumniantur, & apud suos traducũt. Nos qui in Ecclesia Catholica sumus non id velle, vt quæ in cærimoniis veteris legis agebantur, eadem in nouę permaneant, cum sciamus tales leges per Christum abrogatas esse: sed hoc volumus, quod vult scriptura: Ea, quæ in illa lege fiebant, figuram & pręnotionem quandam fuisse illarum rerum, quæ & à Christo acta sunt, & in Ecclesia ipsius agũtur, & peragentur vsq; ad consumationem sæculi. Quemadmodum ergò Apostolus *Sacerdotiũ Melchisedechi sanguinem hircorum, & taurorum, & cinerem vitulæ aspersum*: nec non *tabernaculũ cum candelabris mensa, panibus propositionis*, & aliis ad id pertinentibus, & multa alia, Christo Domino, & Ecclesiæ eius, nouoq; testamento applicat, cùm in aliis Epistolis, tum verò ad Hebręos scribens, vbi copiosè per nõ pauca capita, de hoc disserit: ita Ecclesia Christi & eius doctores, hoc ipsum facientes, adimplent *grandem illum sermonem*, quem se non potuisse dicere testatur idem Apostolus. Itaque sicut aliud fuit sacrificiũ Christi Domini, quod corpus

4. Benè de figuris sentire.

NOTA. Fũdamẽtũ.

Heb: 5. & cet. Heb: 9. 13. Heb: 8 & 9.

Heb: 5. 11.

corpus & sanguinem ipsius, sub speciebus panis & vini in se continet: aliud *sanguis hircorũ & cinis vitulæ aspersus*; & aliud sanguis Christi, quo *aspergimur*, & quo in baptismo iustificamur *in Christo Iesu in morte ipsius baptizati*, vt ait Apostolus; & tamen illa hæc prefigurabant:

Heb: 9. 13. Rom. 6. 3.

5. Optimè figurã lepræ applicare vbi etiam ẽ summa dictorum.

Ita longè aliud erat leprosi emundatio, quæ fiebat per Sacerdotes veteris testamenti, & aliud emundatio à peccatis; quæ fit per sacerdotes noui: nihilominus illa hanc presignabat, prout hucusq; copiosè demonstratũ est: & ita demonstratum, vt ea quæ tunc agebantur in figura multò melius conueniãt ipsi rei figuratæ: lepræ videlicet spirituali potius quàm corporali; ac proinde, vt dixi, digito quasi extenso demonstrant non alibi, quàm apud Catholicos esse veram Christi Ecclesiã.

1. Ibi etenim natura, & signa illa lepræ corporalis à Deo data, & perfectiùs & clariùs elucent in lepra spirituali, præsertim verò in hæresi.

2. Ibi diuisio illa in lepram mundissimam; quæ totum corpus occupabat, & immundam, quæ sani aliquid relinquebat, pænaq; huic assignata, quorsum tendebat, & quidnam in cætu fidelium noui testamenti gerendum presignabat, ad oculum videtur.

3. Ibi non solum in hominibus, sed etiam in aliis rebus, inprimis verò in supellectili pellicea, id est in libris, lepra spiritualis & agnoscitur, & comburitur.

4. Ibi non lepræ corporalis, quæ propriè ad medicũ corporalem pertinet, sed lepræ spiritualis, diiudi-

diiudicatio ad Sacerdotem tanquam ad proprium iudicem remittitur. Ibi tota potestas 5.
lepræ ſpiritualis diiudicandæ in vno principe Sacerdotum reſidet, vnde ad alios pro neceſſitate, & officio, & charitate diffunditur. Ibi 6.
ad diſcernendam lepram ſpiritualem & infinitas quaſi ipſius ſpecies, multò maior diligẽtia pręcepto canonum adhibetur, quã in lepra corporali adhibita fuit vnquam. Ibi ipſe- 7.
met leproſus ſpiritualis, non ſolùm rerum ſuarum, ſed etiam ſui ipſius, eſt delator & accuſator egregius. Ibi non inuoluntaria (vt tũ 8.
temporis fiebat) ſed volũtaria lepra infecto, meritò pro qualitate criminis maiores vel minores pænę, pænitentiæ, & afflictiones imponuntur, & perficiuntur. Ibi deniq; non de- 9.
claratio, vt tunc fiebat, leproſum eſſe mundatum; ſed vera leproſi ſpiritualis mundatio & inſtitutore Chriſto poſſidetur, & eodem rectore peragitur. Quare cùm hæc omnia in Catholica Eccleſia reperiantur, prout oculis ipſis conſpicimus; èccontra verò apud illos, qui ſe ab ea ſegregarunt, non ſolùm nihil fiat tale; verum etiam adſit ibi mendax, impudens, & inſana planè libido, hæc vniuerſa carpendi, inſectandi, blaſphemandi; Conuincitur euidenter non alibi, quàm in ea, in qua nos per gratiam Chriſti Ieſu ſumus congregatione, veram Eccleſiam, eiuſdem Chriſti ſponſam, reperiri.

Concluſio & p thema exhortatio.

Quæ cùm ita ſe habeant, vt iis quæ in the-

mate proposuimus, & à quibus cæpimus verbis faciamus, te ego quicunq; à Ministris Sathanæ es seductus, eisdem quibus Christus Iesus leprosum istum, alloquor verbis: VADE inquam, ne sedeas in *cathedra pestilentiæ*, per
Psal. 1. 1. quam Dauid infidelitatem intelligit, ne sis pertinax; tum in iudicio mentis tuæ; tum in quauis impietate: ne stertas in vtramq; aurem delusus inani hæreticorum securitate: sed VADE, OSTENDE, Ne celaueris, sed prodas, ne dissimules, sed syncerè referas, ne excuses, sed accuses, TE, non alium; quod fit vt plurimùm (prout primi parentes nostri; cum magno, & suo, & nostro malo fecerunt) tu verò reùm te facias, te inquam, & tuam socordiam accusa, quod tam diu negligens in procuranda salute tua fuisti; quòd aures impietati & perfidiæ aperuisti, à veritate autem auertisti, & clausisti; quòd iudicium tuum omnibus sanctis, & toti Ecclesiæ; superbè nimis prętulisti: propter hæc & his similia multa; VADE OSTENDE TE SACERDOTI vel summo, vel qui ab eo potestatem accepit; SACERDOTI inquam noui testamenti, quem Christus Iesus iudicem omnis lepræ spiritualis constituit, cui soluendi, & ligandi in terra potestatem tradidit; & ad quem vniuersos peccatis (maximè verò hæresi) constrictos, ire pręcepit. Ad hunc, vade, huic caput tuum submitte, ad eius pedes te proiice; illi quicquid in corde latet, veraciter edissere;
ab eo

ab eo instructionem, consilium, auxilium, ipsamq; absolutionem postula, & submissè roga. Ita enim fiet, vt non à carnali, sed à spirituali lepra curatus restituaris gremio Sanctæ matris Ecclesiæ, in qua *sobriè, & iustè, & piè viuens* (vt te Apostolus monet) vsq; in finem vitæ, post hunc finem, sine fine videas Deum trinum & vnum, viuentem, & regnantem, in sæcula sæculorum AMEN. Tit. 2. 12.

CONCIO TERTIA.

Spes.

PARS EVANGILI DE LEPROSO, CVM DOCTRINIS.

Cum descendisset Iesus de monte.

INter eximia, quæ ad spem in nobis excitandam leguntur per annum Euangelia, meritò hoc, quod audiuistis computari & potest, & debet. Vtraq; enim eius pars, egregia huius rei in se continet, tum argumenta, tum incitamenta. Quis enim hominum nō sperabit à Christo salutem, cùm videt omne hominum genus hodie ab illo obtinuisse salutem? Quicquid enim tum temporis erat hominum in mundo, in duas quasi classes diuidebatur, nempe in Iudæos, & Ethnicos. Vtriusq; hîc exemplum habes, vtrumq; genus curatur. Leprosus enim ex Iudæis, paralitycus verò ex gentilibus fuit. Omne igitur genus

Euangeliũ hoc accommodum, ad spem excitandam.

nus in sua radice hodie accipit salutem à Saluatore; vt agnoscas, & Iesum solum esse qui saluat vniuersos, & sine Iesu nullam esse sperandam salutem. Itaq; in illo spes nostra tota est collocanda sicut isti in eo collocarant suam. Imò verò à nobis multò magis: tũ quòd maiorem nos notitiam habeamus Christi Iesu, quàm illi habuerunt; tum quòd non corporalem, sed spiritualem à Christo speramus salutem, quam tribuere vtiq; maximè est illi proprium. Quo teste? Angelo Domini, qui non ideò Iesum, id ẽ, Saluatorẽ nũcupãdum prędixit, quòd corpora, sed quod animas curaturus & saluaturus esset. Sic n. ille ad Iosephum virginis sponsum ait. *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ad ipsum igitur est nobis recurrendum istorum exemplo; confidendo fideliter, & orando humiliter: Oratio enim indiuidua est spei pedissequa. Incipit autem Iudæus: *quia salus ex Iudæis est* teste Christo; sequitur gentilis. Benè ille, sed meliùs iste: multò melius autẽ debet id pręstare Christianus. Quod vt fiat Euangeliũ videamus. Sed quia totum explicare non est opus horæ vnius, sed plurium, idcirco primam eius partem hîc videbimus, alteram alteri concioni reseruantes.

Mat: 1.28 Qualis Saluator Iesus.

Ioan: 4. 22

PROP. Agendũ de leproso.

Quare in hodierna concione leprosi historiam considerabimus, textum explicando, & doctrinas tum ad vitæ nostræ emendationẽ, tum ad viuæ spei corroborationem inde hau-

riendo. Da Christe Iesu, vt ita id faciamus, quo cum à corporali tum verò à spirituali lepra, & liberemur, misericordia tua, & pręseruemur.

Cvm Descendisset Iesvs De Monte illo, in quem conscenderat cum solis discipulis, vbi longum illum, & pulchrum sermonē de beatitudinibus, & de perfectione legis Euāgelicæ ad eos habuit. *Matt: 5. 1.*

Secvtæ Svnt Evm Tvrbæ Mvltæ, quæ ad radicem montis eum expectabant. Ascenderat enim Christus Dominus illis visis in montem, vt nouus legislator, veterē imitatus in monte legem nouam Euangelii promulgaret illis, qui ad eam per totum orbem disseminandam destinati erant. Vtq; ipso situ loci doceret, prędicatorem verbi diuini, mente in montem sanctum Domini ascendere & cor sursum eleuatum habere oportere. Quomodo enim is aliena corda sursum in cælum pertrahet, qui suum in terra terrenisq; desideriis sepeliuit? Cauendum est igitur maximopère nobis Ecclesiasticis hoc malū, si messem plurimā in horrea Domini, prout debemus, inferre volumus. Quanta verò cum lætitia & voluptate turba illa Dominū Iesum redeuntem susceperit, id vobis meditandum relinquo. Nemo enim ignorat quanta cum iucunditate accipiatur, quod magno cum amore, & desiderio expectatur. Porrò turba hæc amoris diuini expers esse non potuit, quæ tū

Christus cū lętitia suscipiendus.
Exo: 19. 18.
1.
2.
Christus cū lętitia suscipiendus.

negotiis, & commodis propriis; tum etiam ipsis domibus relictis, vsque in deserta loca Chrîstum Dominum sequuta fuerat. Demus igitur operam dilectissimi, vt nos quoq; eam imitemur: nam & hoc diuinæ spei in nobis excitandæ pulchrum est incitamentum. Sed videamus iam, quid nã Christo Iesu de monte descendente acciderit. Describit id noster Euangelista cùm inquit:

Luc: 5. 12. Concordãtur Euangelistæ.

ET ECCE LEPROSVS VENIENS; Diuus Lucas verò asserit, quod hoc *factum est, cùm esset in vna ciuitatum.* Id circò cogitandum est nobis, non statim post descensum Christi de monte, hæc accidisse; sed aliquanto post dum quandam transiret ciuitatem. Vnde etiã colligimus, quòd licet leprosi ciuitatibus excluderentur, licitũ tamen fuisse, victus emendi, vel emendicandi causa, in ciuitatem ingredi; nisi dicere velimus hunc vltro citroq; in ciuitatem irruisse. Quod si literaliter interpretari voluerimus sanitatis recuperandæ gratia id illum fecisse dicemus: sin mysteriũ quærimus, hæreticos qui se contra statuta superiorum in ciuitates ingerunt, denotari iam aliâs diximus. Non solum autem leprosus iste accessit ad Iesum; sed etiam.

Leprosus quomodo in ciuitate inuẽtus est.

Christ⁹ adoratur vt De⁹.

ADORABAT EVM DICENS. Hæretici, Caluinus, & Anabaptistæ, qui semper timẽt, ne cui sanctorum, imò ipsi sancto sanctorum nimium honoris tribuant (cùm tamen sibimetipsis tribuant plusquam nimium: O deploranda

ploranda amoris proprii conditio, à Catholicis plusquam aspis, vel Crocodilus, fugienda) asserunt, reuerentiam tantum quandam vrbanitatis causa, leprosum Christo exhibuisse. At nos cum Chrysostomo, & aliis sanctis, diuinum honorem Christo exhibitum, arbitramur: cùm propter D. Lucã, qui asserit, quòd hoc fecerit *procidens in faciem*; tum verò propter verba ipsius leprosi. Ait enim. *Chrysosto. hom:26. in Matt. Luc: 5.12.*

DOMINE SI VIS POTES ME MVNDARE. Vides quàm confidenter loquatur? quàm de potentia ipsius nihil dubitet? Quis verò præter Deum id facere potest? Possunt inquiunt, & fecerunt alii etiã Prophetæ, imò & maiora; quia & mortuos suscitarunt, & alia patrarunt miracula. Fecerint sanè, sed longè alia, quàm Christus ratione; quod aliquando à nobis copiosius pertractandum erit: nunc enim & festinamus ad alia, & cõtra hæreticos ex professo non agimus. Certè qui Christi Iesu responsum cum imperio prolatũ VOLO, MVNDARE, sano mentis oculo intuebitur, facilè animaduertet, & Prophetas tali modo nũquã locutos fuisse, & Christum se esse Deũ demonstrasse. Sed, vt dixi, hisce ad aliud tempus reseruatis, consistamus parumper & consideremus diligentius quod huic concioni proprium est: orationem inquam leprosi huius, qui cùm nihil petere videatur, multa tamen, & valde efficaciter petit. Estq; hæc eius oratio tum mysteriis, tum spei plena. *3 Reg. 17.19 4 Reg: 4.32* Occupatio differentiã inrer Christum & alias ponit.

Primũ mysteriũ in oratione lepsi.

Tria ad op' humanum requirũtur.

Scire.

Posse.

Velle.

Primùm igitur perpendere licet, magnam leprosi huius sapientiam: qui benè sciuit, quæ ad quoduis opus humanum requiruntur, vt opus effectum sortiatur suum. Tria etenim ad id sunt necessaria, nempe, nosse, posse, velle; nosse quid sit facto opus, potẽtiam & vires ad id perficiendum habere, & facere velle. Quicquid autem horum trium deerit, in cassum recidet quoduis opus. Et de duobus quidem prioribus nihil dubitat leprosus: nouerat enim sciuisse Christum ipsius infirmitatem, quæ patuit omnibus. Quod verò potuerit ab eo curari, en fatetur. De voluntate, quia illi non constabat, ideò vt velit, orat & sperat: nisi speraret, non oraret. Nam qui orat, sperat: orat autem dicens: DOMINE SI VIS, quasi dicat, velis ô Domine, velis rogo. Neq; verò spes & fiducia in misericordia Christi collocata, fefellit eum; neq; nos fallet, si talem qualem ille spem habuerimus. Ceterùm consideremus quæso, quonam modo hæc tria se habeant respectu boni, & mali, id enim ad vitæ nostræ directionem non parum proderit. Sciendum igitur est, respectu boni hæc tria, bona esse omnia: nam & scire bonum, & posse facere bonum, & velle bonum, optimum est: respectu autem mali, secus se res habet. Etenim scire quidem malum, malum non est, quod ne ipsi philosophi ignorarunt, redduntq; rei huius rationem, sed paulò subtiliorem, ideò

Qui orat sperat.

Quomodo hæc tria se habeant.

Respectu boni.

Et Respectu mali.

NOTA.

eam

eam relinquamus. Sufficiat nobis exemplum ipsius Dei, qui licet sit optimus, nouit tamen malũ: quomodo enim puniret, quod ignoraret? Et Paulus clamat: *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius:* Omnia omninò bona, & mala. Scire igitur malum, bonum est. At verò velle malum, bonum non est: imò tantum malum est, vt velle solumodo malum pro peccato computetur, etiam si opus non subsequatur. *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est*, ait veritas Christus Iesus. Quid verò dicemus de potentia mali? Id videlicet, posse malum, non esse per se malum, est tamen signum imperfectionis, & naturæ ex nihilo conditæ. Ideò Deus facere non potest malum. Neq; verò id impotentiam eius arguit (vt simplex aliquis opinari posset) sed omnipotentiam potius; prout aliâs declarauimus. Omnis igitur homo potest facere malum, & peccatũ. (Christũ Iesum semper excipio: is enim non purus homo, sed & Deus fuit, ac proinde ne culpa in personam diuinam redundaret; malum, seu peccatum facere non potuit) neq; id est ei malum, quia est secundum naturam ipsius, quæ est ex se defectuosa, quia ex nihilo condita; neque vituperabile, quod possit facere malum, sed laudabile, si illud non faciat. Id enim expressè testatur sapiens, cùm inquit: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere malum & non fecit.* Quare secundum hæc tria, scrutemur, nostra

Heb: 4. 13.

Mat: 5. 28.

Posse malũ nec Deo, nec Christo competit.

Dom: 2. Aduent: Conc. 1.

Eccl: 31. 10

Obiectio soluitur.

opera iisq; bene vtamur: sic enim & agnoscemus, & effugiemus peccatum. Verùm dicet fortè aliquis; præter hæc, requiri quartum, nempè opus ipsum, & executionē. Respondeo. Istud in iam dictis comprehendi: nam si te aliquid impediat, ne perficias quod voluisti; tunc si opus quod molitus eras, malum fuit, peccasti, vt ex ore ipsius Christi audiuisti: quòd si bonum fuit, meritum habuisti: quia non per te stetit ne illud perficeres. Si bonū, quod nemine impediēte facere potuisti, exequutioni non mandasti; omninò neq; facere illud in veritate voluisti. Quo teste? non solū scriptura, & philosophis; sed etiam vobismet ipsis testibus. Nunquid enim de homine prodigo, qui omnia sua dilapidat, dicere non soletis, iste homo non vult habere bene? quod quamuis ipse neget, vos tamen & constanter, & verè asseritis. Quicunque enim ad opus, quod perficere potest, media necessaria adhibere non vult, neq; opus illud veraciter vult facere prout antea diximus, & sæpe dicendum erit: Velleitatem enim tantū (quam vocant) non autem veram voluntatem ad id prętandum habet. Hoc est ergò in leprosi istius verbis, breuibus quidem sono literarum, sed copiosis in intelligentia mysterium primum.

Alterū mysteriū meditationē cōtinet de Deo

Alterum est, concioni huic magis etiā proprium. Insinuat enim nobis iste leprosus hisce in verbis, meditationem quandam; altam quidem (ideò dligenter audienda est, & exer

cenda

cenda humiliter) verumtamen ad ſpem in nobis excitandam valde eximiam. Poſſumus etenim ex duobus illis verbis VIS & POTES quatuor combinationes facere, eaſq; de diuina contemplari eſſentia. Nam ſunt aliqua, quæ Deus & poteſt facere, & vult fieri: alia è contra, quæ nec vult, nec poteſt: alia quæ poteſt quidē, ſed non vult: alia quę modo quodam vult, ſed non poteſt. Circa primum punctum, primamq; combinationem contemplari licet omnia, quę fecit nobis Deus, facitq; & quæ in poſterum præſtabit beneficia creationis, redemptionis, vocationis, iuſtificationis, conuerſionis, & alia infinita, ipſamq; demum glorificationem, & gaudia, *quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum*. De creatione ſæpe Dauid, vt cum inquit: *Ipſe dixit, & facta ſunt*, quia facere ea potuit, *ipſe mandauit & creata ſunt* quia fieri ea voluit. Quæ autem propter hominem creauit Deus, & quomodo illa in poteſtatem eius dedit, deſcribitur cùm alibi, tum verò toto Pſalmo octauo. Quamuis ſi bene rem conſideremus, non ſolùm creationis, ſed etiam Redemptionis, in eodem Pſalmo nō deſunt pulchra myſteria; teſte & Chriſto, & Apoſtolo: Quare vtriuſque contemplationis adminiſtrare nobis poterit materiam. Sed maiorem dabit materiam redemptionis, totum nouum teſtamentum, quod ad hæc duo ſi voles reduces verba. Cùr enī Chriſtus Ieſus redemptionem noſtram perfecit?

Per Quatuor cōbinationes. Deus enim.

1. Quædam vult & poteſt vt.

1. Cor: 2. 9.

Pſal: 148. 5

Creationē

Mat: 21. 16

Hebr: 2. 6.

Redemptionem.

nonnisi quia & potuit, & voluit id facere. V-
Ioã:10.15. trumq; ipse de se in eodem sermone testatur;
Cùm enim inquit: *Animam meam pono pro oui-*
Ibid: 18. *bus meis*, voluntatem suam declarat: Cùm au-
tem subdit: *Potestatem habeo ponendi eam, & po-*
testatem habeo iterum sumendi eam; potentiam
suam demonstrat. Et hoc ipsum, tam in hi-
sce, quæ nobis Euangeliũ hodiernum descri-
bit omnibusq; aliis miraculis; tum verò in in-
stitutione Sacramentorum, obseruare debe-
mus: quæ si nostri Hęretici considerare vellēt.
In carnationem. in tam turpes nõ prolaberentur errores. Cre-
derent enim & incarnationem Verbi Anaba-
ptistæ; & Christi præsentiam in Eucharistia
pertrãsubstantiationē Caluinistæ. Potuit si-
Ioan. 1. 1. Ver: 14. quidem Christus incarnari, quia *Deus erat Ver-*
bum, ideòq; fuit. estq; omnipotens. Voluit
autem, quia subditur: *Et Verbum caro factum*
est: quod aliis dixeris verbis: Deus volunta-
Mat:26. 26 riè incarnatus est. De Eucharistia verò ipse
Eucharistiã. Christus inquit: *Accipite, & comedite, hoc est cor-*
pus meum: quibus expressè tum potestatem,
tum voluntatem suam id faciendi declarauit.
Verùm nimis lõgi esse deberemus; si quę huc
spectant recensere, vel saltem insinuare tan-
Et alia multa. tum vellemus. Quare delibasse hæc sufficiat:
vos interim non absimiles his, si placet, for-
mate vobis meditationes, tum de vocatione,
iustificatione, conuersione; in quibus profe-
ctò D. Paulus est admirabilis, omnia hæc in
seipso considerando, & ad diuinam referendo
volun-

voluntatem, ac potestatem: tum de aliis mysteriis fidei nostræ. Neque verò gratis, & speculatiuè tantum faciẽdum id erit: sed erumpendum est sæpius in gratiarum actiones, admirationes, deprecationes, obsecrationes; nec non in actus, & exercitia fidei, spei, charitatis, laudisq; diuinæ. Id enim pueri in camino ignis cantantes, id Dauid frequenter & ipse psallens, & alios ad laudandum Deum excitans; id cæteri Prophetæ, id Apostoli fecêre, quos imitari vtilissimum, æquissimum, & suauissimum est. Hoc est igitur primum huius contemplationis punctum, primaq; combinatio, de iis, quæ & potest & vult, ac proinde facit Deus. Quæ fructuosè sunt meditanda.

Sunt autem alia, quæ nec vult, nec potest facere Deus: qualia sunt omnia peccata, culpæ, iniquitates. Qua de re sic inquit Sapiens: *Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum.* Cùm ergo hæc, hisq; similia non fuerint creata, neque erunt à Deo, à quo sunt omnia creata. Non sunt autẽ ista à Deo, quia Deus nec voluit, nec potuit ea facere: noluit, quia vitia sunt: vitium autem & peccatum Deo non placet: non potuit verò ea facre, quia defectuosa sunt, & ex defectu procedunt: in Deum autem nullus defectus cadere potest. Dices vnde ergò sunt peccata? Inde vnde & ipsa mors, quæ est pœna peccati. *Per peccatum* enim *mors*, ait Apostolus: quod & videre licet in casu primorum parentum.

2. Alia Deus nec vult nec potest vt Peccata.

Eccl. 10. 22

Vt Mortem.

Rom. 5. 12

Mors

Gen: 3. 19. Mors vero vnde? Respondet Sapiens: *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* morsq́; duplex: tum corporum, tun animorum, seu spiritus. Illa euenit per separationẽ animæ à corpore; hæc per separationem gratiæ diuinæ, siue ab anima, siue à spiritu. Mortis corporalis autor fuit Diabolus tentando: mortem verò spiritualem causauit in seipso male operando, & contra Deum superbiendo; in hominibus verò, mala eis suggerendo. Rectè igitur dicitur, quòd *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* vtramq́; enim mortem. in vtraq; creatura rationali, inuidia diaboli operata est. Primam ipse incurrit Lucifer cum suis apostaticis spiritibus, quando inuidia correptus dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altißimo.* Alterius quoq̃ue ipse author fuit, quando eadem constrictus inuidia, Euam aggreditur, tentat, vincit, eaq́; ratione. tum in ea, tum per eam, toti generi humano causat mortem. Omnis autem mortis, vt ex Apostolo audiuimus, causa est peccatum: *Per peccatum* enim *mors* ait ille. Peccati verò quæ est causa? Nihilum; quod est in creatura rationali. Hæc enim quia ex nihilo condita est, ideò in nihilum tendere potest, ideò defectuosa est; ideò peccare potest, quod & fecit, quia peccare voluit: tum Angelus, tum homo. Contemplatio hæc, cum aliis, tum verò D. Augustino familiaris, alta quoq; est: qui potest eam capere capiat, qui non potest

[Margin notes: Tũ corporis *Sap: 2.24.* — Tum animę — Quòd sint ista. — Vnde proueniunt. — *Isai: 14: 14.* — Quod remedium.]

teſt

test credat. Omnes autem dum hæc meditamur, diligentem demus operam, vt Deum potius, qui semper facit bonum, quàm Diabolum qui facit peccatum, sequamur, & imitemur. Quòd si imitati sumus Diabolū, mala patrātes, cessemus obsecro, ac de præteritis dolentes, contritionem habere studeamus; vt à Deo misericordiam obtineamus, qui & potest & vult nos & sanare, & saluare.

Quod verò Deus aliqua velit, sed facere non possit, valde sobriè, & non nisi modo scripturæ consueto est intelligendum. De Christo Deo sic inquit Euangelista: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit.* Voluisse autem illum, ex admiratione satis liquet. De Deo autem, magna illa tuba sic canit. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nihilominus non omnes saluantur, nec omnes ad agnitionem veritatis perueniunt, volente licet, sed non valente Deo. Quare? Quia ipsi veritatem respuunt; quia saluari nolunt. Deus autem non vult quenquam inuitum habere in regno suo, *Deus* enim *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta, sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te*: ait sapiens. Dilectus verò discipulus Christi inquit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* O potestas eximia, o beneficium summum, quod qui respuit; hunc saluare non potest Deus.

Sicut

5. Quædam vult & non potest.

Mar: 6. 5.

Vt curationem.

1 Tim: 2. 4.

Vt Salutem.

Vnde id proueniat.

Eccl: 15. 14.

Ioan: 1. 12.

Exemp. declaratur.

Sicut enim dicitur quod in patria sua Christus *non poterat virtutem facere*, quia noluit sine fide quęquam curare: ita magis etiam propriè dicendum est, Deum *qui omnes homines vult saluos fieri* non posse tamen saluare illum, qui mediis ad salutem necessariis non vult vti, qui mandata & præcepta eius non custodit, qui vt vno verbo dicam, saluari non vult. Hoc ipse Christus expresis verbis testari videtur, cùm exprobrans populo illi ingrato, inquit *Hierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Vbi habemus & illum voluisse, & tamen non potuisse; quia ipsi noluerunt. O miserum & deplorandum hominē, qui facit ne possit, quod vult facere Deus. Sed inquis potentior ergò erit homo, quàm Deus? Absit, imò multò impotentior: tum quòd hoc ipsum ex impotentia procedat, vt dictum est: tum quòd semper lucratur Deus, nec vnquam suo frustratur fine. Qui enim non vult experiri ipsius misericordiam vt saluus fiat, quod voluit Deus; experietur ipsius iustitiam, & damnabitur, quod æquè vult Deus. Itaq; si noluerimus habere placatum, non effugiemus iratum, & sic semper explebitur voluntas ipsius. *Ergò dum tempus habemus operemur bonum*, vt nos monet Apostolus; ne illic, vbi tempus nullum erit, seueram Iustitiam, sed benignam experiamur misericordiam diuinam; velimusq; quod ipse vult

Mat: 23: 37

Quã id miserum.

NOTA Quomodo Dei voluntas semper impletur.

Remediũ.

Gal: 6. 10.

vult nos velle, vt ipse possit facere, quæ cupit, quódq; fieri multùm expedit nobis.

Postremùm contemplationis huius punctum, in re tantam difficultatem non habet: facilè enim quisq; intelligit, multa esse quæ potest quidem, sed tamen non vult facere Deus. Potuit enim multos creare mundos, potest creata omnia ad nihilum redigere, potest infinita alia præstare, quæ tamen neque fiunt, neq; fient; quia illa fieri non vult Deus. Hoc scitu est facile: sed difficile valde, imò & periculosum, & impossibile, horum causas inuestigare: propterea supersedendum est huic negotio, & memores esse oportet dicti sapientis: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.* Talia sunt, & hæc quæ diximus, & illa: Cur isti vocantur, alii relinquuntur? Cur pii affliguntur, impii prosperantur; (quæ contemplatio etiã prophetas torsit) Cur vnus plura, alter pauciora habet media ad salutem, & alia generis eiusdem. Ista igitur fugienda sunt. Possumus tamen, cum admiratione & magna humilitate, hinc quoq; cor nostrum ad gratitudinem & amorem ipsius excitare: nihil determinãdo, sed benignitatem ipsius erga nos admirando, videlicet, quòd nos inter Christianos & Catholicos nasci voluerit, quòd ad baptismum

Quædam potest sed nõ vult.

Ecc: 3. 22.

Causæ horũ non inuestigandæ.

Iob: 21. 7.
Psal: 72. 2.
Ier. 12. 1.

Gratiæ agendæ.

ſimum vocauerit, quòd ex multis periculis cum corporis, tum verò animæ eripuerit; quòd ad pænitentiam pertraxerit, &c. quæ omnia & his ſimilia; infinitis hominibus aliis, non præſtitit beneficia: non quia non potuit, ſed quia noluit. O bonitas, ô miſericordia, quas tibi dignas pro his gratiarum actiones agemus, qui immeritis hæc nobis præſtitiſti beneficia? Quomodo enim mereri potuimus, qui necdũ fuimus? Verùm hæc ſufficiãt & de pũcto iſto, & de toto hoc altero quadripartito ex dictis leproſi collecto myſterio.

Tertiũ myſterium Tẽporalia con dicionate petenda eſſe.

Tertium in verbis iſtis DOMINE SI VIS POTES ME MVNDARE libet conſiderare myſterium, vel doctrinam potiùs, & inſtructionem; quomodo nos in petendis à Deo rebus ac beneficiis temporalibus, ſiue vt nobis concedat aliquid boni, ſiue vt nos liberet ab aliqua pœna & malo, gerere debeamus. Eximium namq; & rarum huius rei, in iſta leproſi oratione habemus exemplum. Et primum quidem verbum: primum & præcipuum dat nobis documentum, nempe vt in talibus voluntatem noſtram cum voluntate diuina coniungamus, & non niſi cõdicionatè talia petamus. SI VIS inquit, voluntati id ego, & miſericordiæ tuæ relinquo. Non nimis vrgeo, non contendo, non lamẽtabor, etiamſi negaueris quod peto. Ita facite dilectiſſimi: id enim & Deo placet, & expedit nobis. Idemq; & docet ratio, & ſuadẽt

Hoc docet hic leprſus.

exem-

exemplum. Ratio est: Cùm enim ignoremus, quidnam sit nobis vtile, & ita ignoremus, vt nō rarò petamus quæ noxia sunt nobis, nobis inquam, id est, animæ nostræ, quæ præstat omnibus, (imò nonnunquam etiam ipsi corpori nociua petimus) quid igitur aliud conuenit, quàm vt ab eo, qui nouit omnia, conditionatè isthæc petamus? Absit enim, vt si nouit non expedire, præstet ea nobis. Sed & exemplum quotidianum in promptu est. Nunquid enim vos patres filiis vestris conceditis, si quid aut veneno illitum, aut perniciosum sibi petierint? Minimè vèrò; quin imò si fletu, aut eiulatu nimium vrgeant, castigatis eos, & castigando docetis, vt non nisi conditionatè, si dare vobis placuerit, in posterum, talia à vobis petant. Eodem igitur modo, tu quoq; cum parente tuo, Deo Optimo Maximo te geras; qui multò melius nouit, quid tibi expediat, quâm tu scias, quid infanti tuo vtile sit. Multò enim satiùs est tibi cum resignatione non impetrare, quod vis; quã importunè extorquere, quod desideras. Exemplo sint tibi D. Paulus, & diabolus. Quorum illæ *ter dominum rogauit vt stimulus carnis discederet ab eo*, & nō impetrauit, cum suo magno bono, dictum est enim illi à Deo: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Diabolus verò impetrauit bis à Deo, vt tentaret Iob, sed cum suo magno malo, & condemnatione maiori.

Hoc Ratio.

Hoc exemplum quotidianum.

Hoc scriptura.

2 Cor. 12. 7.

Iob. c. 1. 2.

Ma:21. 22 Petere igitur poteris etiam temporalia à
Obiectio de non hæsitãdo. Deo ſed conditionatè, ideòq; hæſitãdo, num
ſis impetraturus. Sed dicet quiſpiam, quòd
Iac. 1. 6. hæſitationem prohibeat & Chriſtus, & D. Iacobus. Chriſtus quidem Apoſtolos; Iacobus verò quemlibet Chriſtianum monens, & dicens: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*: Non ergò oportet hæſitare. Reſpondeo, Chriſtum Dominum ibi loqui de miraculis, ad quæ patranda, ſi quis à Deo incitatur, hæſitare non
Quomodo miracula petenda. debet. Hoc verò non ſolùm Apoſtoli, ſed etiam, alii Sancti fecerunt: ita vt hoc ipſum (vel
Ma: 21. 21 tale quid) de quo ibi Chriſtus loquitur dicẽs: *Si monti huic dixeritis Tolle, & iacta te in mare fiet*, effecerit S. ille Gregorius Thaumaturgus, qui oratione transtulit mõtem, templi ſtructurã impedientem. Verum neque omnium eſt talis fides, neque ad ſalutem eſt neceſſaria: neq; adhibenda, niſi cum magna humilitate & neceſſitate. Poſſe enim, imò de facto quoſdam tales cõdemnatum iri; ipſe idem Chriſtus te-
Mat: 7. 22 ſtatur. D. Iacobus verò loquitur de bonis ſpi-
Quomodo ſpiritualia. ritualibus: ſic enim inquit: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, & dabitur*
Iac. 1. 5.
NOTA. *ei*. Dices hoc ipſum ego peto, videlicet, humilitatem, patientiam, caſtitatem, & his ſimilia quæ ad ſapientiam ſpectant diuinam: neque tamen impetro, quicquam eorum. Ad hoc tria dico. Aut te malè petere, ponendo gratiæ impedimentum, ideò mirum non eſt te non impetrare: aut ſi bene petis, differtur

ad tem-

ad tempus, vt perseueres, tum in petendo, tũ in bene operando: aut fortè iam impetrasti & habes, sed putas te non habere, propter validam aliquam tentationem: Cùm tamen tentatio non pellat virtutem; ideò cum illa stare bene potest. imò inde etiam propter humilitatem augetur, vt in Paulo factum esse, ex Deo audisti. Qua de re eleganter admodùm D. Augustinus ait: [Dum vitiorum impulsu concuteris, melius in humilitate solidaris: suauius enim redolet Deo humilitas infirma, quàm virtus elata.] Et hæc est causa, cur sæpe Deus celat coram nobis nostras virtutes, nempe ne in iis elati corruamus, quod multis contingit. Quare humilitate, fiducia, cæterisq; quę hic expressa habes, opus est nobis semper *2. Cor. 12. 9* *Aug. de amãdo Deo cap. 8.*

Age verò quid iam de salute animæ dicemus? Id videlicet. Eam & simpliciter sine vlla conditione, & assiduè sine hæsitatione Catholica petendam esse. In hoc enim vera & viua spès consistit Verùm vt id rectè intelligatur: sciendum est, nos in spe triplicem certitudinem (siue vt cum D. Iacobo loquamur, non hæsitationem) considerare posse; vnam hæreticam, alteram minus Catholicam tertiam ritè & verè Catholicam. Hæretica nõ ad virtutem sanctæ spei, sed ad vitium scelestæ præsumptionis pertinet. Hæreticus enim ita non hæsitat, vt dicat, se certa fide credere, se saluatum iri. Malus autem Catholicus qui etiamsi viuat impiè, dicit tamen se de sua *Quomodo sal⁹ animæ.* *In hæsitatio in spe triplex.* *Hæretica.* *Minus Catholica.*

non hæſitare ſalute, minus Catholicam ſpem
VerèCatholica. habet. At verò qui piè, & Chriſtianè viuendo, ita non hæſitat quod ſaluabitur, vt tamē
Phil. 2. 12 (nequid huic contrarium contingat) *cum metu & tremore ſalutem ſuam operetur*, hic viuam ſpem habet Catholicam. Vtrumq; enim Apoſtoli eum docuerunt: Timere quidem D. Paulus; nō hæſitare verò D. Iacobus. Quamuis (vt hoc etiam tangamus) D. Iacobus, non de ſalute, ſed de ſapientia loquitur, (atq; ita fruſtra eum hæretici pro ſe trahunt) tamē ſi ſobriè intelligatur, poteſt etiam de ſa-
NOTA. ſimile. lute accipi. Non hæſitare enim ſequitur certitudinem, quanta igitur eſt certitudo, tanta eſt non hæſitatio, Ac proinde ſicut certitudinis, ita non hæſitationis ſunt gradus varii. Rem difficilem & in qua non pauci hærent, exemplo demonſtremus, vt ſit illuſtrior. Eſt tibi amicus intimus, cuius fidem ſæpius probaſti, & approbaſti: promittit is tibi quidpiam, ſperas imò (vt dicere ſoletis; ſæpe enim hæc verba confunduntur, in communi curſu ſermonis) credis, nihil hæſitans præſtiturum
Magna certitudo & inhæſitatio. illum, quod fuit pollicitus. Magna equidem certitudo, ac proinde magna etiam quæ illam conſequitur, non hæſitatio, quæ tamen cum non modica contrarii formidine, eſt cōiuncta. Quis enim dubitat multa accidere poſſe, quæ impediant, ne illud quod nihil hæſitando ſperabas; vel credebas, non eueniat? Si enim inimicitiæ, ſi tua erga illum impietas

pietas & ingratitudo, si casus aliquis, si mors deniq; ipsa acciderit; nonne tua illa hæsitatio hærere te, imò spe excidere faciet? Est & alia multò, quàm hæc maior, sicut certitudo ita non hæsitatio; credere videlicet, cras tali hora solem oriturum; hodie post tot horas noctem adfuturam: diebus istis Eclypsim minimè futuram, cùm eclypsi contraria sit omninò solis & lunæ constitutio. Hæc licet certissima & indubia esse dicantur, fallere tamen aliquando possunt; prout istud quidem de Eclpysi fefellit in morte Christi; illud verò de nocte post tot horas, falsum fuit tempore Iosuæ, qua de re sic inquit scriptura. *Impeditus est sol & vna dies facta est quasi duo*; sed & (secundum Augustinum) tempore Ezechiæ Regis, longior solito fuit dies, contra cursum ordinarium syderum. Hæc est ergò alia, priore quidem multò firmior; nonnunquam tamē (licet rarissimè) fallax certitudo & inhæsitatio, & quæ illam consequitur fides, vel spes potiùs. At verò est tertia longè his excellentior, & firmior, quæ omnem penitùs aufert hæsitationem, omnemq; contrarii formidinem. Talis est, inhæsitanter credere, Deum esse, verbum carnem assumpsisse, futuram resurrectionem mortuorum, Iesum Christum venturum, & iudicaturum viuos & mortuos, & his similia. Quæ quidem certitudo soli tantum diuinitùs nobis infusæ fidei, conuenit; priores verò duas (& his similes) spes etiam

Maior.

Ma: 27. 45

Ios: 10 12.

Eccl: 46. 5
4. Reg. 20 10. 2. Par. 32. 24. Au. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 8.

Maxima.

Certitudo fidei.

Certitudo præsumptionis. etiam habere potest. Quare (vt finiamus) de salute animæ ordinariè crederè ac ita certum esse, vt omnem hæsitationem ac metũ excludas; nec fidei, nec spei, sed peccati præsumptionis actus est proprius: Sperare autẽ salutem, & tamen luxuriosè & impiè viuere, spes quidem esse poterit, sed erit spes informis, & quæ ad salutem non conducit. Conducit autem ad salutem, estq; spes vera & viua, *sobriè, & piè, & iustè viuendo in hoc sæculo, expectare beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* Id enim totidem verbis expressit Apostolus. Habetq; spes ista in aliquibus minorem, in aliis maiorem certitudinem, firmitatem, & inhæsitantiam, secundum datam similitudinem; nunquam tamen talem, qualem habet fides, nisi cui id particulariter reuelatum esset; tunc enim absq; vlla hæsitatione, metu, & timore id credere posset, sicut antea diximus, & exempla attulimus. Sed quia multùm verbis leprosi occupati fuimus (vt spero non infructuosè) in aliis breuiores nos esse oportebit. Dicit igitur Euangelista, quòd audita hac oratione.

Certitudo spei informis. — *Tim: 2. 12.* — Certitudo viuæ spei. — *Dom. 1. et 2. Aduen. con. 3.*

Cur Christ⁹ tangat. EXTENDENS IESVS MANVM TETIGIT EVM. Cur tangit leprosum, quod fieri lege erat prohibitum? Varii varias adferunt rationes: hæ breuiter sufficiant. Tangit
1. vt ostẽdat se esse supra legem; vt insinuat quo
2. modo expansis in cruce manibus genus humanum

manum perfectè sanaturus sit; vt carnem suam viuam, veram, & viuificantem esse demõstret; vt nos doceat, ad opera misericordiæ manus nostras & impigrè, & liberaliter, sicut ipse fecit, extendere. Vnde pulchræ elici possunt doctrinæ. Ex postremis duabus habent Catholici mei: tum consolationem, tum doctrinam. Consolationem quidem aduersus Hæreticos insultantes, & contra Participationem corporis & sanguinis Christi Domini illud blasphemè inculcantes: *Caro non prodest quidquam*. Dicam cum Dauide, quòd *mentita est iniquitas sibi*, dum hæc de carne Christi asserit: Cuius contactus multùm profuit huic leproso, & aliis. Cuius corporis vera & realis participatio in Sacramento, multò etiam plus prodest fidelibus, dignè se ad id præparantibus. Doctrinam verò habent, non solùm quiuis ex plebe; sed etiam Principes, Reges, & Reginæ, non erubescere, nec fastidire propriis etiam manibus ministrare pauperibus infirmis videlicet cibos ad os porrigere, tangere quoque, imò & lauare leprosos, iisq; similes actus perficere. Ecce em̃ *Rex Regum & Dominus Dominantium* qui vno verbo (vt fecit huic seruo Centurionis) imò cogitatu potuit sanare leprosum, tangit tamen fætidum. Cur ergò nos idem prestare verebimur? Fecerũt hoc sanè nõ pauci etiã Reges, Reginæq; & fecerũt magna cũ vtilitate, cùm infirmorũ, pauperumq; quos iuuarunt, imò nonnunquam sanarunt: tum

Margin notes: 3. — 4. — Consolatio contra hereticos. — *Ioã. 6.63.* — *Ps. 26.12.* — Doctrina Catholica. — *Apo: 19.16*

ipſorum propria: multum enĩ ſpiritualis gratiæ inde retulerunt. Imitari ergò illos debemus. Olim enim in veteri lege tangens lepro- ſum immundus erat in corpore, nunc tangẽs, lauans, imò oxoſculans eum, fit mundiſſimus in anima. Quanta huius pro illa lege perfe- ctio, quantum emolumentum. His ergò de cauſis tangit leproſum Chriſtus Dominus.

Differentia veteris & nouę legis.

DICENS VOLO MVNDARE. Quàm humilis, quàm benigna, quàm in verbis tenax, in rebus liberaſſima, reſponſio. Quis nõ mirabitur, quis non deoſculabitur eam? Pro ſex verbis leproſi, ſua reddit Chriſtus Dominus duo tantum, ſed potentiſſima, ſed myſteriis, ſed virtutis pleniſſima. Primùm enĩ hic videre licet illa duo, de quibus non paucis diſſeruimus. Nam cùm inquit; VOLO, voluntatem declarat ſuã; cùm verò ſubdit MVNDARE, poteſtatem demonſtrat. Imperando enim loquitur MVNDARE, id eſt, mundus eſto; atque ita hæc locutio ad primam combinationis ſpeciem reducenda eſt. Deinde humilitatis amator & auctor, virtutem tantoperè ſibi charam, in omnibus factis, dictiſq; ſuis demonſtrat. Verbis infirmi, verba ſua accomodat, vt nos infirmitati pauperum condeſcendere doceat, non quærit ſeſquipedalia verba, vt hoc quoque vitii genus à nobis arceat. Denique cùm inquit, VOLO, omnẽ dubitationem, & timorem leproſi è medio tollit, noſq; inſtruit velle, cùm poſſis, omnibus bene-

Reſponſio Chriſti.

Sapientiſsima.

Humillima.

Conſo'atoria.

benefacere: Cũm autem addit MVNDARE, Efficax.
& fidem firmat Catholicam, & inefficacem in nobis iugulat voluntatem, (seu velleitatem) ſequitur enim:

ET CONFESTIM MVNDATA EST LEPRA EIVS. Idcircò tu quoque, ne differas, Docens, &c.
nec procraſtines, ſed quicquid beneficii proximo potes, & vis exhibere, CONFESTIM exemplo Chriſti facias. Et quia Chriſtũ Deum in eo imitari non vales, vt ſtatim ſequatur effectus; ſicut hic eodem momento mundatio eſt ſubſequuta, imitare in eo, vt illicò labori te accingas, & manus pio applices operi. Sed & fides Catholica verbis iſtis valdè confirmatur. Fidem Catholicã firmans.
Nos enim Catholici, ſicut firma fide credimus verbulum illud, MVNDARE, Ma: 26.26
perfectam leproſo dediſſe ſanitatem: ita eadẽ fide tenemus, verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti Domini, ſub ſpeciebus panis & vini indubiè cauſare. Vtrumq; enim Chriſtus Ieſus protulit, vtrumq; *os Domini* omnipotentis *locutum eſt.* Conſolamini igitur Catholici mei, in verbo Iſa. 1. 20.
iſto; qui verò aberraſtis, obſecro cõuertimini. Omnes verò, in omnibus operibus miſericordiæ quæcunque facimus, audiamus quod ſequitur.

ET AIT ILLI IESVS, VIDE NEMINI DIXERIS: Propter nos enim, non propter ſeipſum, hæc verba protulit Chriſtus; vt in bonis operibus, quæ operamur, fugere nos Aliud dictũ Chriſti.

Laudes profligat proprias.

vanam gloriam doceat. Si enim is, in quem nihil tale cadere potuit, hæc est prolocutus, quid nos ad quamuis vanæ gloriæ auram pronissimi, facere debemus? Iugulat enim author & amator humilitatis Christus Iesus, affectũ illum inordinatum in nobis, quo siue opera nostra bona (minuta licet, ac proinde modica laude digna) siue beneficia aliis præstita, non solùm ab hominibus laudari volumus: sed quod multò est turpius, ipsi ea plenis buccis referimus, & prædicamus; Immemores eius, quod inquit Sapiens: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*: multò magis autẽ im̃emores illius, quod dicit hîc Christus, qui neq; ab aliẽo ore laudari voluit Hæc est perfectio Christiana, hæc charissima Deo virtus, quam multi secuti, pauci verò assecuti fuêre. Idcircò non immeritò hanc præ ceteris omnibus in Hilarione Sancto, & ipse Sanctus admiratus est Hieronymus. Sed inquies, quòd nihilominùs sciebatur, hunc leprosum fuisse à Christo Iesu sanatũ seu mundatum. Sciebatur sanè, & ita sciebatur, vt etiã nunc post mille & penè sexcentos annos, sciatur. Nec sufficiebat, vt vnus Euangelista id notaret, tres omninò hanc historiam conscripserunt; ac proinde satis insinuarunt, magnũ hic latere mysterium. Nos aliis ad aliud tempus reiectis (non soli enim leproso id Christus prohibuit) in ea quam cœpimus, & quæ sanctis est vsitata persistamus ratione. Prohibitum

Imò & alienas. *Pro. 27. 2.*

Promulgãtur tamèn. *Hieron. in Vita D. Hilario.*

bitum videlicet esse à Christo Dñino, ne hoc factum publicaretur, vt nos in humilitate instrueremur; promulgatum tamen nihilominus fuisse: Primùm quidem ab ipso leproso, postea verò ab Euangelistis; *vt glorificetur Pater æternus*, *qui in cælis est*, vtq; sit exemplum ædificandi alios. Optimè enim quidã inquit: Docuit, vt sui in magnis latere velint; sed vt prosint aliis, prodantur inuiti. Prout Hilarionem illum gloriam fugientem per totum terrarum orbem, inuitum prodebant etiam ipsi dæmones, sic volente Deo. Quare si tu cùm quidpiam agis boni, teipsum prodis, vt honori consulas tuo, male facis: quòd si tu latere velles, sed proderis, optime fit; sic volente & exemplum dante Christo Deo. Hoc ergò est quod prohibet Christus Iesus. Sed est aliud quod fieri iubet. Ait enim.

Cur. *Mat: 1. 45* *Mat: 5. 16*

Regula. Exẽp. Hilar.

SED VADE OSTENDE TE SACERDOTI. Illo dicto vanam gloriam fugere; hoc verò obedientiã etiam amplecti, & tam hoc, quàm illo humilitatem nos edocet consectari. Adhibet enim medicus sapientissimus verbis istis remedium illi vulneri, & affectui malè ordinato, (quia ex eodem superbiæ fonte procedunt) quo viri etiã spirituales laborare solent, qui nonnunquam in concionando, & aliis quæ faciunt operibus piis, subdi ordinariis, quos vocant, & cum eorum consensu id facere, vel contemnunt, vel negligunt. Verùm non ita amator ordinis Christus Dñinus, qui

Tertium dictum Christi docet.

1. Deferre ordinarijs.

non modò curatum à lepra remittit ad ordinarium sed etiam iubet, dicens:

2. Obedire superiori vt Deo.

ET OFFER MVNVS, QVOD PRÆCEPIT MOSES. Cur autem Mosis, & non Dei potiùs facit mentionem cùm pręceptum hoc Dei fuerit? Inter alia; vt continuet, quam cæpit doctrinã de humilitate, nòsq; doceat pręcepta superiorum, pręcepta esse diuina. Sicut enim certò nobis constat, pręceptum istud Moysis diuinum fuisse, quia id in scriptura exprimitur; ita constare debet idem nunc fieri, etiã si non exprimatur [dummodò Deo contraria non pręcipiat homo] vt optimè D. Bernardus monet. Itaq; modis variis amator humilitatis docet nos omnes humilitatẽ, & eius pedissequam obedientiam. Sed & alia ratio datur, cur munus hoc pręceperit offerre: Ait enim, vt sit.

Bernar: in tract. de pcepto & dispensat.

3. Testimoniũ triplex.

IN TESTIMONIVM ILLIS, Sacerdotibus videlicet. Quibus in duplex vel triplex hoc factum est testimonium. Primùm, Christum Iesum legẽ Moysis obseruasse, imò non solum obseruasse; sed etiam aliis, vt seruaretur pręcepisse. Secundò, vt ipsi essent testes, hunc leprosum verè curatũ fuisse, & hoc nomine munus ab eo accepisse. Tertiò, vt esset in testimonium illis, in die extremi iudicii, vel fidei, vel perfidiæ eorum. Fidei quidem paucis, qui his miraculis permoti, in Christum crediderunt, vt Nicodemus, vt Gamaliel. Infidelitatis verò reliquis, qui quoniã obstinati perman-

manse-

manserunt, iustas æternæ damnationis pænas incurrerunt. Quod & nos obsecro considerémus, certoq; nobis persuadeãus, sicut Iudęos ita omnes impios, & in peccatis obstinatos, in illa die proprio testimonio condemnatum iri, ac proinde, ne ex eorum simus numero, efficax remedium adhibere studeamus. 4. Meditari iudicium.

Quod quidem remediũ ad curanda omnia vulnera nostra, & ad omnem lepram spiritualem emundandam indeq; spem in nobis erigendã, non est aliud aut prefectius, aut efficacius peccantibus nobis post baptismũ, quam Sacramentũ pænitentiæ; cuius in hæc leprosi curatione, eximium sanè typum habemus. In curatione huius leprosi est.

Tres enim esse partes pænitentiæ, norunt Catholici, quibus si Sacerdotis absolutio accesserit, Sacramentum perficitur. Horum omniũ hîc effigiem habemus singularem: Etenim doluisse leprosum istum, abominatumq; esse hanc infirmitatem suam, quis dubitare poterit? accedit oris confessio, deprecationi coniuncta; quam sequitur emundatio, peracta verbis illis. Christi Domini, VOLO, MVNDARE. Adiungitur deniq; satisfactio, dudum diuina lege sancita. Nonne videtis quomodo in curatione lepræ spiritualis in nouo testamento hæc spiritualiter implentur omnia? Vbi imprimis præcedit dolor, & abominatio, cordisque contritio de peccatis, quæ patrauimus, & per quæ lepram animæ incurrimus: deinde, accedit oris confessio facta coram Sacerdote Typ' Sacramenti pœnitentiæ.

cerdote vicem Christi gerente, cum humili deprecatione, vt à peccatis soluamur; quàm emundatio consequitur verbis illis: Ego te absoluo: adiuncta tamen pænitentia, siue satis factione, pro qualitate criminis, ab eodem, cui hoc Christus commisit Sacerdote demandata. Quæ omnia procuranda à nobis & diligenter, & frequenter erunt: frequenter enim diuinam bonitatem offendimus omnes, ac proinde frequenter etiam ad remediũ recurrere debemus omnes. Quam ad rem alacrius prestandam, & viuam spem in nobis excitandum, iuuabit multum si tam ea, quæ in hac concione diximus, quam dicta factaq; Christi, ob oculos mentis nostræ, nobis proposuerimus, iugique memoria meditati fuerimus.

Quod frequẽtandũ.

Quare danda est inprimis opera, vt tribus illis, quæ in omni opere humanè requiruntur; nempe scire, velle, & posse vtamur benè. Quod fiet, si quæ vtilia quæue sint nociua nobis, nouerimus; si quæcunq; possumus operabimur bona: si denique quæ recta sint sectari, quæ verò iniqua fugere diligenter, efficaciter voluerimus, & satagemus. Deinde in eam incumbemus curam, vt fructuosè contemplantes diuinas illas combinationes, non solum nõ impediamus, sed etiam procuremus, vt ea quæ vult Deus, possit in nobis perficere: nempè, possit dare salutem animabus nostris. Propterea operam dabimus, vt petamus à Christo Domino, temporalia quidem dona & bene-

Media ad spem excitandam & sũma dictorum.

1.

2.

3.

&beneficia ſub conditione; ſpiritualia vero abſolutè; cum ea certitudine & non hæſitatione, quæ non Hæreticis, vel impiis, ſed piis competit Catholicis. Non prætermittemus 4.
inſuper, quin & Chriſtus Dominus nos viuifica carne ſua in Sacramento tangat; & nos viciſſim propter amorem ipſius, tangamus, & iuuemus pauperes, propriis etiam manibus,
prout exemplo Chriſti multi Reges ac Prin- 5.
cipes fecerunt viri, fæminæq́;. Ante omnia autem conſiderabimus tria, quę hîc protulit verba Chriſtus Dominus omni admiratione, laude, ac imitatione (quantum in nobis eſt) digniſſima. Primùm enim illud VOLO MVNDARE, plenũ eſt miſericordia; alterum VIDE NEMINI DIXERIS, plenum eſt manſuetudine: tertium VADE &c. plenum eſt obedientia; omnia autem pleniſſima ſunt humilitate, quæ in dictis ſingulis magis magisq́; declaratur & creſcit. O vtinam hæc vt par eſt & cogitemus, & imitemur omnes, quàm eximia ſpei eſſent in nobis argumenta! Spei inquam veræ, & viuæ, quæ non confundit. Impiorum enim cùm Catholicorum, tum verò Hęreticorum fiduciæ, plenę confuſionis ſunt, quia non pia ſpe, ſed impia præſumptione referte reperiuntur. Denique tum hæc, quæ iam 6.
percurrimus tum ceremoniam illam, qua leproſus iſte ſanatus fuit velim, vt ſagaci perpẽdamus mente dilectiſſimi. Nam quod dicitur *extendiſſe Ieſus manum ſuam*, multa equidem

in ſe

Ma: 14.31 in se continet mysteria: quorum illud primū est, quòd postmodùm in cruce peregit, vbi nō iam sine labore vt hîc, & alibi; sed cum summis doloribus, & angustiis extendit manus suas, non alia vt scitis de causa, nisi vt nos à peccatis, lepraq; spirituali emundaret, Patriq; suo æterno reconciliaret, ac contra omnes diabolicos tueretur incursus. Ad hoc igitur vnicum salutis nostræ refugium, ad hanc spei nostræ anchoram, sub alas inquam, id est, manus illas sanctissimas recurramus obsecro, tantò alacrius, quantò & maiora ac meliora, quā leprosus iste de Christo sentimus, credimusq; & non iam corporis, quod corrumpitur; sed animæ, quæ semper manet, salutem, & emūdationem requîrimus. Extendit, expanditque Christus Iesus manus suas in ara crucis, tum vt nos amplexetur; & complectendo, gratia sua; eos quidem qui ex gratia ipsius exciderunt iustificaret; illos verò qui in illa perseuerant, donis vberioribus oneret: tum vt nos æstibus concupiscentiarum ardentes refrigeret: tum vt sicut gallina pullos, contra omnes insultus inimici alis suis, ad se recurrentes, protegat. Quid ergò venire recusamus, vel tardamus? Ne per Deum immortalem procrastinemus: sed quemadmodum nemo est nostrum, qui hiscè non indigeat auxiliis, ita sit nemo, qui ea nō requirat, tū per sanctissimorū frequentē vsū Sacramētorū, tū per alia pia exercitia, & sedulas orationes. Ac proinde imitantes leprosum

Conclusio per exhortationem.

prosum istum longè etiam maior quàm ipse, cum fiducia, accedamus & dicamus. O Christe Iesu piissime, & benignissime, qui, vt nos à lepra spirituali emundares, manus tuas in ara crucis, summis cum doloribus extendere voluisti: ecce ego fætidam, sordidamq; leprã cordis mei, non solùm apud te, qui nosti omnia; sed etiam coram Sacerdote tuo, iussu & instituto tuo, prodo, aperio, accuso. Peccaui Domine, & malum coram te feci, peccaui in te, & iniquitates meæ contaminarunt animam meam; peccaui, nec est alius vel in cælo sursum, vel in terra deorsum, qui emundare me ab his possit maculis præter te vnicum Saluatorem, & curatorem meum: ad te igitur venio, ad te recurro, quem credo non solùm posse, sed etiam velle me mundare, nõ solum per temetipsum, sed etiam per Sacerdotes tuos. Munda igitur, munda me obsecro ab omnibus flagitiorum, & peccatorum meorum sordibus: & mundatum mundum vsque in finem conserua, vt mundo corde te hîc, & in æternum laudare, & glorificare valeam: qui cum Patre in vnitate Spiritus sancti viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Am̃. Et oratione

---

CONCIO QVARTA Charitas.

EVANG: DE CENTVR: HVMILITAS. EVCHARISTIA.

Cum autem introiſſet Capharnaum &c.

Humilitas ancilla Charitatis.

HVmilitatem indiuiduam eſſe Charitatis pediſſequam, ita vt qui vnam habeat, eum alteram habere neceſſe ſit; & ex me iam antea audiuiſtis, & ipſa ratione, experientiaq; duce in vobis metipſis (prout opto, ſperoq; didiciſtis. De vtraq; igitur nobis, in concione iſta agendum erit; quia vtriusque in Euangelio hodierno excellẽtiſſima ſanè, tum documenta, tum exempla viſuntur. Præ aliis autem in vtroq; miraculo elucet humilitas: In primo etenim videmus humilem leproſi adorationem, ita vt teſte Luca prociderit in faciem ſuam ante Chriſtum; humilem quoq; ipſius petitionem: ſed & non minus humilẽ Chriſti Ieſu reſponſionem, duobus conſtantẽ verbis; humiliorem verò prohibitionem, ne miraculum euulgaret leproſus; humillimam autem animi ſubmiſſionem, qua incitatus is, qui ſupra omnem legem fuit, ac vniuerſos ſuperabat Sacerdotes, & legi Moyſis, & ſacerdotibus eius defert plurimùm. Neq; minor in altera Euangelii parte emicat humilitas, ita vt in illa creator cum creatura, Chriſtus Ieſus cum Centurione homine gentili, certare humilitate mihi videatur.

Quinq; eius argumenta.

Luc: 5. 12.

PROP. De centurione agendum & Euchariſtia.

Quare cùm iam in altera concione leproſi à Chriſto Domino mundati hiſtoriam (quantum conceſſit Deus) expediuerimus, in hac aliud miraculum pertractandum, & excutiendum

endum erit nobis. Quod dũ facimus has duas in primis virtutes, charitatis vidilicet, & humilitatis considerabimus, & per eas ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, (cuius hic aliquem typum habemus) nos preparare studebimus. Fac Christe Iesu, vt hæc ita perpendamus, quo ad participandum preciosissimum & viuificum corpus & sanguinẽ tuum, ex indignis digni per te effici mereamur.

Non adeò obscurum esse videtur, per duo hæc miracula, quæ in hodierno Euangelio describuntur, duo illa Sacramẽta denotari, quæ in frequenti sunt vsu apud pios Catholicos; pænitentiæ videlicet, & Eucharistiæ: Illud enim leprosi emundatio; hoc pueri Centurionis à paralysi curatio, nobis adumbrare videtur: quod & ipsa Ecclesia non diffitetur. Nam leprosi, emundationem pænitentiæ figuram gerere iam demonstrauimus ex vsu, sancitisq; ipsius. Verbis verò huius Centurionis (vt nostis) vtitur Ecclesia quando fideles filii eius, ad hoc Sanctissimum Sacramentum iam iam sunt accessuri. Quapropter nos quoque matrem nostrã imitantes, cùm de leprosi tam corporalis, quam spiritualis emundatione bina iam concione, satis copiosè egerimus, nunc de altero dißeremus. Vbi illud imprimis notandum occurrit, Optimè precessisse leprosi mundationem, Centurionis orationem, vt noris, sine lepræ spiritualis, quæ per peccatum mortale contrahitur, emundatione

Duo isti, duo Sacramenta denotant.

Leprosus pænitentiæ.

In concione secunda

Centurio Eucharistiæ

Leprosus cũ pænitentia precedit

(quod fit per Sacramentum pænitentiæ) ad Sacram Euchariſtiam accedendum non eſſe: Hoc enim Patres in concilio æcumenico Tridentini legitimè congregato, in Spiritu S. non minus ſalubriter quàm diligenter, & monuerunt, & fieri præceperunt. Sed iam ad hiſtoriam veniamus. Itaq; poſteaquam in ciuitate vel oppido quodam Galileæ, (quod non nominatur) Chriſtus Ieſus à lepra emundaſſet hominē, iter quo pergebat, nempe Capharnaum verſus, continuabat.

Cōcil: Tri: Seſ: 14. Cap: 7.

Mora Chriſti in Capharnaum prędicatores inſtruit.

CVM AVTEM INTROIISSET CAPHARNAVM, quo frequenter ventitabat, & morabatur, tum propter alias cauſas & myſteria ipſi ſoli, vel iis quibus Ieſus reuelare voluerit, cognita: tum etiam ideò, quia Capharnaum erat ciuitas maritima, ad mare Galileæ ſita mercibus, ac mercatoribus, ideoq; frequentia hominium celebris, ac proinde válde ad prędicandum in ea Euangelium apta. Inde enim, vnâ cum terrenis mercibus merces ſpirituales, quas Chriſtus Dominus gratis, & liberaliter illis offerebat, per totam Iudæam, Galilęam, & Samariam deferebantur; & Euangelium per eos, qui illud eo loci audiebant, diſſeminabatur. Pulchrū prędicatoribus verbi diuini exemplum, ſicut alias diximus. Cùm ergò Chriſtus Ieſus introire cæpiſſet Capharnaum, famaq; aduentus ipſius percrebuiſſet, & ad aures Centurionis cuiuſdam gentilis, qui ciuitatem illā cum aliis militibus cuſtodiebat, per-

Hiſtoria de Centurione qui.

uenisset; is verò haberet seruum, *qui erat moriturus, quiq; illi erat preciosus; misit ad Iesum Seniores Iudæorum.* D. Lucas enim testatur, Centurionem istum non vnam, sed duas legationes ad Christum Dominum expediuisse. Primam quidem hanc, quam diximus, Iudæorũ, *rogans Iesum vt veniret, & Saluaret seruum eius.* In qua quidem legatione Iudæi egregiè se gesserunt. Nam *cum venissent ad Iesum rogabant eũ sollicitè dicẽtes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem*, tanquam misericors & pius pater *ibat cum illis*. Quod cùm intellexisset Centurio; & Christus Dominus *iam non longè esset à domo* ipsius, aliud illi in mentem venit, ne videlicet turbaretur dominus, ideò alteram ad Iesum expediuit legationem, & *misit ad eum amicos suos* (quos probabile est gentiles quoq; fuisse) rogans & dicens: *Domine noli vexari. Non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres: propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te.* Verùm animaduertẽs fortè quod nihilominus pergeret Christus in ædes suas eadem humilitate, qua antea, ire recusabat, iam impulsus, mutata sententia, obuiam procedit Christo Domino. Itaque vt inquit noster Euangelista.

Primũ mittit Iuæos. *Luc: 7. 8*

Deinde amicos suos.

Tandẽ ipse venit.

Accessit ad eum Centvrio ipse per se: Id enim videtur probabilius, cùm propter Matthæum; tum propter ea, quę subsequuta sunt, de quibus paulò post. Accessit autem ad Iesum:

Paralysis grauitatem explicat. ROGANS EVM; ET DICENS: DOMINE PVER MEVS IACET IN DOMO PARALYTICVS. Illa videlicet paralysi, & membrorum dissolutione correptus, quæ citò enecare solet homines. Ideò subiungit:

ET MALE TORQVETVR. Tam malè autem habebat, vt vicinus esset morti, teste altero Euangelista. Duo enim hanc historiam conscripserunt. Nam quod Ioannes hũc Centuronem Regulum vocet, nõ habet probabilitatem vllam. Hæc igitur fuit Centurionis oratio, breuis, humilis, modesta: neq; enim petit, sed tãtum necessitatem proponit; neque vrget rationibus, vt Iudæi fecerant, sed liberum. Christo relinquit, sanare vel non sanare puerum. Saluator verò quid?

Luc: 7. 2.
Ioan: 4. 46
Humiliterque orat.

ET AIT ILLI IESVS, EGO VENIAM ET CVRABO EVM. Mira diuinæ sapientiæ dispositio, mira Christi Domini opera. Ad seruum Centurionis iturum se, & curaturum illum promittit; licet non solum nõ rogaretur, sed etiam prohiberetur; ad filium verò Reguli inuitatus, rogatus, instigatus à patrẽ, vt quàm primum veniret, ire tamen recusat. Quid est hoc rei obsecro? Ibi Regulus, hic Centurio? ibi filius. hic seruus: ibi vrgetur, vt veniat, hic prohibetur ne eat? Et tamen fit contrarium? Duabus (vt cæteras omittam) de causis id facit. Primũm enim vt medicus peritissimus; qui non ad curãda cor-

Christus ire vult ad seruum.
Ioan: 4. 50
Ad Regulũ recusat.
Tanquam medicus.

pora,

pora, sed ad sanandas, saluandasq; animas venerat, institutum prosequitur suum, ac proinde vt & Reguli, & filii, & omnium domesticorum eius incredulitatem è medio tollat (quod & factum est) ire ad eum noluit: ad seruum verò Centurionis vltrò aduentum suũ pollicetur, vt præcellentẽ illã confessionẽ fidei, quę in corde Centurionis latuit (Christum verò Dominum minimè latuit) ex ore ipsius eliceret; qua & Iudæos sibi aduersantes confunderet, & omnes quid sibi esset charũ doceret. Deinde, cùm alios omnes, tum verò homines spirituales facto isto instruere voluit, nihil ambitiosè agere, respectus humanos nõ curare, maiorẽ diuinũ honorẽ in omnibus quærere, necessitatibus proximi, non pro personę dignitate, sed pro rei exigẽtia in charitate prouidere, atque per omnia, humilitati actibusq; ipsius diligenter studere: quæ omnia in hoc Christi facto valde excellenter expressa habemus. Sed iam videamus quidnam Centurio respondeat, ad hanc à Christo Domino liberaliter factam, aduentus sui oblationem.

Tanquã virtutũ doctor.

ET RESPONDENS CENTVRIO AIT: repetens verba quæ per amicos transmiserat, & plura addens, ac dicens:

DOMINE NON SVM DIGNVS VT INTRES SVB TECTVM MEVM, id est, vt venias in domũ meam. Magnus humilitatis actus; sed non minor est fidei, & fiduciæ, qui sequitur, cùm inquit: SED

Centturio vrget necat, plenus, Humilitate.

SED TANTVM DIC VERBO. Estq; phrasis Hebræa; quasi dicat; impera tantùm vno verbo, iube licet absens, quamuis longè ab ægro distans, tamen si iusseris credo quod:

Fide — ET SANABITVR PVER MEVS. Ad imperium, & ad nutum tuum. Præclara fides, ore Christi paulò post laudata, præclara & spes ac fiducia. Fides quidem qua credidit, Christum absentem potuisse puerum curare.

Spe — Fiducia verò, qua sperat id illum facturum.

Dilectione. — Neq; verò Centurioni huic dilectio & amor erga Christum Dominum, à quo tanta & talia sperabat, deesse poterat. Quæ quidem omnia

Ideo conuersus credit. — dispositiones erant præclarissimè ad eam, quã à Christo adeptus creditur, non solùm puero corporis sanitatem; sed etiam sibi animæ salutem. Centurionem enim istum in Iesum Christum credidisse; fuisseq; aut ex primis, aut simpliciter primum, qui ex Gentilibus Christo prædicante conuersi sunt, vix cuipiam in dubitationem venire potest.

Difficultates soluũtur — Cæterùm antequam in explicatione textus Euangelii vlteriùs progrediamur; duo quę circa cõcordiam Euangelistarum occurrunt dubia, & quæ ita quosdam ex antiquis torserunt,

1. Eandẽ esse historiam. — vt crederent, aliam historiam Matthęum, aliam verò Lucam conscripsisse, nobis, dissoluenda erunt. Quod ex iam dictis non erit adeò factu difficile. Ordo eñ, quem descripsimus, & modus quo hæc acta sunt, vtriusq; difficultatis resolutionem nobis ante oculos ponũt.

Quarum

Quarum prima eſt. Quomodo Cēturio per Iudæos Chriſtum rogaſſe dicitur, *vt veniret & ſaluaret ſeruum eius* cùm idem Centurio, tum per amicos, tum per ſeipſum roget, ne veniat; indignum ſe pręſentia Chriſti in domo ſua reputans? Neque aliud, meo iudicio, reſponderi melius poteſt, quàm quod in recitatione hiſtoriæ dictum eſt; Centurionem mutaſſe (quod dicitur) ſententiam; nam cùm in principiò deſideraſſet, vt Chriſtus in domum ipſius veniret, ægrumq́; ſanaret; eoq́; nomine miſiſſet ad illum ſeniores Iudæorum; indignum ſe reputans, vt ipſe per ſe cùm gentilis eſſet, Chriſtum talem tantumq́; Iudæorum Prophetam conueniret, & rogaret: poſtea tamen Iudæis diſcedentibus, re melius conſiderata, vel potius (vt reor) Deo inſpirante, indignū ſe eſſe arbitratus eſt, non ſolùm vt ipſe interceſſor pro ſeruo ad Chriſtum iret, ſed etiam vt Chriſtus ad ipſum veniret: atque ideò iterum alios nuntios amicos ſuos ad Ieſum miſit; ac tandem magna illa humilitate, qua abiectè de ſeipſo ſentiens, tanquam de homine gentili, qualem Iudæi abominari ſolebant, impulſus & coactus ipſe perrexit; non tam vt pro ſeruo intercederet, quàm vt aduentum in ædes ſuas Chriſti Domini impediret. Ita res iſta omninò acta eſſe videtur: & hac ratione optimè difficultas illa, & contrarietas tollitur, qua non ſolùm duo Euangeliſtæ, ſed ipſe Lucas ſecum pugnare videretur. Etenim

2. Centurionem bis ſententiam mutaſſe. *Luc.* 7. 3.

3. Lucā ſibi non contradixiſſe.

verba illa, *vt veniret & saluaret seruum eius*: non sunt verba Iudæorum, sed sunt ipsius Lucæ, qui asserit, cum hac legatione Centurionem Seniores Iudęorum ad Christum expediuisse.

4. Centurionē ipsum ad Christū venisse.

Hinc & altera dissoluitur quæstio, nempe, an ipse Centurio per se Christum cōuenerit necne? Quamuis enim D. Augustinus asserat, Centurionem per Iudæos, & amicos suos, hanc legationem expediuisse: tamen cùm & Augustinus contrarium non improbet; & alii Sancti (præsertim D. Chrysostomus) affirment, ipsum Centurionem Christum Dominum adiisse; & quod caput est, hac ratione melius Euangelistæ in concordiam redigantur; id omninò videtur esse asserendum. Nam verba sequentia tum Centurionis, tum Christi Domini, id sibi volunt. Difficile etenim est intellectu, quonam modo replica illa, data ad responsum Christi, vel ab amicis Centurionis excogitari, vel à Centurione amicis suppeditari potuerit, cùm is ignoraret, quodnam responsum, Christus Dominus daturus esset. Dicendum igitur est potiùs: Centurionem magna cum deliberatione, ipsum per se, eam protulisse: quod & responsum Christi comprobat. Hæc paulò copiosiùs: tum propter studiosos literarum sacrarum, qui nunquam in nostris desunt concionibus; tum quòd nostri sit instituti, difficultates circa Euangelium occurrentes dissoluere potiùs pro ingenii nostri tenuitate, quàm dissimulare.

Chrys. hō: 27.

Verùm

Verùm non desunt quoq; circa ea, quæ dicta sunt doctrinæ morales & præclaræ, & huic concioni, personisq; spiritualibus inprimis accommodatæ. Primùm enim docemur, nõ vsq; àDeò firmiter atq; pertinaciter in hęrescẽdum esse semel susceptæ sententiæ, & proposito nostro. (sicut quidam solent amori & iudicio proprio nimium addicti) quin illud deseramus, si aut melius quid agendum ratio doceat; aut honesta proximi petitio id ipsum exigat. Vtriusq; hîc eximium habemus exemplum. Prioris quidem prębet Centurio, quẽ duce humilitate, non semel, sed bis sententiam suam immutasse, Christoq; gratum id accidisse, animaduertimus. Posterioris verò ipse Christus Iesus normam tradidit, quando propositum suum, in domum Centurionis veniendi, propter preces ipsius deseruit. Idem igitur nos quoq; faciamus, ne pertinatiæ vitium incurramus. Deinde instruimur, quomodo in virtutibus progredi nos oporteat: Sicut enim impii, semper magis magisq; in vitia ruunt, & in singulis etiam peccatis altius immerguntur: ita pii, & perfectionis cupidi, gradum in virtutibus facere consueuerunt. Quemadmodum in hoc Centurionis facto satis liquet, quem videmus, ita in humilitate progredi, vt posteriores ipsius actus, semper sint prioribus perfectiores. Egregium cùm Christianis omnibus, tum personis spiritualibus documentum, ne ab homine gentili

Doctrinæ morales.

1. Mutandũ esse ꝓpositũ

Tum ꝓpter rationem.

Tum ob petitionem.

2. In virtutibus progrediendum.

3. Hũilitate Certandum
NOTA

gentili superari se patiantur. Sed & illud, quod in principio notauimus, clarè hîc videmus; nempe, quonam modo creatura cum creatore; Cēturio cum Iesu, humilitate certent. Etenim Centurio indignum se reputans, qui ad Christum accederet, pro seruo intercessurus; Iudæos ad illum mittit: Christus verò ad ædes & aspectum eius, puerique illius ipse venire properat. Rursum, Centurio indignum se esse arbitratus, ad cuius domum dominus veniret: alios mittit nuntios, rogans ne id faceret. At Christus Iesus eadem instigatus virtute, pergit nihilominus ad Centurionem gentilem, qui ad Regulum Iudæum recusauerat. Vrgetur iam tertiò humilitate Centurio, & ipse obuiam Christo progreditur, persuasurus per se, rationibus additis, & precibus, quod per amicos suos persuadere non potuit. Pulchrum & admirabile spectaculum. Vtinam sicut est mentis nostræ oculis visu delectabile; ita sit omnibus nobis facto ipso imitabile. Miranda sanè concertatio; sed mirandum magis, quod sequitur. Quis enim in hoc vincit certamine? Vincit creatura, superatur creator. Cedit tandem Deus & homo Christus Iesus; neq; vlterius progreditur; sed facit, quæ vult Centurio. O felix pugna, quando creatura pugnat cum Deo humilitate; infælix & deploranda nimis, quando ei resistit per superbiam. Ita corruit Lucifer cum suis: ita Gigantes

4. Hũilitate De' vincitur

tes perierunt; ita omnes damnantur superbi. Non hos igitur, sed Centurionem sequamur dilectissimi; sic enim fiet, vt vincamus inuincibilem, & victum tenebimus, neq; dimittemus eum, donec benedicat nobis. Nota est enim nobis historia Patriarchæ Iacobi, luctãtis cum Deo: scitote, quòd non alia, quàm hac virtute, humilitate inquam, & eius pedissequa obedientia pugnauit, *contra Deum fortis fuit*, præualuit, tenuit, nec dimisit illũ, *donec benedixit ei in eodem loco.* Quid enim aliud spirant verba illa eiusdem Iacobi in oratione ad Deum dicentis. *Domine qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi*; quam obedientiam? quam humilitatem? Idem enim est, ac si diceret; humiliaui ego me, ô Deus, in conspectu tuo, & feci, quod præceperas mihi; fac igitur tu quoq;, quod promisisti, & benefacias, benedicasq; mihi. Neq; spes fefellit Iacobum, & nos non fallet; si tam illum, quàm Centurionem istum imitari studuerimus. Verùm videamus iam hanc admirabilem victoriam, in ipsa sacra historia descriptam. Itaq; postquam Centurio declarasset fidem, & fiduciam suam, petissetq: ne in domum ipsius veniret Christus; sed absens imperaret puero sanitatem, hoc ipsum sui exemplo persuadere Christo conatur, cum inquit.

Gen: 32. 24

5. Hũilitate cogitur ad benedicẽdũ

Gen: 32. 9.

NAM ET EGO HOMO SVM SVB POTESTATE CONSTITVTVS. Ac si diceret,

ret, habeo & ego ſupra me alios ſuperiores. Chiliarchos videlicet, Duces, Imperatores; quibus etiam obedire ſtudeo: ſed habeo interim alios, quibus ipſe præſum, eosq; duplices, nempe milites, quos politicè rego; & ſeruos, quibus deſpoticè impero. Atque ideò.

HABENS SVB ME MILITES, qui natura ſua, ad officia præſtanda non ſolent eſſe adeò obedientes. Nihilominùs quando:

DICO HVIC VADE; ET VADIT, ET ALII VENI, ET VENIT, ſuntque mihi in iis, quæ ſeruitutem non redolent, obedientes; & iuſſa mea honorifica, non grauatè perficiunt. At verò quãdo impero, & dico

Cẽturionis oratio Chriſtũ Deũ eſſe probat.

SERVO MEO, FAC HOC. ET FACIT. Exequiturq; omnia etiã ſeruilia, & quæuis alia opera. Hæc eſt Centurionis ratio, & oratio, carens vt videtis cõcluſione: Sed Chriſto ſapientiſſimo ſatis, imò pluſquàm ſatis dictum fuit. Verùm non ſufficiebat id hominibus impiis, qui vbi poſſunt, & quantum valent, honori Chriſti detrahunt; Hæreticis inquam, tã antiquis Arrianis, quàm nouis Caluinianis. Iſti enim addunt, non Centurionis

Contra hæreticos.

fide plenam, ſed ſuam perfidia refertam complexionem; aſſerentes argumentum eſſe à pari; quod nihil diuinum de Chriſto concludit. Sed hoc falſum eſt, concludit enim à minori ad maius; dupliciter, vel tripliciter, ſic colligens: Primò. Si ego *homo ſub poteſtate conſtitu-*
1. *tus* dominosq; agnoſcens meos, poſſum tamen

men aliquid: quantò magis tu, qui es Deus, & qui nullius dominium agnoſcis; quod voles efficies? Secũdò Si ego, etiam ab illis quibus non omnimodè præſum, obtineo tamen vt veniant, quando à me vocantur; quantò magis tu, cui omnia ad nutum ſubſunt, præſtabis ſi velis quòd peto? Tertiò: Si ego, dum ſeruo meo quiduis operis impero; per ſeruũ, quod volo perficio: quãtò magis tu, qui nullius creaturæ opera indiges, etiam corpore abſens, ſi tibi libitum erit ſanabis, puerum meum? Agnouit igitur gentilis, Chriſtũ eſſe Deum, quem agnoſcere nolunt, qui ſe Chriſtianos nominant, licet non ſint. Quaſi vtrò deſint alia quoque argumenta diuinitatis Chriſti, in Euangelio hodierno. Etenim illa ſententia DICO AVTEM VOBIS, &c Videmus quomodo Chriſtus Dominus nouerat euentura. & cum ſumma authoritare prædicit, longè poſt futura, nempe vt Deus; Diſtribuit etiam ſeſſionem in cælo, cui vult; vt Deus. Sanat abſens puerum, non orando, ſed imperando, vt Deus. Intuetur corda Iudæorum, & fidem eorum, cum fide Centurionis comparat, vt Deus: Quid enim amplius, hac in parte potuit, facere Deus? Deus ergò erat, eſt, & erit Chriſtus Ieſus, inuitis licet & fremẽtibus tum Iudæis, tũ Hæreticis. Hæc pro textus explicatione ad illuſtrandam gloriam Ieſu Chriſti dicta ſunto. Iam videamus quid Chriſtus Dñus, non expectata Centurionis concluſione

Marginalia: 2. (beside "les efficies? Secũdò…"); 3. (beside "ſtabis ſi velis…"); Alia de diuinitate Chriſti argumẽta (beside "nos nominant…"); 4. (beside "ſti, in Euangelio hodierno…"); 5. (beside "tentia DICO AVTEM VOBIS…"); 6. (beside "us. Sanat abſens…"); 7. (beside "imperando, vt Deus…")

clusione & dicat & faciat. Inquit n. Matthæus: Avdiens Avtem Iesvs Miratvs Est. Quomodo miratus, qui omnia sciebat? Admiratio enim ex ignotæ rei cognitione procedere consueuit: Christus autem omnia, quæ in corde Centurionis latebant, optime nouerat? Nouerat sanè, & ita nouerat, vt non solùm antequam dicerentur, sed etiam priusquam cogitarentur, ea nosset; quinimò hæc, & alia omnia bona, in eo creauerat, vt pulchrè D. Augustinus disserit: Miratus est tamen Christus vt homo, quia vt homo, affectus humanos in se suscepit, quorũ vnus est admiratio. Quòd si causa admirationis caruit, non caruit tamen quando voluit, & quomodo ei placuit ipso effectu. Itaq;, vt arbitror, nõ solũ vultũ admirantis induit; sed etiã verè miratus fuit sicut verè erubuit quãuis causa careret, quæ ruborẽ in nobis excitare solet: sicut verè doluit, quãuis esset beatus, cui dolere repugnat; sicut & alia eiusmodi mirabiliter egit. Nõne etiã nos rerũ quas nouimus pulchritudinem; & his similia, miramur nonnunquam? Quantò magis ergò Christus Dominus alias cognita mirari potuit? Prout & fecit, vt Magister virtutum doceret nos: quomodo hoc quoque affectu, bene vti debeamus. Qua de re quia aliâs haud pauca disseruimus, hic ista pauca, sufficiant. Hoc igitur Christus Dominus fecit. Quid verò locutus est? Ait Euangelista:

Christus licet omnia nosset.

Verẽ tñ mirabatur.

Aug. lib: 1 de Genesi cõtra Manicheos cap. 8.

Vt nos doceret.

Dñica infra octauã Nat con: 5.

Et Seqven-

Et Seqventibvs Se Dixit Primùm Apostolos, & Iudæos sequentes se, alloquitur; postea verò Centurionem: & ita sermonem suum, in duas diuidit partes. Apostolos docet, Iudæos terret, gentiles solatur, & mulcet. Eximium tum mysterium, tum doctrina, tum artificiũ; vno dicto multa complecti. Personæ spirituales hæc meditabuntur; quòd dum agunt, & fructus referent vberrimos; & tum in se, tum in aliis, affectus varios excitare satagent. Iam timoris; ne cum Iudæis ingratitudinis ergò condemnentur, tantò acrius, quantò maiora præ illis beneficia hæreditarunt. Iam spei; si em̃ Centurionem imitabuntur, cum Centurione, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & omnibus sanctis recumbent in regno cælorum. Iam amoris, & charitatis: Quis enim tantum benefactorem non amabit, qui non solùm gratis tanta bona promittit; sed etiam tum media ad ea acquirenda ostendit: tum quod maximum est, & quod nemo præter omnipotentem præstare potest, vires etiam ipsas ad ea adipiscenda tribuit? O bonitas immensà! O liberalitas nunquam satis dignis celebranda laudibus! quis te non amabit bone Iesu qui tantopere nos amasti? quis gratiarum actiones te dignas persoluet tibi, qui plura nobis præstas beneficia. quàm non modò lingua disertissimorum exprimere, sed ne mẽs quidem humana assequi possit? Hæc igitur, & his

Dicta sua mirari.

Indeq; affectus pios ex citare.

similia, circa ista Christi dicta, factaq; , & deuota mente contemplabimur, & piis affectibus prosequemur, & quantum in nobis est, purè, & syncrè solius Dei gloriam quærentes, aliis communicabimus. Verùm audiamus iam quidnam dicat Iesus sequentibus se.

Fides Centurionis fidem Iudæorũ superabat.

AMEN DICO VOBIS, inquit, NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL. Comparationem facit inter Israelitas & gentiles; Ideoq; hinc etiam constat, centurionẽ hunc gentilem fuisse. Fides enim illius, fidei omnium Iudæorum opponitur, ab illo, qui corda omnium nouerat, Christo Deo. Sed quid quæso dicemus de fide prophetarum, Ioannis Baptistæ, ipsius quoq; matris Dei, necnon Apostolorum? Nunquid enim fides centurionis omnium istorum fidem superabat? Duo dicere possumus. Alterum, Iesum Christum non loqui, nisi de tempore prædicationis suæ, & ideò inquit, NON INVENI, quasi diceret, ab eo tempore, quo concionando illam quærere cæpi Beata verò Virgo, cum prophetis, & Ioan: Baptista, multò ante maiorem fidem habuerunt; Apostoli autem ab hoc centurione hac in parte forsitan tunc superabantur: notum est enim, principem illorum Petrum, non credentem Christo prædicenti passionem suam dixisse: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*; quod vtiq;, vt arbitror, Centurio iste non dixisset, sed & idẽ Petrus cum aliis rogat, dicens. *Domine adauge nobis*

Obiectio de B. Virgine.

1. Responsio

Mat:16.22
Luc: 17.5.

nobis fidem. Magna igitur Centurionis istius, qui primitias fidei gentium in se gerebat, fuit fides; quam nos ex gentibus conuersi, imitari studeamus. Alterum dicere possumus sermonem hic esse de fide eorum, qui ad Christũ veniebãt, vt curarentur abeo: quorum omnium fidem, & fiduciam, de recipienda sua, suorumue sanitate; fide sua Centurio superabat prout & testis est Christus, & in Regulo, atq; aliis manifestum est. 2.Responsio *Ioã: 4. 46*

Itaq; ex occasione tantæ fidei huius gentilis, erumpit Christus Iesus Dominus noster, in illam sententiã, & prophetiam Iudæis terribilem, gentibus amabilem; & tam Iudæis, quam gentibus conuersis, ad fidem, pieq; in ea viuentibus, salutarem & summa plenissimã lætitia. Certum est enim, non defuturos etiã ex Israëlitis, qui recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: cùm multi Iudæorum fuerint ad Christum conuersi, sed comparatio fit pro maiori parte: Maior enim pars Iudæorum permansit in infidelitate sua; quam tamen iacturam compensatum iri copiosissimè per conuersionem gentilium, prędicit hic Christus, & quod prędixit, effecit: Imò hucusq; non cessat perficere, admirabili sua prouidentia, qua non solum Iudæorum, sed etiam hæreticorum perfidiam, fideli populo aliunde petito, abundè solet sibi resarcire. Res sanè consideratione digna, & pro Catholicis consolatione plena. Videmus enim NOTA Quomodo Christ⁹ sibi compensat. Infidelitatẽ Iudæorum. Perfidiam hæreticorũ.

tot gentes Idololatrię, deditas, omnibus ante sæculis incognitas, à Christo ad gremiũ sponsæ suæ Ecclesiæ aggregari. Videmus paruam istam veræ fidei iacturã, quæ contigit in Germania, Gallia, Belgio, Anglia & aliis insulis vicinis, in nostra quoq; Polonia (quamuis in dies singulos plurimi, Christo sit laus sempiterna conuertantur) abundantissima messe, & longè maiori cũ fænore, resarciri, & compensari; ab iis, qui in remotissimis Orientis, & Occidentis partibus in innumeris abstrusisq; insulis, in prouinciis, & regnis copiosissimis, noui Christiani & Catholici ad Christum accedunt, instruuntur, baptizantur, numero penè innumerabiles, in fide Catholica feruentes, pietate conspicui, spe gaudentes, charitate ardentes. Hæc dum videmus, exultamus in Domino, & gratias, quas possumus, maximas agimus pro diuina & miranda, ipsius prouidẽtia; pro tot fratrum accessione, pro hac quæ subnectitur ipsius Christi Iesu ore prolata prophetia, quam superabundanter, & multò quàm verba sonant copiosius, adimpleri & videmus, & lætamur. Ceterùm quia prophetiam hanc iam aliàs integra concione explicuimus, & inde timorem Sanctum excutere conati sumus, nunc ad amorem & gratitudinem, inde quoq; excitandã, hęc pauca, dicta sufficiant. Iã verò finẽ Euangelii & verba Christi ad Cẽturionẽ, inspiciamus. Inquit n. Matheus.

Indeq; Consolatio Catholicorũ.

ET DIXIT IESVS CENTVRIONI,

Secun-

Secundum D. Augustinum in nunciis eius, secundum Chrysostomum, & nos ipsimet in persona.

Vade, Et Sicvt Credidisti, Fiat Tibi. Hæc verba multùm certè probant Centurionem fuisse præsentem. Estq; quoque modestiæ nota, qua Christus Dominus, modestè & humiliter, de rebus nostris loqui, & bona quæ agimus, aliis potius, quàm nobis adscribere, nos docet. Statimq; sequitur effectus. Dicitur enim: Christi humilitas nostra instructio.

Et Sanatvs Est Pver In Illa Hora. Imò eodem in momento, quo verba hæc à Christo prolata fuerunt. Notantq; hic Doctores contra impios Hęreticos, quantùm valeat apud Christũ intercessio pro aliis, imò & fides; ac fiducia aliorũ pro aliis. Vtriusque enim præclarũ hic habemus exemplũ; in Centurione, qui non solùm corporis (quod ex scriptura certissimum est) sed etiam animę salutem, seruo suo (multò magis autem sibi) obtinuisse probabiliter, creditur. Dedit eñ Christus Iesus tantam vtriq; gratiam, vt in eum crederent, ipsiusq; ouès effecti, inter fideles computarentur. Fides aliena prodest.

Verumenimuerò quia textum Euangelii totum iam fauente Christo declarauimus, & inter explicandum ea, quæ ad laudem ipsius esse videbantur adnotauimus: restat vt quod in principio proposuimus, quoq; Ecclesia authoritate sua quodammodo à nobis exigere POSTremo De Eucharistia agẽdũ

 videtur,

videtur, iam aggrediamur: & de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, aliquid tum ex dictis, tum aliunde colligamus. Considerandum est igitur nobis, quænam sint ad hoc charitatis Sacramentum digne participandū præparationes necessariæ, & quonam cum gustu, fructuq; illud sit percipiendum. Et præparatio quidem maximè necessaria est, vt is, qui se leprosum in anima per peccatum mortale esse nouit, nō prius ad Eucharistiam accedat, quàm lepram suam, per pænitentiam & confessiònem Sacerdoti factam deponat, ac emundet. Cæteri quoque omnes etiamsi veniali tantùm lepra teneantur, committere non debent, quin per dolorem competentem aptos se ad dignè participandum reddant. Deinde exemplo Centurionis, intercessores sunt præmittendi, inuocandi Sancti; tum Patroni Ecclesiæ, & diei illius: tum Angeli Dei: tum ipsa mater Dei. Si enim Iudæos adhuc incredulos (vt est probabile) pro Centurione, & Centurionem gentilem, pro seruo suo intercedentem exaudiuit Iesus, quis tam desipiet, vt putet, illum electorum & charorum suorū orationem pro nobis factam, in re, & negotio longè & honestiori, & maximè necessario repudiaturum? Minimè equidem respuet, quin imò sperandum est quòd ad preces amicorū suorum, Christus Iesus præsens in hoc Sacramento, saltim micam aliquam illius consolationis dabit nobis, quæ cadit ex mensa eorū;

Præparationes ad illā.

1. Lepra mūdanda.

2. Intercessores præmittendi.

Cum spe cōsolationis.

Visionis

Visionis inquam illius beatificæ, dulcissimæ, & suauissimæ, angelorum, & Sanctorum Dei, gustũ tribuet, consolationẽ spiritualem; qua quidem nos illecti & excitati ac confortati cælestia & appetemus auidius, & quæremus diligentius. Faxit Christus Iesus.

Quam ad rem valebit plurimùm, imò necessarium omninò erit, alienis subsidiis, & deprecationibus, propria adiungere opera bona ac in aliis quoq; virtutibus Centurionẽ hunc imitari. Quarum prima occurrit, quæ ordine etiam ipso prima est, & basis, ac fundamentum cęterarum. Fides inquam: nam *sine fide impoßibile est placere Deo* ait Apostolus. Hęc ore Christi Dei, in Centurione hodie laudatur, hæc hodie nobis quoq; pernecessaria est, si vnquam, nunc certè, quando tot perfidiæ, contra hoc sãctissimũ pignus exortæ sunt, & quotidie exoriuntur, vt iam vix numerari possint. Itaq; credendum est nobis, hunc ipsum quem in Euangelio Centurio allocutus est, esse non solùm in cælo residentem, sed etiam hic in Sacramento prçsentem: ibi quidem sicut Centurioni oculis corporis conspicuum, hic verò inuisibilem: Esseq; non cum pane, aut sub pane, aut in pane, sed sub specibus tantùm, & accidentibus panis & vini. Esse autẽ non per humanitatem ipsius vbiq; existentem (absit hoc vel cogitare) sed per transelementationẽ, seu per transubstantiationem panis & vini, in verum corpus & sanguinem Christi Iesu, hic

3. Fides Catholica profitenda. *Heb: 11. 6.*

realiter pręſentem. Hæc & his ſimilia, quæ Sancta Mater Eccleſia nobis proponit, dum accedimus, ad hoc venerabile Sacramentum, corde credere, & ore profiteri contra omnem perfidiam hæreticam, magni ſanè meriti eſt opus, & exercitium: pulcherrimęq; huic baſi, innituntur & adaptantur verba illa & Centurionis & noſtra DOMINE NON SVM DIGNVS &c. Huic verò baſi & fundamento, Sanctæ ſpei, ſuperædificandum eſt ædificium, qua corroborati & excitati, orabimus, ſperabimuſq;, non eam, quam optamus deſideramuſq;, non iam corporis, ſed quod longè eſt excellentius, animæ ſalutem, donaq; ſpiritualia à Chriſto Domino hic pręſente, impetraturos: prout tam leproſus, quàm Centurio in hodierno Euangelio obtinuerunt, quod petierunt. Neq; vt illos ita etiam nos fallet fiducia noſtra, ſi nos non fefellerit admiratio, pietas, humilitas, & charitas noſtra.

4. Spes erigenda.

Admirationē nos docet ipſe Saluator admiratione ſua, admirationem inquam illam quam pia meditatio, & contemplatio ſequitur. Quis enim dubitat, non propter ſe (cui admiratio quodammodo repugnabat) ſed vt nos (quibus id apprime eſt vtile) inſtrueret; hodie demiratum eſſe Chriſtum Dominum? Admirationis autem ſanctæ latiſſimum nobis exhibet campum admirabile hoc Sacramentum, Qua in re tamen duo extrema cauenda ſunt nobis: alterum ne nihil, alterum ne nimium

5. Admiratio adhibēda.

Cauenda tū hic extrema duo.

mium velimus mirari. Nihil mirantur, qui ex sola consuetudine, absq; tanti mysterii consideratione vlla, ad Eucharistiam & sacrificandum accedunt. Nimium verò mirantur, qui secretissima & incompræhensibilia opera Dei quæ in hoc Sacramento includuntur exiguitate ingenii sui metiri, & compræhendere volunt; quales sunt hæretici. Vtrumq; fugiendum est valde, ne vt cum iis, qui primo loco sunt positi competat nobis illud prophetæ (spiritualiter intellectum) *Ephraim vitula docta diligere trituram*: Et cominatio, quæ hæc verba precedit; aut cum postremis dicatur nobis: *Qui scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria* Quot enim olim videntes, nunc hac ratione excæcatos conspicimus? qui dum non fide, sed ratione scrutantur maiestatem hîc præsentem, oppressi sunt à gloria, in hoc Sacramento veraciter latente. Ne igitur idem nobis, quod absit, contingat; adhibenda est humilitas. Hæc enim docet, nos *destruere omnem altitudinem, extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi*, & fidei ipsius: hæc contemplationes altas deprimit, demissas eleuat, & dulces reddit. Hæc nos non pertinaciter propriæ insistere scientiæ, quin imò mutare illam docet, quando vel ratio eademq; animi submissio, vt Centurioni) vel aliena deprecatio id suadet, vt fecit Christus. Huius in factis, verbisq; tam Christi, quam Centurionis preclara

NOTA
Osea:10.11
Prou.25.27
6. Hũilitas.
2 Cor:10.5

clara monimenta hîc habemus. Hanc igitur amplectamur, in ea iugiter nos exerceamus, cùm semper; tum verò accendendo ad sacrã hostiam. Hoc enim nos Ecclesia docet, quando verbis istis Centurionis, tum temporis vtitur, quæ si sigillatim excutias, singula tibi vel humilitatis, vel seruentis fidei singularia præbebunt argumenta.

7. Charitas maximè exercenda.

Neque verò in humilitate consistendum est, sed ad Sacramentum charitatis accedere volentibus, charitas adhibenda est, tam erga Deum, quæ pietas dicitur; quàm erga proximum, quæ misericordia nuncupatur. Intueamur quæ bonus iste Centurio, pro seruo suo agat, quanta cum diligentia & sollicitudine opem ferre illi satagat. Aspiciamus & ipsum Christum Dominum, quanta cum charitate, absq; vllo personarum respectu miseris misericors pro cuiusuis necessitate succurrat: & imitari vtrumq; connitamur. Primùm quidem, & maximè si prælati sumus; deinde verò omẽs accessuri ad fontem liberalitatis, liberales erga pauperes ipsius simus. Largas faciant elèemosynas corporales qui possunt: exerceant spirituales, qui illas dare nequeũt. Omnes verò vel maximè procùrent, vt domesticorum curam gerant, salutemq; animarum sibi commissarum procurent. Si enim Christo Domino tam chara fuit sollicitudo Centurionis, pro corpore serui; quàm chara illi erit, cura nostra pro anima proximi, quã ipse

Erga proximum.

ipse suo proprio redemit sanguine? O vtinam hæc, vt par est, & considerent, & in praxim reducant, prælati, parentes, præceptores, patres familias, & alii his similes; quàm eximios, dulces, & suaues referent, in participatione huius Sacramenti fructus & consolationes? Ante omnia autem pietas erga Deum & dilectio Christi Iesu, quàm feruentissima à nobis procuranda, & in nobis excitanda est. Sicut enim per calorem, flamma & ignis excitatur, qui excussus ipse vicissim calefacit, comburit, imò in se conuertit omnia: Ita qui amore accensi diuino, ad Eucharistiam accedunt, feruidi per hoc Sacramentum, imò per Christum ipsum, realiter in eo presentem, diuina charitate aduruntur, inflammantur & suo modo in Christum conuertuntur. Contrariam namq; proprietatem babet cibus iste præ aliis. Cæteras etenim escas nos in substantiam nostram conuertimus: hic vero cibus, eos, qui ad sumendum illum dignè accedunt, ipse in se conuertit, & consortes nos diuinitatis suæ Christus Iesus efficit, (vt in quadam oratione petit Ecclesia) qui humanitatis nostræ particeps esse voluit; & cuius pignus admirabile (seipsum omninò) in hoc Sacramento nobis reliquit. Hæc ergò meditemur dilectissimi, easq; quas ex Euangelio recensuimus præparationes, dum ad mysterium istud percipiendum accedimus, adhibeamus charissimi: Sunt enim excellentissimæ.

Erga Deum.

Fruct⁹ inde eximij

1. Ipsa Charitas a simili.

2. Diuinitatis participatio. Adsimili.

Bonum

Bonum est ieiunium, bonæ huic similes carnis aliæ exercitationes, bonæ equidem, & obseruandæ, quando aut Ecclesia ea seruanda precipit, aut consuetudo docet, aut discreta deuotio suadet: attamen absq; his potest quis dignè corporis & sanguinis Domini particeps fieri: at verò sine illis, nemo dignè accedit, cum illis verò nemo infructuosè recedit. Vincit enim inuincibilem humilitate, & ligat, soluitq; manus omnipotentis charitate, cæterisq; virtutibus. Ligat ne peccata eius puniat, soluit vt ei cum Iacob benedicat, vtq; per benedictionem, ex ipso fonte gratiæ, hauriat fructus spirituales vberes, consolationes suauitatesq; inenarrabiles, quæ nemo nouit qui non gustauit, & qui gustauit haud facile explicare poterit, haurietq; vt vno verbo cum D. Ioanne dicam *gratiam pro gratia.*

5. Alij innumeri.

Ioan: 1.16

Conclusio p orationẽ ex illo, Domine non sum dignus

Quæ cùm ita se habeant, quid æquè conuenit quàm vt cum magna humilitate & charitate, cum Centurione isto accedamus & dicamus. Ecce Domine Iesu, non iam puer meus, sed animus meus, in corpore hoc tanquam in domo putrida putidaq; iacet paralyticus; dissolutæ sunt omnes compages illius; iacet enim omnia terræ agglutinata; memoria terrena suggerit, intellectus eadem meditatur, & recogitat, voluntasq; appetit: neq; erigere se, & cælum aspicere valet, sed malè torquetur, morti æternæ vicinus, nisi tu adiuueris, nisi opem tuleris. Et quamuis te, totoq; cælo &

lo & terra teste, fatear Domine, me non solùm dignum non esse, qui te in Sacra hostia verè præsentem admittam, sub tectum corporis mei; sed etiam qui assumam nomen tuum per os meum: propter multitudinem & grauitatem peccatorum meorum, quibus irã tuam commerui, & animam meam defædaui, ideòq; clamo, cum Centurione & Ecclesia: Domine nõ sum dignus vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. Veruntamen quia complacuit misericordiæ & bonitati tuæ infinitæ, non solùm constituere Sacramentum hoc, sed etiam inuitare nos, & præcipere nobis vt accedamus ad illud, imò comminatus es dicens: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Ioã. 6. 54.
cumq; ego, bone Iesu, vita indigeam; (sine vita enim viuere nec volo, nec valeo) quid aliud faciam miser, quam vt tam miseria mea adactus, quàm misericordia ista tua immensa animatus, accedam? En ergò venio, en accedo benignissime Christe Iesu, teq; per viscera misericordiæ tuæ, & merita tua, rogo, oro, & obsecro, vt tu verbum æterni patris, verbum incarnatum, qui per verbum tuum admirabile, in consecratione prolatum, voluisti adesse pręsens sub speciebus panis & vini: te inquam obsecro, obtestorq;, vt dicas, verbo tuo, & efficias pręsentia tua, vt sanetur anima mea, vtq; sanata per te, requiescat

in te,

in te, neq; vnquam amplius per peccatum separetur a te: sed viuens secundùm sanctissimam voluntatem tuam semper in finem vitæ huius mortalis, tandem perueniat ad te, vbi iam nō in ænigmate per fidem, neq; velatum speciebus panis & vini, vt nunc; sed oculo ad oculum videam te verū Deum, cū patre tuo æterno, & almo Spiritu S. paraclyto viuētē, & regnātē in sęcula sæculorum. AMEN.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matth 8.

IN illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accesserunt discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

PAR-

PARTITIO.

EVangelium hoc, aut nullas, aut multas habet partes. Nullas habebit, si ipsam historiam consideres, quæ vna tantum est: multa si singulas actiones, quas partim noster, partim alii conscripserunt Euangelistæ, minutè intueri vellis. Hac enim ratione tredecim vt minimũ reperientur. Nã vt summatim dicamus; In hac sacra historia 1. Christus dominus ascendit in nauiculã 2. Sequuntur eum discipuli eius. 3. Transfretant omnes, & discipuli quidem nauigant, 4. Christus verò dormit in puppi supra ceruical. 5. Interim procella maxima exoritur. 6. Nauis periclitatur. 7. Discipuli timent valde. 8. Et certatim excitant Præceptorem. 9. Is excitatus increpat illos, 10. Et surgens increpat etiam mare, præcipiens ei, vt taceat, & obmutescat; id est conquiescat. 11. Sequiturq; tranquillitas maxima. 12. Quam mirantur homines. 13. Et maius quid quàm antea de Christo sentire incipiunt. Hæc tres Euangelistæ. *Mat: 4.36* *Luc: 8.22.*

Nos verò quid? Nec singulas, nec plures partes per partes considerabimus, aut diuidemus, sed totũ Euanlium quadrifariam contemplabimur, & partiemur, Diuisio autem communis est: Nam notum est plerisque varios esse sacræ scripturæ sensus. Duos antiqui statuebant, Historicum videlicet, & mysticum, seu spiritualem. Tres ponit D. Hieronymus, historicum, tropologicum, & spiritualem. Moderni Doctores postremũ subdiuidentes quadruplicem agnoscunt literalem, moralem, allegoricum, & anagogicum. Literalis quamuis historiam imprimis consideret, potest tñ. esse multiplex loci vnius, quod aliâs, si Deo placuerit, ostendemus. Tropologicus mores instruit, indeq; moralis nuncupatur. Allegoricus autem secundum quosdam ad IESVM CHRISTVM, qui est caput; Anagogicus verõ, id est, altus & abstrusus, ad membra eius, nempe ad Ecclesiam pertinet. Verùm secundum alios, allegoricus quid in terrestri; Anagogicus autem; quid in cælesti *Hiero: in Episto: ad Heldibiã quæst. 12.*

lesti Ecclesia agatur edocet. Itaq; nos secundum hunc quadruplicem sensum, sic quatuor nostras ordinabimus conciones. In prima textum & literam explicabimus, indeq; timorem incutere conabimur, maximè illis verbis; *Domine, salua nos, perimus:* In secunda, nauicula CHRISTI Dñi allegoricè intellecta, fidem Catholicam confirmabit. In tertia concione, Quid in anima nostra agatur, agendúmue sit, per tropologiam idem Euangelium nos instruet. In vltima per anagogen, nauicula & charitatem Christi crucifixi, & regnum illud æternum nobis commendabit, ac viam compēdiosiorem ad illud nobis pandet. Vno verbo, Nauicula, in sensu literali instrumentum nauigantium omnibus notum est; in allegorico Ecclesiam, in morali animam cuiusuis fidelis, in anagorico crucem denotabit.

EVANGELIVM PERDITIO. REMEDIVM.

CONCIO PRIMA. Timor.

EX SENSV LITERALI.

Domine, salua nos, perimus.

Mundi quã ta sit peruer sitas.

QVamuis omni mundi huius immundi tempore, verum sit illud, quod veritas Deus per Ioannem dixit; quodq; iam aliâs à nobis citatum fuit, & sæpè repetendum erit, nempè, quòd *mundus totus in maligno positus est*: tamen hoc imprimis anni tempore, quo mundus immunditias suas maximè promit, quo illas quodam̃odo inuitis etiam obtrudit, hoc inquam tempore, quo Bachanalia instant, imò à quibusdam iam inchoata sunt, (vtinam

1. Ioã: 5. 19

(Vtinam ſaltim à paucioribus) dictum iſtud Apoſtolicum, ſummum locum etiam inter Catholicos habet. Quapropter illud in prouerbium apud nos iam vertitur: placent nunc breues conciones, longa verò farcimina, vel conuiuia potius. Res equidem indigna Chriſtianis, digna vberrimis lachrymis in Chriſtianis, quibus vna hora concionis annus eſt, decem & eo amplius conuiuii (& quæ conuiuio adiunguntur) vix horæ vnius ſpacium eſſe videtur, ita prò dolor, carni, operibusq; carnis immerſi, ſpiritum in nobis extinguimus: vt quæ verè ſpiritui competit delectatio, ne in minimis quidē ponatur. Sed dicet fortè, horum quiſpiam. Concediturne igitur nobis decē horis eſſe in cōuiuio? Abſit. Nō equidem conceduntur à nobis; ſed vltro citroq; rapiuntur à vobis. Conceditur; quod dat lex nãæ, quod Chriſtus Ieſus, quod ipſum honeſtum permittit: Verùm inquã honeſtũ & Chriſtianum: non illud, quod vos honeſtum vocatis, cùm ne tantillum quidem honeſti in ſe cōtineat. Quomodo enim houeſtum erit, quod auctori honeſti Deo, quod Angelis, quod Sãctis, quod piis omnibus diſplicet? Hoc igitur deteſtamur: illud verò quod verè decorum eſt, & cōmendamus, & vt fiat rogamus. Petimus & aliud, vt ſi tantùm datis mundo, detis ſaltim decimam huius partem Chriſto, licet per inutile, & vile inſtrumentum ad vos loquenti. Cæterùm vt quantùm fieri poteſt,

nos quoque vobis accomodemus; Ecce in hac concione illa tantùm quatuor verba; DOMINE, SALVA NOS, PERIMVS, excutienda suscepimus: (imò pene solùm postremum) sed tamen Euangelium præmittemus.

Propos: bipartita. Duo igitur Christo iuuante præstabimus. Primum: Euangeliũ breuissimè explicabimus, &, quæ circa illud occurrent, difficultates dissoluemus. Deinde, in illis quatuor verbis aliquantulum immorabimur: considerantes, tũ quibùsnam modis pereat homo: tum vnde id proueniat: tum quidnam sit remedii, ne pereamus. Da Christe Iesu vt ita hæc perpendamus, quo timore tuo sancto concussi, & à periculis animæ liberari, & per te in æternum saluari mereamur.

I. PARS. Explicatur Euãgeliũ. ASCENDENTE IESV IN NAVICVLAM. Dimissa turba, vt alter Euãgelista testatur.

Mat: 4. 36. Cõcordãtur Euãgelistæ. SECVTI SVNT EVM DISCIPVLI EIVS. Qui tamen antea nauim parauerãt, prout iussi fuerant. Postea eo veniente, & nauim conscendente, discipuli quoq; secuti sunt eũ, vel vnus & alter præcesserat ad parandam nauim, alii subsequuti sunt cum Christo. Et illi

Luc: 8. 23. quidem soluentes à littore, *assumunt eum, ita vt erat in naui, & nauigantibus illis obdormiuit.* In naui autem, qua Christus Dominus vehebatur, soli tantùm discipuli fuerunt cum Iesu: at verò teste D. Marco *& aliæ naues erant cum illo*, vel cum illa (vtrumq; enim patiuntur Græca) id est, erant vel cum Christo, sed in aliis nauibus;

bus; vel cum naui, quę Christum continebat. Omnes itaq; qui in hisce vehebãtur nauibus, erãt participes & turbationis, & trãquillitatis maris Hoc est initiũ historiæ huius, qua etiã ratione & differentia, si quę inter Euãgelistas ẽẽ videtur omis è medio tollitur; & qui fuerit. postea mirati, facile animaduertitur. Porrò quid ascendentibus, & nauigãtibus illis acciderit, pergit narrare noster Euãgelista, dicens:

Sathan tempestatẽ excitat.

ET ECCE MOTVS MAGNVS FACTVS EST. Probabile est, à Dæmonibus hanc tempestatem excitatam fuisse. Id enim insinuat D. Lucas, cum inquit: *& descendit procella venti in stagnum.* Quod tamen intellige factum esse permittente eo, qui dormiebat Deo: (De quo Dauid: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.) sicut olim quoque permiserat Diabolo Deus, vt affligeret Iobum: Vnde sicut tum temporis, Dæmone procurante, *repentè ventus vehemens irruit à regione deserti,* & concussa prostrataque domo, occidit *septem filios, & tres filias*: Iobi ita hîc. Verùm non est permissum Dæmoni eiusq; cum hac naui procedere: sed tantùm cõcessum est illi, procellam excitare.

Psa: 64.8.

Vt in Iob. *Iob: 1. 19.*

Stagnum dicitur mare.

IN MARI, Id est, in stagno Genesaret; quod siue phrasi Hebraica, quæ congregationes aquarum maria vocat; siue propter magnitudinem, mare vocabatur. Sicut lacus Asphalticus, & alii similes, maria nuncupãtur. Fuit autem tanta maris turbatio.

Nauis periclitatur.

ITA, VT NAVICVLA OPERIRETVR FLVCTIBVS, & *implebatur* aquis, & *periclitabãtur* nauigãtes. Discipulis verò laborãtibus in nauigãdo, & volẽtibus, sed nõ valẽtibus appellere nauim ad litus, quid facit IESVS?

Chũs verè dormit.

IPSE VERO DORMIEBAT, inquit noster Matthæus. Addit Marcus, quòd dormiebat *in puppi super ceruicali*, non sine magno mysterio, sed mysteria non sunt huius concionis. Dormitionem hanc putant quidam fuisse simulatam: sed non satis profectò cautè. Quid enim impedit, quò minus dicamus verum fuisse somnum. Imò quid non cogit? cũ omnes tres Euangelistæ testentur illũ dormiuisse? Huius semper fui, sumq; sententententię, quoties salua fide, & authoritate Ecclesię, aliquid in scriptura intelligi potest, vt ipsa verba volunt, ad tropos non esse recurrendum; nisi mysterii & doctrinæ causa. Hic verò optimè potest intelligi, Christum verè dormiuisse. Quinimò propriè magis id de eo dici potest, quàm de nobis. Nos eñ non possumus dormire quando volumus, quia talium actionum non sumus domini: ille potuit, & esurire, & dormire, & quæuis alia similia agere patiuè, quando, & quomodo ei placuit; prout hîc voluisse eum satis clarè testatur scriptura. Verè igitur & non simulatè dormiuit: tum vt ostenderet veram se habuisse humanitatem, cùm diuinitas nõ sit somno obnoxia: tum vt proderet quidnam in discipulorum cordibus latuerit, vt seipsos agnoscerent; quod & nobis facit

Regula interpretandi scripturam.

Cur dormit Christus.

facit sæpius. qua de re volente Deo dicemus in alia concione. Dormiuit autem *super ceruical*, caput inclinando: quod vel ex ligno fuit, vt quidam Græci volunt, vel ex iuncis, aliáue materia nautis familiari. Dormiente itaq; Christo Domino suauiter, amarè verò trepidantibus Apostolis & reuerentibus fortè, statim suscitare illum; tandem periculi magnitudine adacti. Quale ceruical.

ET ACCESSERVNT DISCIPVLI EIVS. Tumultuariè proculdubio, vt fit in talibus casibus.

ET SVSCITAVERVNT EVM. Certatim vnus post alium, clamantes &

DICENTES: Varii varia, & modestiores quidem humiliter inquiunt:

DOMINE, SALVA NOS, PERIMVS. Variè excitatur. Impatientes verò & duriores exclamant teste Marco: *Magister non ad te pertinet quia perimus?* Mar. 4. 38 Quibus verbis & prouidétiam ipsius lædunt, & diffidentiam suam produnt, Vtinam in nobis imitatores non habeant. Et verò in illis Doctrina inde. mirum id non fuit, cum timor mortis iam quasi præsentis, faciat loqui quod ipse nescias: at in nobis cupiditas aliqua inordinata sæpe tale quid excutit. Quod emendandum est omninò. Sequitur.

ET DICIT EIS. Excitatus enim ac apertis iam oculis, grauiter, benignè tamen, alloquitur eos dicens:

QVID TIMIDI ESTIS MODICÆ FI- Cur bis in-

Increpantur discipuli.

DEI; Alii Euangelistæ increpationem istam, post sedatos fluctus ponunt. Vnde quidam colligunt: bis Christum Dominum discipulos arguisse. Neque id quidem improbabiliter. Statim eñ apertis oculis id fecit, vt illos præpararet ad habendam fidem, quam vt plurimùm in patrandis miraculis requirebat. Posteà verò eadem repetiit, vel etiam aliquantò durius egit; vt tum infidelitatem, tum diffidentiam eorum argueret. Incredulitaté quidem, quòd non crederent eum, vt Deum, etiam dormientem fluctus sedare potuisse. Diffidentiam verò, qua putabant ipsum somno oppressum eorum curam non gerere. Increpatis igitur discipulis.

TVNC SVRGENS, Ergò increpatio ista fuit statim à somno, cum necdum se loco mouisset. Et confestim:

Increpantur & mare & dæmones.

IMPERAVIT VENTIS, ET MARI, Vt scias omnem creaturam irrationalem ad nutum obedire suo Creatori. Quantò iustius id facere deberet creatura rationalis? Vtinam fiat à nobis omnibus. Marcus verò inquit: *Et exurgẽs comminatus est vento, & dixit mari, Tace, obmutesce.* Vnde magis confirmatur, quod iam diximus hæc per dæmones excitata fuisse; secundum illud Psalmi *Immißiones* (id est plagæ & afflictiones) *per angelos malos*, in Ægypto patratæ fuerunt: ita etiam hîc. Mali eñ spiritus dum inferunt malum delectantur multum (pudeat pigeatq; Christianos stultitiæ suę talibus

Doctrinę indedux.

Ps. 77. 49.

talibus obedire velle) Dæmonibus igitur cõminatur Christus in mari, & vento, iubetque vt iam cessent turbas ciere, quod & factum est subitò. Subdit namq; sacer Euangelista:

Et Facta Est Tranqvillitas Magna: Magnam tempestatẽ magna tranquillitas iubente Christo consequitur, vt typum habeas mundi huius, cui etiam in spiritualibus alternatio cõmunis & perpetua est: de quo aliâs. Nam litera ipsa clara est. Quid verò consequitur? Trãquillitas sequitur.

Porro Homines Mirati Svnt: Lucas verò addit: *Qui timentes mirati sunt*: Quid timent? post acceptum tantum beneficium? Duplicem esse timorem insinuat, de quo paulò post. Mirati sunt autem, non solùm qui in aliis nauibus erant: sed etiam ipsi Apostoli. Id enim & Lucas satis insinuat, & res ipsa loquitur. Mirabantur itaq; omnes. Homines mirantur.

Dicentes Alterum *ad alterum* (vt alius Euangelista inquit)

Qvalis Est Hic? vel vt alter inquit: *Quis putas est iste?* Quam magnus? quantæ authoritatis? Quia non solùm dæmones, quos eiicit, non solùm morbi, quos pellit; sed etiã,

Qvia Venti Et Mare Obedivnt Ei. Deus igitur erit iste: de Deo enim scriptum est: *Qui conturbas profundum maris*; pro quibus verbis in Hebræo legitur: Qui compescit fremitus maris. Vtrumq; valdè benè. vtrumq; enim soli Deo conuenit. propte- Diuinitas Christi probatur. Psal. 64. 7.

rea Iesus Christus est Deus, quia vtrumq; hic præstat. Nam & dormiens per angelos malos conturbat mare: & surgens per seipsum compescit fremitus eius. Erat igitur quod etiam ipsi Apostoli demirarentur tum propter dicta, tum quòd eousq; nihil tale à Christo factum viderant: tum quòd cum imperio id illum agentem animaduerterant, quod vtiq; solius Dei est proprium. Nam & Moyses summus olim in orbe miraculorum patrator, non imperio ad diuidendum mare; sed virga & precibus, imò clamore vsus est. Sic n. Deus ad illum: *Quid clamas ad me?* Christus verò imperat, vt Deum agnoscas.

Cur etiã Apostoli mirantur. 1. 2. 3.

Ex: 14. 15.

Hæc de sensu historico, dicta sufficiant: Vnde etiam eximia habemus tum argumenta, tum incitamenta, ad sanctum in nobis timorem excutiendum: Verum quia eò etiam spectant quæ in principio proposuimus; vt vtrumq; coniũgamus istud iam aggrediamur; atq; circa verba illa Apostolorum DOMINE SALVA NOS PERIMVS, tria perpendamus; nempè, quibus nam modis pereat homo; vnde id eueniat, & quid sit remedii. Et quod ad primum quidem attinet, tam varii sunt modi interitus humani, vt nihil sit, fueritue in mundo tot casibus obnoxium, quot incurrere potest, imò re ipsa quotidie incurrit, homo: Redigamus illos ad decem capita, quorum singula innumeras planè rationes, & modos perditionis humanæ in se continent.

II. PARS. Circa quatuor verba D. S. N. P. tria consideranda.

PRIMO: Decem capita quõ pereat homo.

Suntq;

Suntq; ita diſpoſita, vt ſemper grauiora leuioribus ſuccedant. O vtinam tanta miſeriarum noſtrarum congeries, aliquando tãdem ſuperbiã ac elationẽ animi noſtri cõtũdat, & conterat in nobis, vt & cognoſcamus nos humiliter, & redigamus in ordinẽ ſalubriter.

Itaq; primùm perit homo in facultatibus; quando bona eius externa, aut diripiuntur, aut comburuntur, aut prodigè effunduntur, aut incaute mittuntur: quod mercatoribus, qui citò diuites eſſe volunt, haud raró euenire conſueuit. Quos etiam noſtra lingua periiſſe dicimus: Neq; verò phraſis latina ab eo abhorret, quæ egeſtatis perditorum mentionem facit. Hoc perditionis genus minimum eſt omnium; & tamen tanti ſit, à verè perditis hominibus, vt ne id eueniat, multi Deum offendere pro nihilo ducant: aliqui etiam diabolo ſeſe dedant; alii ſceleſtas manus ſibi inferant. O peruerſa peruerſorum hominũ iudicia: ô inſana illorũ cõſilia, qui eò deueniũt demẽtię, vt paruũ dãnũ ſupremo interitu cumulare velint. Fugite dilectiſſimi peccata, fugite obſecro, quæ ita excæcant homines, & ad tantã impellunt inſaniã, quanta maior excogitari non poteſt, & quanta in nulla creata natura vnquã reperietur. O miſera hominis ſine timore Dei viuentis conditio.

1. In facultatibus.

Quanti hoc fiat.

Inſaniæ triplex genus.

Alterum perditionis humanæ genus eſt; cùm quis ſiue in toto, ſiue in parte detrimentum famæ patitur. Quod tanti ſit à quibuſdam

2. Perjt homo infama.

dam, vt mortem potiùs oppetere quàm infamiam incurrere malint. Quamuis multi sint, & multi nimis, qui non discernentes inter veram & falsam infamiam, pro falso dedecore, veram sæpè subeunt mortem: atque vtinam non etiam æternam, quod non rarò accidit. Quot enim sunt, qui lacessiti aut verbulo aliquo aspero, aut vt illis videtur iniuria (quæ frequenter nulla est) aut quouis alio modo, dum dedecori sibi ducunt priuata non vti vindicta, dumq; hoc nomine alteri interitum parant, ipsi in eum incurrunt? Hoc quoq; maximæ dementiæ genus est. Estque stultitia duplex; altera iam dicta: altera, quòd isti, dum modicam ab homine illatam vincere nolunt ignominiam, in maximam & æternam, quàm à dæmonibus pati debebunt, incidũt in infamiã: vt interim taceã, eos etiam, dũ hîc viuunt apud bonos piosque viros infamiâ laborare. Isthæc qui tales sunt cogitent, & pertimescant velim, quæ certò illis euentura fides docet Catholica. Cæterùm nolo hîc disputare, an aliquando vt veram effugias infamiam, morti te tradere debeas: (id enim alterius est temporis) illud tantùm dico, hoc genus perditionis, priore esse longè grauius. Hoc enim sapiens expresis testatur verbis, cùm inquit: *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, ac proinde maius esse malum, famam, quàm diuitias perdidisse. Sed notate quæso, quod inquit; *nomem bonum*, id est;

Sæpe stultè nimis tripliciter.

Grauius hoc priori.

Prou: 21. 2.

est, fama verè bona. Sæpè enim, vt dictum est, in hoc erratur, cùm non veram sed apparentem quis consectatur famam: Fitq; frequẽter vt dum aliquis falsum dedecus fugit, veram incurrat infamiam. Id ergò fugiendum: Modos verò particulares, quibus homines in fama pereunt, quis enumerabit? Nemo equidem, sicut nec priores. Quanta igitur & quàm varia hæc quoq; est miseria?

Tertium perditionis caput est, cùm quis perit in liberis, quos aut nullos habuit vnquam, aut habitos post se non relinquit. Magnum sanè malum apud eos, qui talia curant, & longè duobus prioribus acerbius. Audite quid hac de re vir ditissimus, honoratus valde, & quod maius est, non solùm sanctus, sed etiam sanctæ familiæ caput, ipse de se loquatur; Abraham inquam, qui sic alloquitur Deum: *Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Elitzer. Addiditq; Abram: Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Videtis quanti id faciat vir Deo charus? vt diuitias & honorem, pro nihilo ducat eò, quòd liberis careat? Scio noui testamenti aliam esse faciem: verùm neq; id me latet, quanti etiam nunc hæc fiant; ita vt artibus vtamur Christiani minimè Christianis, ad id assequendum. Qui timeant Deum moneo, ne eis *deterius eliquid contingat.*

3. Perit quis in posteris.

Gen: 15. 2.

Ioan: 5. 14.

Quartum interitus humani genus est, cùm tota

4. In familia tota.

tota alicuius perit familia, tantò priori acrius, quantò plures complectitur. Quod iudicio ipsius Dei cõprobari potest, qui quotiescunq; magnam suam iram erga ingratos Reges demonstrare voluit; toties hanc pœnam & minabatur eis, & exequebatur in posteris eorũ. Qua de re ad vxorem Ieroboam primi regis Israelis Idolatræ, ita loquitur Deus per Achi-

3. Reg: 14. 10. am Prophetam: *Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem* (id est omnem exstirpe eius masculum: deficientibus enim istis, nomen etiam familiæ perit) *& clausum, & nouissimum in Israel, & mundabo reliquias domus Ieroboam,*

3. Reg: 15. 29. *sicut mundari solet fimus vsq; ad purum.* Perfecitq; promissum suũ Deus per *Baasam*, qui *percussit*

3. Reg: 16. 10. *omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius.* Et idem fecit domui

4. Reg: 10. 11. eiusdem Baasam per Zambri. Necnon Achabo impiissimo & ingratissimo Regi per Iehu, & aliis. Quod etiam nunc frequentissimè facit, si non eodem modo, nec publicè; certè eodẽ euẽtu, licèt priuatim. Quod n. sunt domus & familiæ etiã nobilissimæ, & illustrissimæ, quæ quotidie ãte oculos nostros pereunt? Quid causæ? Dicã aliâs nũc reliqua prosequamur.

5. In regno. Quintum itaq; perditionis caput est, quando non solùm domus, imò plures etiam familiæ; sed totus planè aut principatus, aut regnum, aut imperium perit. Terribilius hoc genus interitus esse priori, nemo est qui non vide-

videat. Quàm frequẽs autem sit, facile conspicicit, qui historias tum sacras, tum prophanas legit. Ex quatuor monarchiis, quæ olim multa in se regna continebant, duæ ita interierunt, vt ne regnũ quidem habeant, faciantue hoc tempore vllum. Quid de ipsis regnis dicã? quid de principatibus! Quis eorum mutationes enumerabit? quis interitus recensebit? Nihilominus dum florent, tanta est gloria eorum, vt gloriosi omnibus apparere velint; tantum fines dilatandi est desideriũ, vt nunquã finem terminumq; habeat tanta regnandi cupido, vel libido potiùs, vt iura diuina humanis, religionẽ politiæ, ac proinde ipsum Deum immortalem mortali homini subiicere studeant. Quod etiam quidam Christiani faciunt, pauci quidem verbis, sed plurimi factis & operibus ipsis. Quis non stupeat in viris apud semetipsos prudentibus tãtam imprudentiam? in fidelibus (si modò ita dici possint) tantam infidelitatem? Vtinam qui tales sunt tandem quæ dicta sunt perhorrescant, & alienis, non iam periculis, sed innumeris perditionibus, cauti esse velint.

Sextũ perditionis humanæ genus est, cùm non solùm regnum aliquod, sed natio penitùs tota, & gens deletur vniuersa; ita vt ne nominetur quidẽ amplius. Huius acerbitatem & magnitudinem describit Dauid cùm inquit *Dixerunt* (inimici videlicet Iudæorum) *Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen*

6. In gente vniuersa.

Psal. 82. 5.

men Israel vltra. Quod tamen illis non euenit; licèt prius euenerit: Perdiderunt enim regnũ & principatum: sed nomen & gens eorũ manet hucusq; manebitq; vsq; sub finem mundi, quãdo reliquiæ eorũ cõuertẽtur. At verò quis
Isa.10.22. recẽseat alias nationes lõgè ãpliores, quã Iu-
Ro: 9. 27. deorũ erat, quę hac ratione intetierũt? In sola scriptura sacra, nominãtur certè multę nimis, quod etiam quibusdam minatur Deus; Vt
Ex: 17.14. Amalechitis, de quibus Deus ad Moysem; *Delebo memoriam Amalecb sub cælo*, quod & factum est. Idem euenit septẽ illis nationibus,
Deu: 7. 1. & 9. 1. quas per Israëlem deleuit Dominus. Non est igitur quod superbias gens Polona, aut Lithuana, aut quæuis alia, sub sole (pręter Iudæos de quibus est prophetia) quasi semper sis duratura: sed est quod metuas, ne propter scelera & peccata tua, idem tibi quod aliis gentibus, faciat Deus. Hi sunt modi vel capita potius modorum interitus humani, quantum ad bona externa. Omnia enim quæ attulimus externa sunt: quæ verò sequuntur, singulas personas, & ipsa essentialia, ex quibus homo constat, tangunt, afficiunt, perimunt.

7. Perit hõo in corpore. Septimum igitur caput interitus est, quando perit homo in corpore siue in parte per ægritudinem, quando perdit sanitatem: siue in toto per mortem, quando spoliatur vita. Notissimũ & quotidianum, imò singulis momentis vsitatum perditionis humanæ genus, species verò quæ sub illo continentur, & modos

dos quibus hoc proueniat, non solùm numerare, sed etiam cogitatione assequi nemo vel potuit, vel poterit vnquam. Quemadmodũ neq; percipere valemus qnantoperè homines id metuant, quantiq; id faciant: & quot myriades peccatorum fiant, vel ne tale quid eueniat, vel vt differatur. O quàm satius & salubrius esset hominibus, si ita perhorrescerent offendere Deum, sicut halce pœnas peccatis debitas pertimescunt? Verùm quia sæpiùs hac de re erit nobis disserendum, id notasse hoc loco sufficiat: quòd timor istius interitus adegerit discipulos ad exclamandum DOMINE SALVA NOS PERIMVS.

Octauum perditionis humanæ caput est, quando quis in anima perit. Tantò cæteris omnibus crudelius: quantò spiritus præeminet corpori, & bonis externis. De qua tamen plerique hominum minimè omnium curant: imò pensi habent nihil; licèt audiant Christũ clamantem: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* O Christiani, vix Christiani nomine digni, quid agitis? Cur Christum, cuius nomen geritis, ac pręcepta monitaque eius paterna contemnitis? Cur non solùm propter totum mundum, sed etiam propter minimum quid mundi, animæ vestræ, non dico detrimentũ, sed planè interitum non timetis? Euigilate tandem aliquando, *& stulti aliquando sapite*; Eiulate, & miseri estote per pœnitentiam, ne eiular.

8. In anima

Matth. 16.26

Psal. 93. 8

ciulare & miseri esse cogamini per pœnam in ignibus æternis. Et si non vultis tantam, saltẽ dimidio minorem curam adhibete, ne pereat anima, quantam habetis ne corpus intereat, vel patiatur. Modi verò & rationes, quibus animarum fit interitus, tot sunt, quot volumina de casibus conscientiæ conscripta testãtur, pene innumera, quæ vix quicquam aliud prętcr hoc continent. Imò multò etiam sunt plures perditionis animę modi cum à doctoribus omnes recenseri nequeant, licèt in singulos ferè dies, noui libri qui nouos casus nouaq; peccata explicant, in lucem prodeant.

9. In anima & corpore. Nonum interitus humani genus est, longè hoc quoq; terribilius, quando vnà cũ anima corpus quoq; perit quòd fit cum quis moritur in peccato mortali. Deplorandum sanè & irreuocabile perditionis genus. Alia enim dũ hìc viuimus immutari possunt, hoc verò nullam vnquam in æternum admittit varietatẽ, neq; spes esse potest salutis vlla, Quinimò.

10. In vtroq; sine fine. Decimum & vltimum, & omnium terribilissimum illud subsequetur; quando rediuiuũ corpus miserũ infelicissimæ iungetur animæ, vt vtrumq; puniatur in æternũ, sicut vtrumq; dum mundum incoleret, Deum offendere, & mandata eius transgredi attentauit. O infausta dies illa talibus. O sanguineis deploranda lachrymis, quando illud, quod de Iuda dixit Saluator, in singulis damnatis locum habebit potissimum: Verè enim *bonũ erat ei, si natus non* Mat:26.24

fuisset

fuisset homo ille. Hæc sunt perditionis humanæ maximè generalia capita, infinitas omninò species & modos, complectentia, quæ attigimus potius, quam explicuimus; aliâs data occasione, singula copiosius explicaturi.

Nunc verò si scire cupitis, vnde tanta perditionis nascatur colluuies, tres eius fontes vna mecum considerate; quorum saltem duos habemus in Euangelio expressos. Etenim prouenit hoc tum ex natura rei, tum culpa nostra: tum quia Iesus Christus dormit in puppi. Primum quidem, quia quemadmodũ mari naturale est, vt ventis exsurgentibus turbetur, intumescat, sonitus strepitusq; edat; ita innatum est homini, vt omnibus hisce mutationibus sit obnoxius. Cùm enim omnium rerum mutabilium, plus homo vniuersas naturas in se contineat, habeatq; hac in parte aliquid etiam amplius: quid mirum, quod & ad instar omnium perire possit: & insuper aliis sibi peculiaribus interitus rationibus constrictus teneatur? Potest tamen per datam sibi à Deo gratiã, & motum liberi arbitrii sui, à quibusdam se liberare: quod quoties facere negligit, toties ipse sibi in culpa est. Deniq; prouenit hoc ipsum, quia Christus dormit. Apta metaphora. Sicut enim qui dormit non prohibet opus quod gerit: Ita Christus Dõinus, dum siue plagas, siue tentationes permittit fieri, dormire dicitur. Permittit autem fieri, quia expedit omninò, vt ita fiat, siue personę

SECVNDO Tres causæ harum perditionum.

1. Naturæ rei A simili.

2. Culpa nostra.

Dormitio Christi. NOTA.

Tres causæ dormitionis Christi.

quæ affligitur; siue toti vniuerso, quod hac ratione pulchro ordine decoratur: siue ipsi Deo, vt iustitia eius omnibus innotescat.

Exemplũ de bonis pditis

Declaremus hæc vno, atq; altero exemplo, vt res ab omnibus intelligatur. Sit primum ex primo capite. Perit aliquis verbi gratia in facultatibus suis. Id prouenit inprimis, quia sumus in hoc mundo. Nam extra orbem terrarum nihil tale vnquam accidere potest. Hæc est igitur natura rei. Sed accidit frequenter, imò vt plurimũ, id culpâ nostrâ. Pereunt enim nobiles, quia prodigaliter viuunt: quia in equis, in famulis, in epulis consumunt omnia, non solùm propria, sed etiam aliena: dum graue æs alienum contrahunt, nec soluere volunt, aut possunt. Pereunt ciues, præsertim mercatores, quia fraudibus rem acquirunt: quia citò diuites esse volunt: ac proinde multas merces creditò conglobantes, dum eas cũ lucro non valent vendere, cum damno, aut cum malis, incertisq; creditis expediunt vnde fit, vt cùm nec debita eis reddantur, nec ipsi aliis sint soluendo, solũ vertere cogantur. Pereunt opifices, villani, & alii, qui manibus victum sibi quærunt: tum quòd negligentes, sint in opere suo; dũ quòd, quæ tota hebdomada adepti sunt, vna, atque altera die in cõpotationibus abliguriunt. Neq; verentur. vel in tempora, vel in ipsum creatorem temporum, paupertatis suæ culpam coniicere, cùm ipsi interitus sui caussa sint Dices; Noui hominem,

minem, de quo nihil vitiosum fama circũfert, & tamen est in egestate. Rara equidem auis, nisi casus aliquis infirmitatis, furis, incendii, & similes obueniant. Et tunc ad tertium fontem nobis recurrendum erit. Dormit autem Christus Dominus tum temporis, quia nouit id nobis expedire. Dormiendo autem, aliis quidem etiam habita permittit auferre, vt Iobo, aliis verò dare bona temporalia non vult, etiã laborantibus. Cuius rei pulchrũ habemus exemplum in vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini, qui supra domunculam in qua vidua cũ tribus filiabus habitaba, tvidit primũ angelum bonum, postea fædum cacodæmonem. Angelum quidem, quando fæminæ illæ erant pauperrimæ, quæ licet nendo, & laborando victum quærerent, in maxima tamen egestate permanebant, miseræ, laceræ, vix durum panẽ habẽtes, cacodæmonẽ verò quando subleuatæ à pio pastore & otio sese dediderunt, & ornare non animas, sed corpora sua studuerunt. Benè igitur facit Christus Iesus, bona non dando: pessimè autem nos agimus, datis abutendo, indeq; æternum interitum nobis parando.

Alterum exemplum sit de Rerumpublicarum, & regnorum interitu; cuius præter cõmunẽ illam vicissitudinis mundanę causam, quæ non tam est causa, quod ista fiant, quàm quod fieri possint, propria & proxima perditionis Regnorum origo est, quàm sapiens his

Alterum de interitu regnorum.

Causa proxima

NOTA.

Eccl: 10. 8 his verbis expressit: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Iniustitiam in capite

Iniustitia. posuit, quia hæc stirps cæterorum est. Propterea quamdiu iustitia apud Romanos viguit, viguisse imperium eorum probat Augustinus. Quid verò iustitiæ magis proprium, quàm reddere vnicuiq; , quod suum est? [qua

In lib: de ciuitate Dei

In Deum in re, (vt vbiq;) primum locum occupat Deus, cui quoties Iudæi verum cultum exhibere noluerunt, toties in captiuitatem dati sunt. Exemplorum plena est tota scriptura, plenæ experientiâ omnes gentes, in quas dispersi

In platos. sunt Iudæi. Quia Messiæ Deo honorē debitum exhibere recusarunt. Deo proximi sunt qui ab illo constituuntur, vt regant animas, & Ecclesiam ipsius: quibus quoties gentes aliquę siue hæresi, siue Schismate, siue vtroq; infectæ, debitam obedientiam præstare noluerunt, toties regna illorum translata sunt in aliam gentem, licèt barbaram & infidelem, exequutricem tamen iustitiæ Dei, contra eos qui se Christianos, id est, fideles vocant, sed verè non sunt tales. Testis est huius rei tota Græcia, testis Cyprus, & alia regna: testis Vn-

In alios. garia, testes & aliæ prouinciæ, quæ non prius Saracenis & Turcis traditæ sunt; quàm ipsæ se infidelitati tradiderunt, & per Schismata à capite Ecclesiæ per summam iniustitiam seipsas segregarunt. Quid dicam de aliis iniustitiis? quibus iura Ecclesiastica euertuntur? quibus

quibus à potẽtioribus impotentes opprimũtur? quibus coguntur, alii aliorum ferre onera, quibus propter priuata commoda, publica negliguntur, turbantur, diripiuntur? quibus ſacra dominandi cupido non humana tantùm, ſed etiam diuina, naturalia, & ipſa gentium violat iura? Videant, quos noſter ſermo tangit, præſertim hæretici, Schiſmatici, Politici, & ſciant quòd cùm talia Deus & Chriſtus Ieſus aſpicit, tunc dormire incipit: quo dormiente procella deſcendit, mare turbatur, tempeſtas exoritur, fluctus & interni ſeditionum & externi bellorum, excitantur, quibus non familiæ tantùm, ſed & prouinciæ, imò regna, imò & nationes totæ pereunt. Et hæc videntes ac in cordibus ſuis diligenter circumſpicientes, deſinant obſecro tãtorum malorum cauſa eſſe; quin imò remedia accipiant, quibus ſe, ſuos, patriam, gentemq;, conſeruent ſuam.

Remedia autem contra hæc omnia (& alia mala, quæ ex dictis capitibus erui poſſunt) egregia ſane habemus, tum in dictis, tum ex Euangelio toto, tum verò in hac diſcipulorũ Chriſti oratione: DOMINE SALVA NOS PERIMVS. Itaq; primum quidem in culco mentibus & memoriis veſtris, eam, in qua magnam concionis partem conſumpſimus conſiderationem; & quæſtionem nempè vt in menſis, colloquiis, conuiuiiſq; veſtris, frequenter eam proponatis; interrogantes

TERTIVM Remedia cõtinet.

1. Interrogãdum quomodo pereat homo.

vos inuicem: Quibusnam modis pereat homo? Nemo enim erit, qui hac de re exemplũ aliquod in medium adferre non possit. Indeq; cognoscentur multi, & mirabiles interitus humani, modi, & rationes, per exempla antiqua & recentia, literis mãdata, & quotidiana. Quomodo, verbi gratia, hic à tali morbo, ille morte subitanea, alter ab inimicis, alius ab amicis, nec non alius à bestiis, à canibus, à felibus (vt Romæ visum est Epitaphium) etiam sibi amicissimis interierunt; & infiniti casus alii proponentur. Similiter quomodo pereunt in anima alii à diuitiis, à voluptatibus alii, à nimio honoris appetitu, alii ab aduersariis, qui illos vexant, & persequũtur; alii è contra ab amicissimis sibi quod fit vt plurimùm. Quot sunt enim, qui propter socios, cognatos, consanguineos & alios adulatores, in anima pereunt? Isti enim plerumq; inordinatum siue nostri, siue aliorum amorem in nobis procreant, quo anima sauciata, ex gratia diuina (quæ anima est animæ, vt sępe audiuistis) excidit, ideoq; mori eam necesse est. Hæc & alia rogo, moneoq; iterum atq; iterum, vt in sermones vestros inducatis. Multa enim inde commoda refferetis; materiam loquendi de rebus bonis habebitis; detractiones, & his similia, quibus colloquia vestra sunt plena, fugietis; miseriam vitæ humanæ, tanquam in speculo aspicietis; indeq; & ad pœnitentiam, & ad bona opera vos excitabitis.

Fruct⁹ inde quatuor.

Quam

Quamadrem multum conducet, animo & cogitatione lustrare, quæ de terrore Apostolorum exorto, ex tempestate maris, in Euangelio dicuntur: & conferre cum terroribus illis, qui impios post hanc vitam excipient; quorum isti vmbram tantum quandam & imaginem prę\setulerunt: & tamen tantum, quantum audiuistis, omnibus, metum incusserunt. Expende igitur obsecro, quòd si tanta taliaq; excitarunt mala, & pericula dæmones in aliena, vt ita dicam ditione, quid facient in domo propria? quid, inquam, in inferno operabuntur? vbi dominium suum perfectè exercent? quò tamen tu siue per infidelitatem, siue per impia opera properas. Deinde si talia fiunt in nauicula, id est, in anima, vbi Christus residet; quę, & qualia fieri putas in anima, quæ sedes est diaboli? Vtinam oculi tui aperiantur vel ad momentum, vt crudeles illas animæ tuæ tempestates videre queas. Crediderim quòd confestim gemitus grauissimos, lachrymasq; emitteres vberrimas. Præterea reputa animo tuo, si tãtum timorem fecit inundatio aquea, quantũ adferet diluium igneum. quod est in inferno? Item, si talia operatum est periculum submersionis nauis in mari, vnde euadunt tamen plurimi; & qui submersi fuerint, mortem oppetunt, nec quidquam ampliùs sentiunt; quid faciet non periculum, sed ipsa submersio? nõ in aqua, sed in igne æterno? vnde nulla est spes

2. Comparatio terroris huius cum futuro.

1.

2.

3.

4.

siue liberationis, siue mortis, quam impii desiderabunt, neque tamen habere poterunt?
5. Insuper, hic locum habet clamor ad Deum; ibi nec clamor vllus talis erit, sed potiùs in Deum blasphemiæ: nec locum vllum habebit;
6. etiamsi esset maximus. Hic excitari potest Deus, prout Christus Dominus clamoribus discipulorum hodie excitatus est: ibi nulla spes excitationis. Altissimum enim altissimus aget somnum; dormietque iucundè in ceruicali, quando clamores impiorum *subsanabit*, *& in interitu eorum* in æternum *ridebit*. Isthæc igitur voluite, & reuoluite ô peccatores, & dum tempus habetis, excitate timorem in corde vestro: & cum vera pœnitentia clamate: DOMINE SALVA NOS, PERIMVS. Agnoscite illum verè dominum, vosq; sitis veri illius serui, facientes voluntatem eius ex corde perfecto, & syncerè dolentes de peccatis vestris. Nã post mortem nunquam Deus hostes suos exaudiet, quales sunt omnes in peccato mortali constituti, & qui impenitentes moriuntur. Qui etiamsi clament toto gutture: *Domine Domine aperi nobis*, non exaudientur; sed dicetur illis, *Amen dico vobis nescio vos*. Primùm igitur debemus per Sacramenta reconciliari Christo Iesu Domino nostro: Postea verò per timorem, licèt seruilem, peruenire ad timorem filialem. Cuius rei pulchrum in Euangelio typum videmus. Apostoli enim primũ quidem

Psal: 2. 4.
Prou: 1. 26
3. Remedium Agnoscere dominium Christi.
Mat. 25. 11
4. A timore seruili ad filialem procedere.

dem perterriti tempestate, timore seruili correpti erant; postea verò sedato mari, videntes tantùm miraculum, *timentes mirati sunt* procul dubio timore reuerentiali, & filiali. Eos igitur imitemur, ne animæ nostræ, ne corporum vnà cum anima, ne liberorum, ne familiæ, ne Reipub. ne gentis nostræ (quæ omnia tantoperè amamus) perditionis & interitus causa simus, prout fuisse multos euidenter vobis demonstratum est. Et imitantes Apostolos, clamemus cum vera fiducia; DOMINE SALVA NOS, PERIMVS: sine eius namq; adiutorio, omninò peribimus Ne ergo pereamus: clamemus, tum voce in orationibus & meditationibus; tum verò opere ipso. Magna vox in auribus altissimi, cessatio à peccatis: magna, dolor de eis, & confessio; magna fructus pænitentiæ; magna vitæ emendatio; magna, eleemosynę, & aliorum operum misericordiæ exercitatio; magna, Sacramentorum frequentatio: maxima autem in his omnibus vsque in finem perseuerantia. Hac enim accedente, post hanc vitam & videbimus, & laudabimus, & glorificabimus Deum nostrum trinum & vnum, viuentem & regnantem in sæcula sæculorum.

AMEN.

Luc: 8. 25.

5. Oratio adhibenda ore & opere.

NAVIS ECCLESIA EIVS SEX PROPRIET

CONCIO SECVNDA
Fides.

EX SENSV ALLEGORICO.

Allegoricus sensus quid valeat.

ETsi non sim nescius, quàm parui, imò minimi faciãt Hæretici, sensum mysticum, seu allegoricum, quando ex hoc quasi propugnaculo à nobis oppugnantur: tamen cùm neque illud me lateat, quàm maximi illum æstiment, quando ipsi eo vtuntur; ita sanè vt tota fides Hæreticorum, penè ex sensu metaphorico pendere videatur: (inde quoq; qui prudens est, eorum cognoscat artes) induxi in animum meum ex Euangelio hodierno mysticè intellecto, fidem confirmare Catholicam, & veram monstrare Ecclesiam; sperans aliquos ex iis, saltem tam bonos æquosque inuentum iri, vt quod ab aliis requirunt, ipsi præstent aliis, cùm id prima lex nãæ docuerit semper. Atq; equidem si tales ipsi inducerent figuras, qualis ista est, arbitror neminem Catholicorum futurum, qui non obuiis eas susciperet vlnis. Fundatur etenim hęc nostra allegoria, non solùm in Sanctorum Patrum vnanimi cõsensu, sed etiam in ipsius scripturæ sensu. Quis eñ vel mediocriter in scriptura versatus ignorat, per mare mundum hunc

hunc denotari; cùm ipse Saluator in parabola de sagena eadem vtatur allegoria? Nec minus clarum est, Ecclesiam Christi Domini siue *sagenæ missæ in mare*, siue naui in eodem mari, id est, in mundo constitutæ rectè comparari. Id enim tam est euidens, vt fuerit tempus, quādo Ecclesia Dei tota, in hoc mundo constituta, in sola & vnà naui contineretur. In naui inquam illa, quam Noë Patriarcha ad instar arcæ (iussu Dei) fabricauerat: in *qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquā*. In his autē octo tum temporis tota Ecclesia comprehendebatur, cùm plures homines viui in mundo non essent. Quam quidem figuram seu allegoriam pulchrè explicat Princeps Apostolorum D. Petrus, quem nos quantum ingenii nostri tenuitas patietur conabimur imitari.

Mat: 13. 14

Tota Ecclesia in vna naui.

Gen: 6. 14.

1. Pet: 3. 20

Posset autem multis, & variis modis Ecclesia Dei, prǽsertim noui Testamenti, naui comparari: verùm ne nimis longi simus, sex tantum nauis proprietates expendemus, easque congregationi fidelium applicabimus. Tres quidem quæ communes sunt aliis: totidem verò naui huic, cuius in Euāgelio fit mentio, peculiares. Ex quibus omnibus, vbinam sit in terris vera Ecclesia euidenter demonstrabitur. Da Christe Iesu, vt ita hæc agamus, vt in nauicula tua sancta permanentes, quæ tibi sunt placita, semper operemur.

PROPOS: Sex puncta seu proprietates.

Stupendæ sanè sunt, tum artes dæmonis, quibus omnes vias ad agnoscēdam veritatem proclu-

Artes dæmonis stupēdę NOTA

procludere & è medio tollere conatur: tum aut cęcitas Hæreticorum qui illas non vident, aut malitia. Ministrorum, qui videntes, iis nihilominùs acquiescunt. Disseruimus hac de re aliquando; ostendimusq; tum ex Apostolo, quomodo nobis loquatur Deus; tum quibusnam fraudibus Sathanas per suos Ministros, omnia Dei nobis loquentis genera, eneruare conatur. Hoc enim fecit dum iter ad Ecclesiam obstruit: dum traditationes Apostolicas è medio tollit; dum historias Ecclesiasticas mendacii arguit: dum miracula blasphemat: dũ Prohetas noui Testamẽti ridet: dũ cõcilia œcumenica repudiat: dum Pastores Ecclesiæ, maximè summos, Antichristos vocat: dum Doctoribus etiam concordibus, errores in rebus fidei impingit: dum consuetudines Ecclesiæ pias abusus nuncupat: dum ipsam deniq; sacram scripturam capitibus Ministrorum suorum subdit & subiicit; vt non quod illa dicit, sed quod cuique Ministrorum placet, asserere videatur. De his inquam in Aduentu disputauimus, sed perpaucis. Quapropter censuimus de singulis aliquantò copiosius agere; quod de primo capite, hac concione, Christo iuuante perficiemus. Quare sub typo nauiculæ istius, qua Christus hodie vehitur, ostendemus iter planum & apertum ad inueniendam ipsius in terra Ecclesiam, & veram fidelium congregationem.

Dom: 4. Adu: Cõ: 2. Eph: 4. 11.

Ecclesiæ proprietates.

PRIMA visibilẽ esse.

PRIMA igitur nauis, quam incolit Christus.

ſtus, id eſt, Eccleſiæ ipſius in hac peregrinatione conſtitutæ, & ad portum ſalutis tendentis eſt proprietas, quòd ſit *in medio mari* poſita; Mat:14.24 ideoq; omnibus non ſolùm qui propè illam ſunt, ſed etiam qui longè ab ea diſtant, viſibilis eſt valde, & conſpicua. Notum eſt eñ tum experientia, tum ipſis Mathematicorum inſtrumentis, mare multò altius eſſe terrâ (indeque mare altum vocat) ideoq; naues, quæ in medio mari ſunt, conſpicuas eſſe nimis. Talis verò eſt Eccleſia Ieſu Chriſti; talem (contra omnem hæreticorum perfidiam) nos eam eſſe credimus, aſſerimus, comprobamus. Non ſolùm ex hac ſimilitudine, ſed etiam ex aliis parabolis, quibus ipſe Saluator, ad hoc noſtrum propoſitum vtitur, comparans diſcipulos ſuos, tum luci, tum ciuitati. Sic enim ad eos inquit: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montẽ poſita.* Quomodo ergo lux, quæ facit vt alia videantur, obſcura erit? quomodo ciuitas ſupra montem poſita, abſcondetur? At reſpondent hæretici, de Apoſtolis hęc, non de Eccleſia dici. Quàm inepta reſponſio! Nunquid Apoſtoli non erant tum temporis & poſtea, quam diu vixerunt, bona pars Eccleſiæ? Si ergò illi videbantur, vt Chriſtus affirmat, quomodo Eccleſia erat inuiſibilis? Et hoc eſt quod nos aſſerimus; Eccleſiam conſpicuam eſſe, quia video in ea Epiſcopos, & alios poſteros Apoſtolorũ, regentem plebem; ſucceſ-

1. Ex ſimilitudine naui

2. Luminis. *Mat: 5.15.*
3. Ciuitatis in monte poſitæ.

NOTA
Quid faciat Ecclãm viſibilem.

ſorem

Ioā. 21. 15. ſorem verò Petri principis Apoſtolorum, gubernantem ipſos etiam Epiſcopos, aliosq́; paſtores, iuxta mandatum Chriſti Domini. Video preterea pulchro ordine omnia membra mẽbris cõpaginata; video, inquã, prophetãtes prophetas, doctores docentes, paſtores gregẽ ſibi commiſſum paſcentes, oues paſtoribus obedientes. Video alios *gubernantes*, alios *opitulantes*, alios ſcripturam *interpretantes*; alios *oculi*, alios *auris*, alios *pedum*, alios *manus*, alios aliorum membrorum vices gerentes. Et hæc videns glorifico patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui me in ea congregatione cõſtituit; in qua omnia, quæ ab ipſo, & ab Apoſtolis perdicta ſunt, implentur: prẹſertim verò quæ Apoſtolus Paulus ſub ſimilitudine corporis & membrorum eſſe, & fore in Eccleſia docuit. Video deniq; quomodo hæc omnia membra glutino charitatis (quod recipitur in Sacramentis, quæ viſibiliter in Eccleſia & dantur & percipiuntur) ſibi inuicem cohæreant, copulantur, coagmentantur. Hæc ſunt, & his ſimilia, quæ viſibilem Eccleſiã mihi reddunt, quæ quicunq; non videt, profectò (vt cũ D. Petro dicam) *cæcus eſt & manu tentans.*

4. Mẽbrorũ vnius corporis. 1. Cor: 12: 12 Eph: 4. 11. 2. Pet: 1. 9.

Cæterùm, non ſolùm ea, quæ retulimus, ſed & alia multò etiam clariora, adſunt nobis diuina teſtimonia, ad comprobandum Eccleſiam Chriſti palam eſſe omnibus, qui eam videre volunt. Teſtimoniorum autem, illud Chriſti primũ locum obtinet; quo præcipit, vt in

5. Ex præcepto Chriſti Dic Eccleſię

vt in controuersiis, quæ exoriuntur, si quispiam sit pertinax, & nolit corrigi tandem recursus fiat ad Ecclesiam; *Dic Ecclesiæ*, inquit Saluator, & addit seuerum erga inobedientes decretum, dicens: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Quomodo autem ego dicere possum Ecclesiæ, si (vt hæretici fingunt) illa est inuisibilis? Vbi eam quæram? vbi videbo, quod videri nequit? Nescio quid euidentius pro hac veritate vel dici, vel excogitari hac authoritate possit. Propterea torquent se miseri miserè, vt tam claram scripturam contorqueant & elidant: Et argutiores, quidem duo repererunt refugia: alterum, dictum Christi intelligendum esse non de controuersiis in rebus fidei, sed de correctione fraterna, quando videlicet duo inuicem contendunt; alterum, tum temporis solūmodò standū esse decreto ecclesiæ, quando illud cum scriptura conuenit: aliâs non. Sed videte quæso, quomodo hîc quoq; & insipientiam suam produnt, & suo se (quod dicunt) iugulāt gladio. In vtraq; enim respōsione cōcedunt, quod negant. Negant Ecclesiam esse visibilem, & tamen concedunt, vt quando duo contendunt, neq; concordes fieri volunt, ad Ecclesiam recurrant: concedunt etiā, imò præcipiunt, vt si decretum Ecclesiæ cum scriptura conueniat, obediatur illi: Visibilis igitur erit Ecclesia, quam adire, & cui obedire debeo. Quid hac demonstratione euidentius?

Mat. 18. 16

Respondent Hæretici dupliciter.

Vrgentur tripliciter.

Præterea

Qm̃odo sũt mendaces. Præterea, peto ab illis, an in rebus fidei possit esse dissidium inter fratres? si negant, Ipsę domus & cognationes illorũ, eos mendacii conuincent. Quis enim ignorat, etiam hîc Vilnæ, plurimas reperiri domos, in quibus aliter credit maritus, aliter vxor, aliter familia? aliam tenet fidem pater, aliam filius, aliam cognatus? quamq; acriter sæpè inter se hac de re cõtendant? Quod concedunt; Stat ergò veritas Catholica, dari visibilem Ecclesiam, ad quam in talibus iussu Christi, vltimus recursus esse debeat. Ad extremum, extrema illa responsionis pars, impia & stulta est nimis, Euertit enim funditùs diuinum ordinem, & constitutionem Christi, qua de re paulò pòst plura dicemus. Edictum verò hoc Christi Domini erit nobis aliquando diligentiùs excutiendũ: quando agemus quomodo Ecclesia in determinatioe sua errare non possit: nunc ad probandum hinc, quòd sit conspicua, isthæc dicta sufficiant.

Qñodo peruertũt ordinẽ diuinũ.

6. Probatur visibilitas Ecclesiæ ex Dauide. Sed & aliæ tam veteris, quàm noui testamenti non desunt auctoritates, quibus veritas Catholica de visibiltate Ecclesiæ astruitur. Hoc prædixit Dauid secundum interpretationem D. Pauli; quando asseruit tum vocem Apostolorum penetraturam vniuersum orbem: tum Christum Messiam in sole collocaturum tabernaculum suum Quomodo ergò obscurum erit, quod & in sole positum est, & in toto insonuit orbe: De filio verò ipsius

Psal: 18. 5. Ro: 10. 14.

7. ExAp̃lo.

3. Reg: 8. 14.

Salamone

Salamone dicitur; *Conuertit rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat*: Visibilis igitur fuit Ecclesia Iudæorum, quæ in vno tantùm mundi angulo locata, quasi in valle latitabat; & non erit visibilis Ecclesia Christi, quæ iuxta prophetarum præsagia per totum orbem diffundi debuit? & secundum dictum Christi Iesu, vt ciuitas in monte posita est? Quis vnquam audiuit maius absurdum? Sed & Apostolus qñ docet tum seniores à se Epheso euocatos Miletum, quomodo deberent *regere Ecclesiam Dei, quàm acquisiuit sanguine suo*: tum Timotheum; *quomodo oportuerit eum in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui*; nonne euidẽter ostendit Ecclesiam esse visibilem? Quis tam cæcus, vt tantam veritatem non videat?

8 Ex Salomone à fortiori.

Isa: 2. 2. Dan. 4. 35 Mih. 4. 1.

9. Iterum ex Apostolo. *Ma: 5. 15. Act 20. 28 1. Tim. 3. 15.*

10. Ex codẽ.

At obiiciunt hæretici, præcipua, quæ sunt in Ecclesia, vt sanctitatem, fidem, spem, charitatem, iustificationem, ipsos deniq; prædestinatos, conspici nõ posse: ac proinde ipsam quoq; Ecclesiam inuisibilem esse. Quin imò, inquiunt, nonne Dauid de Ecclesia ait: *omnis gloria eius ab intus*; quæ verò intus sunt, vtiq; palam omnibus non sunt. Quibus nos vicissim obiicimus. Nonne præcipua, quæ sunt in nobis inuisibilia sunt? Talis est enim profectò anima ipsa, talis mens, ratio, voluntas, memoria,, talis est scientia, & doctrina, & iusticia, & fortitudo, & omnes deniq; virtutes;

Obiectiones Hæreticorum.

Ps: 44. 14.

Retorquentur à simili & exẽplo.
NOTA.

tutes; nihilominus, quis tam stultus, qui hominem inuisibilem esse dicat; licèt excellentissima quæq; hominis sint inuisibilia? Discite igitur, ô miseri, aliquando, vel ex vobismetipsis sapere, & non sapientem Ecclesiam, sed vosmetipsos insipientiæ arguere; discite denominationem in talibus non à potiori, sed à debiliori parte esse debere, prout in homine, & in similibus fieri animaduertitis; & conuertimini ad matrem vestram, quæ syncerè vos docet omnia; fuci autem habet nihil, quo ministri vestri pleni sunt. Accipite fucos hîc illorum aliquot. Primus est in verbis, illis, quos ex Dauide non integrè, (vt eos magister illorum Sathanas cum Christo disputans docuit) citarunt. Audite enim integrum versiculum, & cognoscite veritatem. Sic inquit Dauid: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Et ita per omnia credit fides Catholica; nempè quod filiæ Regis, id est, tum Ecclesiæ, , tum fidelis animæ, *Omnis gloria ab intus*, sit; Ita, tamen, vt inde emanet etiam, & appareat extrinsecùs, propterea addit psalmista, *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* Variis sanè & admirabilibus varietatibus est circumdata, per quas fit omnibus visibilis, & quas partim iam enumerauimus, partim cum lætitia in ecclesia conspicimus, tot ceremonias sanctas, tot constitutiones sapientissimas de festis, de ieiuniis, deq; aliis; tot

Fuci hæreticorum producũtur. Primus ex scriptura mutilata q̃ retorquetur *Mat. 4. 6*

Ps. 44. 14

tot denique gratias, quæ etiam in particularibus personis elucent: quæ licèt extrinsecus appareant, ab intus tamen decorem suum accipiunt. Sicut enim omnis decor naturalis, qui in corpore apparet nostro, ab anima proficiscitur: ita omnis Ecclesiæ maiestas extrinsecus apparens, à Spiritu Sancto est, & ab interno ipsius regimine procedit. Ista est igitur Ecclesiæ syncera & scripturæ conformis doctrina: Ministrorum verò fucus & impostura pura. Altera est, quæ continet artes varias, & doctrinas sibi contrarias, quibus perfidiam suam de inuisibilitate Ecclesiæ cooperire conantur. Asserunt etenim Ecclesiam esse inuisibilem, & tamen paulò pòst, sui quasi obliti, aiunt eam digito, à se monstrari. Deinde iam vnam, iam duas Ecclesias statuunt, quarum alterá aiũt esse visibilẽ, alterá inuisibilẽ: & visilem quidem plenam esse erroribus, inuisibilẽ verò illis carere. Hæ sunt, & his similes ineptę phantasiæ, Ministrorũ. Qui respondeant mihi quæso, ad quam istarũ duarum ecclesiarũ, concionibus suis perducant homines? Num ad inuisibilem? At hanc quomodo norunt, si soli Deo esse cognitam asserunt? Num ad ad visibilem? & quam digito se monstrare dicunt? sed hęc secundum illos plena est erroribus. Ad errores igitur pertrahunt auditores suos: Quod & verissimum est, & luce meridiana clarius. Quis ergò nisi insipiens, & prodigus salutis suæ Ministros audiet?

A simili.

Alter fucus cõtradictiones cõtinet.

Nolite obſecro, & obteſtor illis acquieſcere; nolite permittere, vt amplius fucis & fallacijs ſuis oculos animorum veſtrorum decipiant.

Tertius fuc' peſsimus ex fine.

Deniq; & illa celebris eſt hîc impoſtura, quæ ex fine deſumitur. Confinxerunt enim inuiſibilitatem hanc Eccleſiæ, cùm vt ſuum illum errorem, bonos tantum eſſe in Eccleſia, ſtabiliant; tum verò vt viam obſtruant, ne quis iuxta Chriſti mandatum ab illorum opinionibus ad Eccleſiā recurrere, & veritatē agnoſcere poſſit. Quo enim ibit, ſi Eccleſia non eſt conſpicua? Hæc eſt fraus illorum, diabolica planè aſtutia plena, ſed iam ad alias nauis proprietates rranſeamus.

SECVNDA Proprietas Eccleſiæ. Formam nauis habere.

Mar: 4. 38.

SECVNDA igitur nauiculæ, qua vehitur Chriſtus, conditio eſt vt ſit nō ſicut arca Noë quadrata; ſed vt aliæ naues ante & retro anguſta, in medio verò lata. Cum enim dicatur, quòd Chriſtus Dominus *fuit in puppi ſuper ceruical dormiens*, apertè demonſtratur, nauim hanc etiam proram habuiſſe, & ad inſtar aliarum nauium fuiſſe. Ecce typus Eccleſiæ Catholicæ. Quamdiu enī oceanus durabit, tam diu quoque durabit Eccleſia, & nauicula Ieſu Chriſti: (de quo paulo pòſt plura) ea tamen ratione, vt ſicut nauis in prora ſtricta eſt, dilatatur autem magis magiſque donec ad medium perueniatur, vbi eſt latiſſima; inde verò iterum puppim verſus conſtringitur:

Hoc videtur apud Catholicos.

ita Eccleſia à paruis initiis in Iudæa cœpit: poſtea ſingulis ſeculis augmentum ſumpſit eximium:

mium: ac tandem ſub finem mundi, iterum conſtringetur: ita tamen, vt ſicut puppis latior eſt quàm prora, ita Eccleſia copioſior futura credatur in fine, quàm fuerit in principio; ſtrictior tamen quàm in medio. Et verò quod ad hæc tempora attinet, certum eſt eam eſſe in medio; nec videtur improbabile, eam hucuſque creſcere. Nam quamuis quæ olim erat in oriente latiſſima Eccleſia, nunc per Hęreſes, Schiſmata, & Machometiſmum multũ decreuerit: in occidente verò per Lutherum, & quæ ex hydra iſta prodierunt capita ac mõſtra nonnihil detrimenti paſſa ſit: tamen in Nouo (quem vocamus) orbe, in Indiis inquam tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus. In Inſulis plurimis, in regnis ampliſſimis ita dilatatur populus Chriſtianus, vbi ne nomen quidem Chriſti olim audiebatur, vt iacturam multò cum fęnore ſuperaſſe videatur: ideoq; probabile eſſe videtur, eam nondum ad medium perueniſſe, ſed creſcere, & augmẽtum ſumere hucuſque. Verùm nos iſthæc diuinæ prouidentiæ relinquentes (pauca hæc ad conſolationem Catholicorũ dicta ſunto) ad noſtra redeamus. Itaq; dicimus, imò extenſo digito, in hiſtoriis & in mappis mundi, monſtramus, hanc quam diximus nauis faciem Eccleſiam Catholicam habere; omnes verò alias congregationes ea carere. Negabunt hoc Hæretici, aſſerentes ſuas quoque ſectas à paruis cæpiſſe initiis: dilatari verò in dies magis

Nũc vero eſt in medio.

Cõtrariũ apud Hæreticos.

 gis

gis magisq; ac dilatatum iri, vsque in finem mundi: Sed frustrà negant, quod omnes & oculis vident, & contrectant manibus; non solum Catholici, sed etiam ipsimet hæretici. Interroga etenim Lutheranum de secta Caluini, & hunc de Lutheranismo, & ita deinceps alios de aliis, & videbis quid tibi respondebunt: non aliud sanè quàm quod nos de omnibus: Id videlicet, à paucis quidem, imò ab vno singulas earum cæpisse: at verò vix aliquid progressus fecisse, cùm constringi cæperunt. Nunquid non viuente adhuc Luthero consurrexit Carolostadius, Oecolampadius, Zuinglius, Suencfeldius, & paulò pòst Caluinus, qui Charõtis illius cymbam, mire constrinxerunt, eiusq; discipulos ad se pertraxerunt? Hoc ipsum fecit Caluino, Gentilis, Seruetus, Ochinus, Palleologus, & alii. Dicere autem doctrinas eorum duraturas vsque ad finem mundi, quanta impudentia, ne dicam insania? Cùm videãt quomodo in innumeras plane sectas dissecti sint, & quotidie discindãtur, licet ab ortu earum nondum vnum sæculum numeretur? Credẽtes quidem, (vt eos Pontifex vocat) aliquanto sunt constantiores, non diu tamen: At Ministri acutiores, pro captu & capite cuiusq; nouas sibi in dies singulos formant fidei professiones. Nostis qui, etiam hîc Vilnæ inter eos agatur, quomodo sese mutuo eiiciant, & anathemate feriant, sed non est quod in re nimis clara diutius immeremur.

Ipsismet testibus.

Et ipsa experientia.

In Bulla

TER-

Tertia nauis qua vehitur Christus Dominus proprietas est, quòd inferius sit stricta & bene munita, superius aperta. Ideò in Euangelio hodierno dicitur: Ita, Vt Nauicula Operiretur Fluctibus. D. Marcus verò ait: *Facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.* Talis est Catholica Ecclesia, versus mare & terrena ista, est & stricta; & bene munita. Clamat enim cum Apostolo: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et iterum: *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione* Commendat enim nobis, mater nostra, mortificationem carnis: constituit ieiunia ad eam refrenandam; habet remedia cõtra omnia vitia & tentationes; adhibetq; illa cùm alias, tum verò in confessionibus, cogendo fideles ad restitutiones ad eleemosynas, flagellationes, cilicia, & alia satisfactionis opera: quæ omnia, tum terrena hæc bene constringunt, tum carnem nostram optimè muniunt, contra omnia mundi & maris & commoda, & incomoda; id est contra omnia tam aduersa, quàm prospera. Versus cælum autem lata & aperta est: Cælũ ipsa Ecclesia intuetur, vnde regimen & potestatem clauium, vnde Sacramenta, & in iis gratiam; vnde dona Spiritus Sãcti, & gratias gratis datas, vnde alia innumera accipit diuina beneficia. Cælũ quoq; filios suos aspicere iubet, vt inde omnem iusti-

TERTIA PROPR: Ecclesię strictam & latã esse.

Talis ẽ apud Catholicos.

1. Tim: 6. 8

Rom: 13. 13

Cõstricta ad terrena.

Lata & apta cælũ versus.
NOTA.

ficationem non imputatiuã, ſed realem; non imaginariam, ſed inhærentem, cum fide, ſpe, charitate, & aliis virtutibus veris & veraciter in cordibus piorum diffuſis, & expectent, & hauriant. Atque ad hæc omnia, non ſicut ad priora illa terrena, ſtrictum & anguſtum, ſed amplum & largum cor habere iubet. Aſſerit namq; & docet: quantò plus quiſpiã cor ſuum cælum verſum in ſpiritualibus dilatauerit, tãtò copioſiores gratias inde ſumpturũ, ipſumq; magis ac magis iuſtum futurum cũ nõ ſolũ alii aliis iuſtiores eſſe poſſint, ſed etiam quilibet pro numero & qualitate bonorum operum, ſeipſo in dies ſingulos ſanctior eſſe queat. Vtque id nobis eueniat, deſiderat, monet, hortaturq; filios ſuos mater noſtra pia Sancta Catholica Eccleſia. Eoq; nomine conſtituit preces horarias, tum viris eccleſiaſticis, ac beneficiatis, tum fẹmimis religioſis: ordinauit prẹterea in templis Cathedralibus orationes, & cantus nocturnos, ac diurnos: eos quoq; qui ſe diuino ſeruitio manciparunt, voto caſtitatis adſtrinxit, nec non approbauit: & comẽdat valde tum vota caſtitatis, paupertatis, obedientiæ: tum meditationes & contemplationes, tum alia ſancta exercitia, & mortificationes religioſorum. Quæ omnia, vel penè omnia, illi, qui ſe ab Eccleſia ſegregarunt, rident, conuitiis proſcindunt, deſtruunt, & profligant, non ſolum vita ſua mala (quod etiam, proch dolor, inter Catholicos reperitur) ſed

Secus apud Hæreticos qui.

etiam

etiam (quod caput est) doctrina sua pessima. Docent enim: solam fidem iustificare, quo fundamento quasi posito quid aliud faciunt, quã *commessationis, ebrietatis impudicitiæ* & vniuersos scelerum ac flagiliorũ sedes superstruunt. Docent prçterea, *alimenta & quibus tegantur* siue pauperes, siue diuites Sacerdotes, illorum non esse. Qua quidem doctrina Regibus principibus, aliisq; dominis secularibus largam facultatẽ præbuerunt bona Ecclesiastica, & quæuis alia Deo dicata vastandi, diripiendi, sibiq; applicandi, quod & factũ esse, quocũque eorum peruenerunt hæreses, quis nõ videt? Docent insuper, omes Christianos in diiudicandis rebus fidei esse & doctos, & liberos: vnde *contentiones & æmulationes* sine fine exortæ sunt, ac augentur quotidie. Præter hæc omnia, ieiunia Ecclesiastica penitùs abrogarunt: cõfessiones & satisfactiones, quæ tum temporis indicuntur, carnificinas vocarunt; aliaq; ad corrigendum animalem hominẽ vtilissima remedia profligarunt; ac proinde carni, eiusq; desideriis campum latissimum aperuerunt. Quod verò ad dona cælestia attinet, hæc contrario modo constrinxerunt. Etenim, potestatem clauium, & omnem Ecclesiasticam iurisdictionem è medio sustulerunt: Sacramenta verò pro libito & capite cuiusuis Ministri diminuerunt: & quod caput est, diuina gratia, ea priuarunt. Iustificstionem præterea quandam imputatiuam, & nescio vbi

Ad terrena dilatantur.

Cçlestia verò constringuntur.

1. Cor. 2. 14

circumuolantem confinxerunt: charitatem verò cum aliis virtutibus, & donis Spiritus sancti in cordibus fidelium extinxerunt. Adde, quòd neminem alio iustiorem esse, vel esse posse, tanta cum impudentia asseruerint, & mulierculas, imò (pudet dicere) scorta sua Beatissimæ Dei genitrici adæquare veriti non fuerint. Quis vnquam olim credidisset, ad tantam impietatem & vesaniam eos, qui se Christianos esse gloriarētur deuenturos? Postremo, omnia media, quæ ad eleuandā mentem nostram ad Deū, & ad comprimendam carnem, & ad deuotionem in nobis augendā valent plurimùm, non solum abiecerunt, sed etiam miris scomatibus insectati sunt. Horas Ecclesiasticas, murmurationes nescio quas; cantus verò boatus vocarunt; Castitatem impossibilem esse asseruerunt, Vota Deo facta per sūmum scelus omnibus relaxarunt; indeq; moniales plurimas pellexerunt, & ex Dei virginibus, suas pellices effecerunt. Instituta denique omnia monachorum, & religiosorum, votaq; eorum, ac sanctissima mortificationū, meditationum, contemplationum exercitia, aut ociosorum, aut agrestium hominū mores ferinos, aut extremas esse stultitias nuncuparunt. Quis non videt, ex quo spiritu, bonone, an malo hæc prodeant? & an ista sint signa nauiculæ Christi, vel potiùs vehiculi dæmonis? Profectò liberè dicam; illos lumini & Spiritui Dei esse planè contrarios. Sed inquiūt, etiā

Obiectio diluitur.

inter

inter vestros, eoq; Ecclesiasticos reperiuntur, qui alimentis & tegumentis cõtenti non sunt: sed pecunias colligunt, nec non qui commessationibus, cubilibus, & aliis, quæ Apostolus vetat, dediti inueniuntur. Verùm prudenti respõsio satis iam est insinuata. Aliud etenim est, quod mihi vltro à doctore conceditur; aliud quod eo prohibente à me violenter rapitur. Ibi enim doctor, hîc ego in culpa sum. Illud apud hæreticos agitur; hoc etiam apud incautos catholicos reperitur. Non tamen sine remediis, de quibus paulò pòst.

IIII. PROP: Ecclesiæ Christum & Apostolos habere.

QVARTA nauis huius non iam cum aliis nauibus communis, sed pecculiaris proprietas ē, quia Christum, & Apostolos continet. Hîc maximè digladiantur hæretici: hancque inprimis sibi vsurpant proprietatem, asserẽtes, se non aliud caput, quam Christum ipsũ agnoscere, se doctrinam Apostolorum tenere: nos verò & pontificem Romanum pro capite habere, & traditiones pro doctrina Apostolorum sectari. Sed clament quantum velint, misceant more suo, quæstiones prout illis placet, nihil tamen efficient. Nos quantùm huic loco conuenit, breuiter quædam attingemus, copiosiorem verò controuersiarum, de traditionibus, deq; Romanis Pontificibus tractationem, ad aliud tempus reseruabimus. Itaq; primum, & huic loco maxime accomodatum sit, quo probamus in nostra congregatione, ac Ecclesia esse Christum, & Apo-

Id esse apud Catholicos.

1. Probatur: Quia pluribus modis eos habem⁹

Christũ quā

quidē decē modis.

& Apoſtolos: quia quacunq; ratione hæretici glorianturſe Chriſtum & Apoſtolos habere; iiſdem modis aſſerimus, eos quoq; apud nos eſſe, & inſuper multis aliis modis, & rationibus, quæ ab hæreticis reyciuntur, in Eccleſia Catholica Chriſtum Ieſum, & Apoſtolos reperiri, nos fatemur, probamus, euincimus. Agnoſcant illi Chriſtum caput Eccleſiæ, & nos agnoſcimus. Viſibile vtiq; caput non erit illis Ieſus, cùm non videant eum; neque eſt nobis: prædicari apud ſe, & à ſuis aiunt Chriſtum; prædicatur etiam apud nos & à noſtris: Per fidem, & ſacramenta aiunt ſe habere Chriſtum: habemus & nos. Et confidenter veraciterq; dicimus, magis hæc omnia apud nos reperiri, quia multò plura credimus, quàm illi, quia plura apud nos prædicantur de Chriſto, quàm apud illos, quia pluribus per totum mundum in antiquo, & nouo orbe prædicamus Chriſtum, quod nó faciunt illi; quia verè & ſubſtantialiter præſentem habemus Chriſtum, in Miſſa, in hoſtia ritè conſecrata, in ciboriis (quæ vocantur) vbi propter ægrotos aſſeruatur; quæ omnia hæretici reiiciunt, perſequuntur, blaſphemant. Similiter recipiunt hæretici Apoſtolos, per ſcripturam Sacram loquentes, recipimus & nos; & multo magis nos: quia plures ſacræ ſcripturæ libros agnoſcimus, quã illi: Et inſuper audimus Apoſtolos loquentes nobis, per traditiones, per antiquiſſimas

Ap̄los verò habem' pluſ quam Hęreticiocto modis.

conſue-

consuetudines, per successores suos, per fidẽ D. Petri; prӕterea habemus Apostolos per ossa illorum sacra, quӕ veneramur; per miracula multa quӕ ad reliquias eorum fiunt, quӕ magni facimus; per imagines eorum, quas honoramus; per auxilia varia, quę inuocando eos recipimus; perq; alios modos, quorum non solùm nullum acceptant hęretici, sed etiam turpissimis illos ac planè diabolicis conuitijs, dicterijs, maledictis, proscindunt, ac deniq; sacrilegis manibus lacerãt, pedibusq; conculcant, & flammis igniq; tradunt. Abeant iam & glorientur, apud se Christum & Apostolos esse, apud nos verò non esse. Quis sensatus tam insensatis & impudenter mendacibus credet? Hęretici verò hæc penè omnia blasphemant.

Sed & aliud argumentum penes nos est, quo probamus Christum & Apostolos esse in Ecclesia Catholica. Quia sicut in naui ista, prӕter Deum, qui fuit caput Ecclesiӕ inuisibile, aderat etiam caput visibile, ipse videlicèt Christus Dominus, secundum humanitatem suam, ad quem recurrebant Apostoli, in necessitatibus suis: ita nunc in Ecclesia Catholica prӕter ipsum Deum, & Christum Iesum (quorum vterq; iam est inuisibilis) est caput visibile, ad quod in omnibus fluctibus, qui tã circa fidem, quàm circa peruersos mores exurgere solent, recursũ habemus. Quẽadmodum enim certum est ac indubium, requiri talem potestatem in mundo, *vt non simus* 2. Probatur, quia habemus Christũm & Apostolos in Iudice visibili. Id enĩ est necessarium. *Eph. 4. 14*

mus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum: ita firma fide credendum est; Christum Iesum in necessitatibus, sponsæ suæ defuturum nunquam; prout neq; defuit, neq; deerit ad consummationem sæculi, secundum verissima promissa sua. Ac proinde reliquit nobis loco sui, caput & iudicem visibilem, qui in ijs, quę ad salutem spectant, erroneum quid decernere nō potest. Hoc nos habere fatemur: & hoc quoque nomine, domino nostro Iesu Christo, qui in Ecclesia sua *dedit potestatem talem hominibus* gratias agere non cessamus. Contra verò hæretici, qui hanc potestatem respuunt, in tot errores turpissimos delapsi sunt, quot iam non queunt numerari. Nam quòd dicūt se habere scripturam, quæ iudex esse debet omnium controversiarum, id suo modo dicunt. nempè tum *in astutia ad circumuentionem erroris* vt de illis prophetauit Apostolus: tum in suprema stultitia, vt res ipsa loquitur. Vtuntur namq; astutia Sophistica vt circumueniant, & in errorem inducant incautos, quādo perpetuò plenis buccis concrepant scripturam, scripturam; cùm sciāt non tam de scriptura ipsa, quàm de eius expositione controuersiam inter nos esse. Quærimus enim quando ego aliter, tu verò aliter, imò contrario planè modo scripturam interpretaris; estq; res, quæ ad salutem pertinet; quis inter nos discernet, & diiudicabit? Si nemo est talis

E cōtra verò Heretici scripturam iudicem statuentes.

Mat: 9.8.

Sectas procreant.

Eph: 4: 14.

Astut sunt Sophistæ.

talis in mundo, alter nostrum permanebit in pernicioso errore. Sin est, nominetur quęso. Nos Ecclesiam nuncupamus, & meritò, & secundum scripturam. Cùm enim Christus Dominus præceperit mihi sub anathemate, vt Ecclesiæ obediam, profectò docuit me etiam, Ecclesiam in determinatione sua errare non posse. Quid ad hæc dicant hæretici, iam insinuaui. Aiunt n. tum temporis obediendum esse Ecclesiæ, quando eius doctrina cum scriptura conuenit, non aliter. Quanta peruersitas & insipientia istorum est hominum? Iesus Christus edixit, vt Ecclesia de me iudicet, rectené, an secus vtar scriptura: præcepitq; mihi, vt dicto stem Ecclesiæ. Hæreticus verò docet me, vt ego de Ecclesia iudicem; an eius interpretatio, vel determinatio sit secundum scripturam, nec ne. Quid magis insulsum, peruersum, Sophisticum, potest esse in mundo? Est sanè & quidpiam aliud, quod iidem Ministri Sathanæ in eo ipso, quod dicunt scripturam debere esse iudicem, excogitauerunt. Fecerunt enim hoc dicto suo, Christum Iesum noui testamenti legislatorem, insipientiorem (absit verbo blasphemia) quàm fuit vllus vnquam legum conditor, etiam inter Idololatras. Quis enim legislatorum vnquam ab orbe condito constituit, vt ius ab eo datum, & conscriptum, inter contendentes diiudicaret? Nemo equidem tam stultus est repertus, Quomodo enim lex

Mat. 18. 16

Peruertũt ordinem datũ in Euãgelio.

Christũ blasphemant.

inter

inter diſſidentes decernet, quæ nec intelligere quicquam, nec loqui volet? Stultior igitur Chriſtus Dominus, ſecundum hæreticos erit, quàm vllus vnquam ſiue ſcriptor, ſiue legum conditor politicus extitit, quod tum ex iam dicto capite, tum aliundè patet. Si enim ita ſe res haberet, vti Miniſtri fingunt, Congregatio ſeu politia à Chriſto conſtituta, nihil eſſet aliud, quàm puriſſima ſpelunca latronum. Id verò vt omnes intelligãt, hoc exemplo clarum euadet. Non ſit ex hominibus iudex quiſquam in hac Vilnenſi ciuitate, ſed ponatur in prætorio quidem, ſpeculũ quod vocant Saxonum, in arce verò Statuta Regni. Quid inde ſequetur? nihil profecto aliud, quam quod ex ampla ciuitate, fiet ſpelunca latronum. Poſtquã ñ, de illata iniuria boniſuè aliquibus direptis, vel etiam vita ablata diu (vt ſolent) altercati fuerint cauſidici, ſi nullum audietur decretum, (muta enim ſcriptura, illud non dabit) is qui iniuriam intulit, qui damnum alteri dedit impunitate animatus, grauiora, maiore audacia, ſcelera aggredietur: Eueniétq; vt quò quis potentior, aut aſtutior erit, eò plura, furto, rapina, vi, cædibus, hisq; ſimilibus artibus ad ſe pertrahet: cogetq;: legibus ſcriptis quæ in libris continentur non ſolùm tacentibus, ſed etiam approbantibus, vt illas, & ipſe, & procuratores eius interpretantur & ad ſua pertrahunt. Talem ad amuſſim effinxerunt hæretici Eccleſiã Chriſti,

Eccleſiã ſpeluncã latronũ faciunt.
NOTA.
Quod patet Tum exemplo euidẽti.
Tũ ipſa experientia.

Christi, quod non solùm ratio, sed etiam ipsa magistra experientia docet. Etenim cæpit Lutherus Christo & Ecclesiæ rapere, tum bona tẽporalia, per Reges & principes seculares, tũ animas, per seipsum, sibiq; similes apostatas: citatur is ad varia tribunalia, sed in nullo comparet, asserens se Biblia sola, pro iudice agnoscere, quæ prout illi placuit, interpretabatur, & ad suas trahebat opiniones: Bibliis verò tacentibus, Lutherus animosior factus, maiora indies singulos damna infert Ecclesiæ. Hunc bonum successum præceptoris, videns Carolstadius, post illum verò Zuinglius, dein Caluinus, incipiunt & ipsi nouas sectas excogitare: Lutheri sectatores ad se, suaque inuenta pertrahere, damnumq; Luthero inferre maximum. Dumq; Lutherus irascitur, furit, maledicta ingeminat, dictis scriptisq; ipsi ad tribunal ab eo constitutum, ad Biblia inquã Lutherum pertrahunt, scripturam pro se allegant: non se, sed illum errare, ex Biblijs probant. Iudice verò tacente, bonam partem eorum, qui à Luthero erant infecti ad se pelliciunt, & inficiunt magis. Idem Caluino, Gentilis, & Seruetus, olim asseclæ ipsius faciunt,, & ad idem Bibliorum tribunal Lutheranos, & Sacramentarios citant, trahuntque, scripturasq; plures etiam, quàm illi (quamuis eadem fide, qua illi) pro sua adferunt perfidia; rapiuntq; quos possunt, ex grege illorũ, non solùm in Heluetia, Vngaria, Morauia, NOTA.

ſed etiam in noſtra Polonia. Et quamuis Caluinus non ſcriptura, ſed iudicio Senatus Geneuenſis, & Bremenſis, conuictos, Gentilem quidẽ gladio percuſſerit, Seruetum verò igni tradiderit (quã rectè, dicemus ſequẽti Dominica) pullulant tamen hæc zizania, & ſicut recentia ſemper pariunt monſtra, ita noua èxercent latrocinia; non alio innixi fundamento, quàm hoc ipſo; ſolam videlicet ſcripturam, non quenquam alium, debere eſſe iudicem, omnium controuerſiarum. Quis verſatus in hiſtorijs non videt ita ſe rem habere? Videat igitur & cognoſcat quilibet, hęreticos quãtum in ipſis fuit, ex Eccleſia Chriſti ordinata, ſpeluncam latronum inordinatiſſimam ſibi effeciſſe; & videndo ingemiſcat ſupra cæcitate ac impudentia illorum, qui talia patrantes audent nihilominus mendaciter gloriari, ſe Chriſtum & Apoſtolos in congregatione ſua habere, cùm ab ijs plusquam cælũ à terra abſunt. Verum nos alias condiciones nauiculæ Chriſti proſequamur.

V. PROP: Eccleſiã Habere Chriſtum dormientem & vigilantem.

QVINTA igitur proprietas nauiculæ Chriſti eſt, quòd Saluator partim vigilat in ea, partim verò dormit, & in puppi dormit: & dum dormit exurgunt tempeſtates, quæ diſcipulos terrore afficiunt, Chriſtiq; auxilium implorare cogunt. Ecce alia Eccleſiæ imago, ac effigies. Excutiamus ſingula, & videamus; vbinam hæc reperiantur. Apud Catholicos inueniri clarum eſt nimis. Hic enim partim

Hoc ſit apud

vigilat

vigilat Christus, partem dormit, nam Ecclesia constat partim ex bonis, in quibus vigilat; partim ex malis, in quibus dormit Christus. Item vigilat Iesus, quando quieta est Ecclesia: dormit quando turbatur. Dormit autē non ipse per se, quia & secundum humanitatē non dormit ampliùs, & secundum diuinitatem scriptum est de illo: *Ecce non dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israel*; sed dormit, quādo permittit aut diabolum, sicut vult agere, vt Iobo contigit; aut eodem vrgente prælatos Ecclesiæ ignorantiæ & impietate laborare (terribilis somnus & perniciosus admodùm) ac proinde non vti, sed abuti suo officio; vt ipse christus in parabola de zizanijs insinuat. Tum temporis autem dum hac ratione dormit Dominus, tempestates oriuntur, ventiq; exurgunt. Quatuor autem sunt venti præcipui, qui maximè affligunt Ecclesiam. Primus est tyrannis, quæ vexat corpora; alter hæreticos continet, qui infestant fidem; tertius falsos fratres, qui tum malis exemplis, tum persuasionibus inducunt alios ad peccādum; quartus deniq; est infestatio dæmonum qui tam per hos omnes, quàm per seipsos perturbant tum animas singulorum, tum totam in communi Ecclesiam. Id verò maximè omnium facient sub finem mundi, per Antichristum. Ideò Christus Dominus dicitur domire *in puppi* quæ est postrema pars nauis, quia *erit tunc tribulatio magna, qualis non fu-*

Catholicos.

Ibi n. dupliciter vigilat Christus.

Dormitque dupliciter.

Ps: 120. 4.

Tūc verò vēti quatuor exurgunt.

Iob: 1. 12.

Mat: 13. 24

2. Cor: 11. 26.

Dormitque in puppi.

Mat:24.21 *it ab initio mundi* vt ipſe Chriſtus prædixit. (Verùm de his ventis aliàs plura) Turbato autem mari, timent Apoſtoli, & excitant orationibus Chriſtum Ieſum, rogantes ne pereant. Quia nemo priuatorum (præter pauciſſimos quibus Deus id reuelauerit) eſt ſecurus de ſua ſalute, nam *neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in ſuturum ſeruantur incerta* (ait ſapiens) Idcirco noctu & interdiu omnes & ſinguli fideles clamant; DOMINE SALVA NOS, niſi enim id feceris, PERIMVS. Hæc igitur in Eccleſia Catholica gerũtur, & hæc eſt figuræ iſtius de nauicula adaptatio aptiſſima. Quid verò apud Hæreticos? Totum quaſi contrarium. Nam iuxta eorum opiniones ipſis omnibus Ieſus Chriſtus vigilat ſemper, quia in eorum congregatione omnes ſunt boni (ſcilicet) & iuſti. Neq; dormit vnquam in paſtoribus. Si enim omnes ſunt pii, & ſuo funguntur munere, multò magis tales erunt Doctores. Neq; verò maximè dormit Chriſtus ſecũdum eos in puppi, id eſt in fine mundi, quia illis iam pridem venit Antichriſtus, qui eſt Papa: aliis quidem à ſexcentis, aliis à mille annis; aliis ab ipſo Euangelii exordio. Tempeſtates autem, & ſi quaſdam, prout cuiq; placet, agnoſcant: tamen nihil timet, quia certi ſũt de propria ſalute; propterea non multum etiam orãt, quinimò longas orationes conuiciis proſcindunt. Cur em̃ orarent, cùm ſint ſecuri? Neque enim Apoſtoli

Nec eſt quiſquam ſecurus.

Eccl: 9. 2.

Ideo omnes clamant.

Cõtrariũ fit ſecundũ opiniones Hæreticorum.

ſtoli oraſſe dicuntur, niſi quando dubii erant, & timebant ne perirent. Quod ſi dixerint Hæretici, ſe rectè nihil timere, quia Apoſtoli reprehenduntur à Domino, quòd timuerint: Reſpondebo, benè quidem diſcipulos reprehendi, ſed malè Hæreticos hanc reprehenſionem interpretari. Nam Apoſtoli tum temporis repræſentabãt perſonã eorum, qui propter nimiũ timorem, puſillanimes effecti deſperare incipiunt, quales ſunt quidam in Eccleſia. Tales verò Chriſtus hic arguit, & tales D. Paulus inſtruit ac monet dicens: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poßitis ſuſtinere.* Nam aliâs non ſolùm Prophetæ & Apoſtoli, ſed etiam ipſe Chriſtus Ieſus præcipit vt timeamus, cum aliâs ſæpè, tum in vno loco ter idem repetendo & concludendo: *Ita dico vobis hunc timete.* Quid verò timerent Apoſtoli, ſi ita ſecuri erant de ſalute, vt etiamſi vellent eã perdere, non poſſẽt vt aſſerũt Hęretici, nihilominùs Chriſtus iubet vt timeãt. Falſum igitur aſſerũt Hæretici. Quãta veſania? quàm verbo Dei contraria? Sed neq; illa eſt minor, quod aiunt, ſe certos quidem eſſe de ſalute ſua, ignorare tamen, an ſint in Eccleſia; cùm Eccleſia ſit inuiſibilis, & ſoli Deo cognita. Quid ſtultius, & ſibimet contrarium magis? Peto enim, num quiſquam extra Eccleſiam poſitus, id eſt, etiamſi non ſit ex grege Chriſti, ſaluari poſſit? Si non poteſt, prout nos, & tu concedis: quomodo quæſo

1. Cor: 10. 13.

Stultitia Hæreticorum. 1.

Luc: 12. 5.

2.

certus es de salute tua, cùm certus non sis, imò ignorare te dicis, an sis in Ecclesia, extra quam nulla salus? O stupor supra insipientiã hominum. Denique si obiicient Ministri, quòd in hac nauicula omnes saluantur, ideoq; similem eam esse suæ congregationi; Respondebimus, quicqnid sit de salute corporis, & vita præsenti (neq; enim de his agimus.) certum est salutem animæ, & vitam æterna, non omnes adeptos esse. Quia vnus ex discipulis qui erant in hac naui, fuit Iudas Iscariotes, qui in æternum periit. Currit igitur etiam hac in parte nostra similitudo.

Alia obiectio retorqtur:

VI. PROP: Ecclesiã nũquã deficere.

SEXTA & vltima proprietas nauiculæ huius est; quia etiamsi maximis agitetur fluctibus: imperante tamen Christo, & serenitas redit, naui salua consistente, & homines mirantur valdè, talem tantamq; potestatem. Id ipsum mysticè agitur in Ecclesia Catholica, contrarium verò in quauis alia congregatione. Nam in Catholica Ecclesia etiamsi quędam personæ pereant, vt Iudas, & qui illum imitantur; nauis tamen integra permanet, nec deficit vllo puncto temporis, nec deficiet vsq; ad consummationem sæculi, Secùs fit apud illos, etiam secundum illos. Patriarcha enim Ministrorum nostrorum Polonicorum Caluinistarum, qui eis postillam conscripsit, agens de Bestia, quæ describitur in Apocalypsi, id est, de Sathana inquit. [Non est igitur mirùm quia pręualuit, & Ecclesia Dei ab eo

Hoc fit in Ecclesia Catholica.

Secùs apud Hæreticos.

superata

superata fuit] Quod si loquitur de ea congregatione, in qua ipse est, verùm asserit, verè enim mancipium est dæmonis: sed non est hæc Ecclesia Dei. Nam de Ecclesia, ait Saluator; *Portæ inferi non preualebunt aduersus eam.* Mat.16.18. O euersores Euangelij, qua impudentia vos Euangelicos nominare audetis? Non solum autem Ecclesia Christi non submergitur, aut deficit; sed etiam post tribulationes, fit illustrior, & micat lucidiùs. Hoc videmus & gaudemus fieri in Romana Ecclesia. Accipite aliquot exempla huic loco & tempori conuenientissima. Segregarunt se Græci, & vos cum illis, O Roxolani. Schismatici, ab obedientia sum̃orum põtificum, cum aliqua, quibusdam in personis Ecclesiæ Catholicæ diminutione: At verò tantùm abest, vt Ecclesia perierit, vt illustrior facta sit, vbi antea ne fuit quidem. In Saxonia inquam, in Bohemia, Morauia, Polonia, & aliis nationibus, quæ sub idẽ tempus Euangelium susceperunt, & Romanæ Ecclesiæ sese subiecerunt quo Greci schismata & secessionem cogitabant. Idem factum est vobiscum O Lituani mei, Quando enim diabolus per VViclephũ, Hussiũ, & iis similes, abegit partem aliquantulam ex grege Romanæ Ecclesiæ, vos cum Samogitia & vicinis nationibus accessistis. Deniq; nonne idem nunc videmus, in Indiis, in nouo orbe, in insulis Philippinis, & aliis infinitis? Sed de hoc iam dictum est aliâs. Contrarium planè fit in omni-

Solatiũ Catholicorum de prouidentia Dei.

NOTA.

Hæreses eædem redeũt nunquam. bus hæresibus, quæ nũquã ædẽ emergũt. Sẽper enim noua dogmata addunt antiquis: vt hac quoq; ratione appareat omnibus, signum euidens nauiculæ Christi in Ecclesia Catholica esse, alibi minimè esse. Deniq; mirantur in Euangelio homines videntes sedatos verbo Christi fluctus, miramur magis, plenè obstupescimus nos, aspicientes; quomodo nunc Iesus Christus omnipotentia sua fluctibus sedat fluctus. Magni fluctus & tribulatio Ecclesiæ, quando pastores in ignorantia & in impietate dormiunt: Hi fluctus vobis, vobis, inquam, O hæretici, sedantur à Christo. Nunquã enim aliâs vos venire permisisset Deus, nisi tãtũ bonum per vos occasionaliter quidem, verissimè tamen, futurum præuidisset. Vobis ergò, qui magni fluctus estis maris huius, sanat & bona ex parte iam sanauit fluctus, qui cùm ex falsis fratribus, tum ex mercenariis, & malis pastoribus Ecclesiæ superuenerant. Sit igitur Christi Iesu, qui id & meruit, & perfecit nomen benedictum in æternum & vltra: Neq; signũ admirabile ab oculis nostris auelli & amoueri aliquando patiamur.

Mirandum. Fluctib' fluctus sedari à Christo. NOTA.

Conclusio summã dictorũ continẽs. Sed tẽpus est vt nauiculam Christi ad portum, & sermonem nostrum ad finem perducamus, ac copiosè dicta in summam redigamus. Itaq; audistis dilectissimi in Christo Iesu, quomodo omnes proprietates nauiculæ, qua vehitur Christus, pulchrè & exactè Ecclesiæ Catholicæ conueniant: ab hæreticorum

verò

verò & Schismaticorum conuenticulis absint 1.
quàm longissimè. Audistis, quomodo apud
vos est nauicula in alto mari posita, id est, om-
nibus conspicua Ecclesia: apud illos verò ob-
scura est & abscondita, ipsorum etiam cõfessi- 2.
one. Audistis quomodo formam nauis no-
stra habeat, quamq; sit lata, ac per totum or-
bem diffusa, quamq;, in dies singulos magis
dilatetur, ducens ad cęlorum portum animas:
apud illos verò, est cymba illa Charontis par-
ua, angusta, veraque inferni porta. Audistis 3.
quomodo nostra terram, mareq; versus con-
stricta, beneq; munita; ad cælum verò lata &
aperta sit, dum docet mortificationem qui-
dem corporis, animæ verò dilatationem, ad
vberes gratias Diuinas recipiendas: illorum
autem cymba contra, laxat ad terrena, ad lu-
xuriam, ad epulas, ad rapinas, & his similia,
prout in ipso eorum capite Luthero, nimis
clarum est: ad cælestia verò angusta est: tum
quòd doceat, neminem alio sanctiorem esse
posse: tum quòd deuotionis exercitationes
emedio tollat. Audistis, nostram Ecclesiam, 4.
habere Christum & Apostolos multis valdè
modis, & inter alios, habet etiam Christum in
Vicario suo, Apostolos verò in successoribus,
qui iudices sunt controuersiarũ inter fratres:
quæ omnia non solum respuunt, sed etiam
blasphemant hæretici, nullum in mundo iu-
dicem agnoscentes, sed speluncam latronum
congregationem non Dei sed suam facientes.

 Audi-

5. Audiſtis, quomodo apud nos Chriſtus in bonis quidem vigilat, in malis verò dormit, cùm in aliis, tum maximè in Paſtoribus, Apud hæreticos verò ſecundum opinionẽ eorum, ſemper vigilat; ſecundum veritatem ſemper dormit.
6. Audiſtis denique, quomodo ſemper manet, nec vnquam mergetur Eccleſia Catholica, quinimò ſplendet in dies magis: Ipſorum verò ſynagoga, ipſiſmet teſtibus à diabolo eſt deuicta, neq; ſemel depreſſa (quod fit breuiſſimo tempore) nec vnquam emergit ampliùs. Hæc inquam audiuiſtis omnia, ex ſcriptura ſacra cõprobata. Quid ergò aliud cõuenit, quã vt qui à Miniſtris ſeducti eſtis abyciatis tenebriones iſtos, qui nos ad tenebras ducunt: Charontis ſeruos, qui ad portas in ferni vos per trahunt: lurcones, qui vos carni non, ſpiritui ſeruire docent. Errores ergo hæreticorum qui hodie ſunt & cras pereũt, abiicite & reuertimini ad lucem, ad vitam ſpiritualẽ, ad Eccleſiam Dei firmam & ſemper ſtabilem: Agite orô rogo, obſecro, vt & ſic Chriſtũ Ieſũ, per fidem verum, ſpem congruam, charitatẽ ardentem habere, & illis regnantem cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti faciem ad faciem videatis, in ſæcula ſæculorum, AMEN.

CON-

CONCIO TERTIA.
Spes.

ANIMÆ PEREGRINANTIS STATVS ET STATIO.

EX SENSV TROPOLOGICO.

Medici tũ corporalis tum spiritualis officiũ.

QVemadmodum medici, qui curandorum corporum curam gerunt, duplicia ægris tum fercula, tum medicamenta prescribere consueuerunt, alia quidem quibus malum, quod in visceribus eorum latet, aut latere posset, auertunt, depelluntur: alia verò, quibus corpora illorum reficiunt, & nutriunt: ita medici spirituales, cùm alij, tum verò concionatores, si rectè fungi officio suo volunt, præstare id ipsum animabus debent. Arcenda sunt mala, ne animam inficiant, & mactent: suadenda bona, vt illam nutriant: & non solùm vegetam, sed etiam pinguẽ reddant. Primum egimus duabus præteritis cõcionibus; alterum duabus sequentibus perficere statuimus. Illis etenim & damonstrando, vbinam reperiatur Christi Domini in terris Ecclesia, perfidiam ab intellectu; & excitando in animis timorem, indeq; salutarem pænitentiam, malitiam à voluntate arcere, & expugnare studuimus: his verò adnitemur ostendere: tum varia tentationum genera, tũ modos & rationes, quibus eæ superari queãt, tum virtutes præcipuas, quæ inde oriri solent;

quæ

quæ omnia ad profectum nostrum spirituale per multum conferunt.

PROP. Sex puncta continet.

In hodierna itaq; concione, Sanctorum Patrum vestigiis insistendo, & Euangelium ad mores traducendo, declarare ac demonstrare conabimur, mare in quo hic nauigamus, esse mundum. Nauiculam verò, animam esse cuiusuis fidelis Christiani. Tempestates autem, esse varia tribulationum & tentationum genera. Horum verò occasionem esse dormitionem Christi. Remedium autem efficacissimum esse, accedere cum Apostolis, & excitare Iesũ, vt mari & tẽpestatibus imperet. Quod imperium Christi postremo sequitur, tranquilitas maris & admiratio hominum, tanquã effectus excellentissimi. Hæc in ista concione explicare intendimus: quæsi omnia in ea tractari non poterunt, in sequenti perficientur. Tu adiuua Christe Iesu & da vt ita hæc consideremus, quo salua naui, & integris mercibus, ad te portum salutis appellere valeamus.

I. PVNCTV Mare mundus.

Acturi de tropologico seu morali Euangelij, quod lectum audiuistis, sensu, non abs re illis psalmi versiculis Sermonem ordiemur nostrum: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis, illic naues pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei, omnia à te expetant, vt des illis escam in tempore.* Quamuis enim, si historicum sensum spectes, de mari magno, quod Oceanum vocamus, præcipuus sit sermo pro-

Psal. 103. 25

I. Propter magnitudinem.

mo pro-

mo prophetæ; tamen in sensu spirituali, per mare, etiam id loci mundum intelligi vniuersum, testes sunt sancti patres, præserrtim D. Augustinus, neq; id sanè immeritò. Nam si *magnum* quid est & amplum Oceanus, quantò maior erit mundus? qui non solùm Oceanum, & omnia maria, sed & terram, & orbē complectitur vniuersum? Si mare *spaciosum est manibus*, id est sinibus seu brachijs (vnde constat Latinos cum Hæbreis in eadem metaphora conuenire: apud nos verò à pedibus translatio sumitur: Vocamus enim Odnogi morzskie) & anfractibus; multò equidem magis, sunt amfractuosi sinus conscientiarū humanarum. *Illic* in mari *naues pertransibunt*, quæ vitam ferunt multornm mortalium; hîc in mundo sunt animæ rationales, quæ dant vitam omnibus hominibus. Illic *reptilia*, id est pisces, & varia monstra marina, ostreæ quoq; & vermiculi, *quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis*, quorum diuersa diuersimodè naues vexāt; dum alia eas remorantur, alia euertunt, alia perforant, alia alijs modis infestant: Hîc verò in mundo multò, etiam plura sunt tentationum, tribulationū, & afflictionum spiritualium genera, quæ innumera pericnla in se continent. Ibi in mari est *Draco*, id est, Cetus seu Leuiathan (secundum Hieronymum) *quem formauit Deus ad illudendum ei.* Quod dupliciter intelligi, etiam secundum hæbræa potest. Vel vt ipse draco, ludat

Aug. in hunc Psal.

2. Ob sinus varios cōscientiarum.

3. Quia nauesanimarū illic pertrāseunt.

4. Quia ibi à reptilibus multa pericula.

5. Maximè à Dracone q & illludit, & illuditur.

NOTA

ludat in mari, pisces vorando, saltando, nauesq; iactando: vel vt draconi illudatur, vt volunt Hieronymus, & Augustinus. Hîc verò in mundo est Draco ille magnus, *serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas,*
Apoc:12. 9 quē mirè describit Ioãnes in Apocalypsi. Habemus inquam hic illum *Leuiathan serpentem*
Is:27. 1. Hab. 3. 14. *vectem, & Leuiathan serpentem tortuosum, qui deuorat pauperes in abscondito,* qui habet mille nocendi artes, qui ludit in mundo isto, cuius &
Io: 12. 31. *princeps* à Christo vocatur: & deludit non tãtum inopes, sed & reges, principes, & monarchas terræ; non tantùm carnales, sed & olim spirituales viros, & fœminas. Illuditur nihilominùs etiam illi à pijs omnibus, etiam à iuuenibus, etiã à puellis tenerrimis secun-
Is: 11. 8. dum illud Isaiæ; *Et in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Tales fuerũt Vitus, Celsus, Hilarion, Agnes Prisca, & infiniti alij; neq; nunc desunt, quorum Deus numerum nouit. Illudis autem dæmoni (vt pulchrè discurrit Augustinus) si tu obseruas caput, id est principium eius, vt non consentias pessimę suggestioni ipsius, quæ te ad vi-
Gen: 3. 15: tia pertrahit. Contra ipse Sathan obseruat calcaneum tuum, id est, casum in quem incidis, dum incautè te geris. Deniq; in mari *omnia expectant à Deo escam* corporalem, in mundo verò & omnes animæ piæ expectant escam spiritualem. Bene igitur à SS. Patribus mundus iste mari comparatur. Neq; vero desunt

6. Quia omnia à Deo escam expectant.

7. Quia per-

ſunt & aliæ rationes. Sicut enim mare ſemper mouetur: ita in mūdo perpetuæ ſunt rerum viciſſitudines, tum corporales, quam ſpirituales. *Homo* n. teſte Iob *nunquam in eodem ſtatu permanet.* Præterea vt illi qui ſunt in mari, non ibi habitant, ſed perpetuò ad portū aliquem currunt; ita homines in mundo cōſtituti. Quod vtinam pro dignitate conſideremus omnes, & ad portum ſalutis cum ea, qua par eſt diligentia, tendere enitamur. Poſtremò, ſicut in mari infinita ſunt pericula, non ſolùm à reptilibus, quæ ibi ſunt, ſed etiam à ventis, & alijs, ita in mundo. Qua de re paulò poſt plura.

petua hic & viciſsitudo. Iob 14. 2. 8. Quia nemo hic manet. 9. Ob alia infinita pericula.

NAVICVLA autem, qua in mari iſto vehimur, eſt anima, pręſertim verò anima Chriſtiana, Chriſto in baptiſmo conſecrata; quod inſinuare videtur Princeps Apoſtolorum, cùm loquens de *Arca Nöé* ſubiungit: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma.* Comparatur autem anima nauiculæ: tum propter iam datam rationem: (ſicut enim nullus poteſt ſine nauicula mare tranſmeare, ita nemo ſine anima in mundo viuere valet) cum verò quod quęcunq; ſunt in naui bene compacta, beneq; ad traijciendum mare magnum adaptata, eadem omnia ſpiritualiter intellecta in anima Chriſtiana inueniuntur. Etenim creauit & compegit eam Chriſtus Ieſus, Deus & Dominus noſter, ex lignis, quia ſalus à ligno crucis, cuius in Baptiſmo participes ef-

II. PVNCTVM. Nauicula anima pręſertim baptizata. 1. Pet. 3. 21. Tum quia cauſa ſalutis. Tum quia benè cōpacta.

Ex lignis imputribilib⁹. *Exort. 15.* fecti sumus; & compegit eam ex lignis imputribilibus, quæ figurabantur in *lignis Setim*, ex quibus tum arca illa testamenti; tum omnia quęcunq; erant lignea in tabernaculo fæderis conficiebantur. Incorruptibilitas autem animæ duplex est, vna naturalis, qua omnes homines præditi sunt: gratuita altera, quæ solis Christianis competit. Dotarur enim anima Christiana in Baptismo, primùm quidē fide, quæ ex duodecim articulis (quos in symbolo profitemur) tanquam ex duodecim tabulis imputribilibus, æternæq; veritatis, compacta est. Deinde ne tabulæ istæ difluerent ac dissoluerentur, coadunatæ sunt tanquam clauis varijs virtutum generibus, nempè iustitia, prudentia, temperantia, fortitudine, & alijs, quæ in eodem Baptismo vnâ cum fide nobis infunduntur. Nam sicut tabulæ nisi clauis firmentur, vsui esse non possunt ad traijciendum mare; ita *fides quæ sine operibus mortua* est teste D. Iacobo, nisi virtutibus coñectatur nunquam ad portum salutis perducere quenquam poterit. Sed & rimas obturauit Christus Dominus, non canabi, aut lino; sed timore Dei, obliniuitque non pice, aut resina, sed sanguine suo, quo redempti sumus; quibus duobus muniuit nos, ne aquas salsas & insipidas, quæ ex tentationum fontibus oriri solent, in animas nostras illabi permittamus. Quod si verò aliquid incautis nobis influat, ex guttis mundi huius,

Imputribilitas duplex

Similitudines inter nauim & piā animam.

1. Ex tabulis duodecim fidei combinatur

2. Clauis virtutum adunatur.

Iac. 2. 17.

3. Rimæ ei⁹ timore Dei obturantur.

4. Linitur sanguine Christi.

5. Sentina cōscientiæ remorsus donatur.

huius, id statim in conscientiam tanquam in sentinam recipitur, qua remordente, & aquā illam prodente, adsunt vasa quibus sentina purgetur, cùm alia, tum verò confessio, & Sacramentum Pœnitentiæ. Præterea ornauit & muniuit hanc nauim Christus, octo beatitudinibus, erexitq; quasi malum in ea, signum crucis sanctissimæ, cum omnibus mysterijs passionis suæ, quæ funibus contemplationis, meditationis, orationis, & piæ lectionis, fortiter alligauit; scalasq; ex ijsdem effinxit, quibus viri spirituales celerrimè ad latus eius currunt. Posuit etiam in prora ancoram spei, in puppi clauum charitatis, quæ quo vult animam impellit. Sicut enim clauo nauem quò vult nauarchus impellit, ita quicquid Charitas Dei & proximi suadet, eò anima sancta tendit, idq; exequitur. Extendit insuper septem vela, septem videlicèt dona Spiritus Sancti, quibus plenis velis mira celeritate, ad portum curritur salutis. Est quoq; nauicula ista inferius stricta, superius verò lata & aperta, cælum versùs. Qua de re quia aliâs disseruimus, nunc negotio huic supersedendum est. Deniq; (quod caput est) anima pia & fidelis habet in se residentē Sanctissimam Trinitatem; Patrem videlicèt, Filium, & Spiritum Sanctum, in cuius etiam nomine baptizata fuit; & Christum Iesum, qui eam conseruat, regit, & gubernat. Habet autem hæc omnia. Primùm quidem ani-

6. Vasis ad purgandam conscientiā ditatur.

7. Munitur octo beatitudinibus.

8. Malo crucis ornatur.

9. Funibus contemplationis alligatur.

10. Habet ancorā spei.

11. Clauum Charitatis.

12. Vela dona S. Spiritus.

13. Est stricta & larga.

In secūda concione.

14. Habet S. Trinitatem vectorem.

Triplex anima ad quã Christus intrat.

ma tum cuiſuis infantis, tum etiam adulti baptizati: dummodò adultus obicem gratiæ diuinæ non ponat. Deinde animæ eorum, qui hæc dona, quæ in baptiſmo acceperunt, fide recta, & Christiana viuendi ratione conſeruarunt. Poſtremò omnes, qui poſtquã peccauerunt, iterum per Sacramentum pœnitentiæ Deo, & Chriſto Ieſu recõciliati ſunt. De his enim omnibus verum eſt, quod ſpiritualiter intellectum dicitur in principio Euangelij.

Ascendit Iesvs In Navicvlam, O beatus homo, in cuius corde, & anima reſidet Saluator Ieſus, ô terq;, quaterq; beatus, qui tantis donis in Baptiſmo dotatus & ditatus, ea conſeruauit integrè Sed *quis eſt hîc, & laudabimus eum?* Rariſſimus equidẽ, qui cùm primùm peruenit ad vſum rationis, primis etiam vẽtorum & tentationum inſultibus deiectus, naufragium paſſus non fuerit: multò autem rarior, qui adoleſcentiam & iuuentutem, vel etiam virilem ætatem ſuam in pietate erga Deum, & iuſtitia erga proximum, tranſegit. Rara equidem ſunt iſta. Nihilominùs nemini eſt deſperandum: dummodò ſeriò per veram cordis contritionem, integram peccatorum confeſſionem, & digna ſatisfactionis opera, conuertatur ad Dominum. Qui ñ. tantis ornauit nos beneficijs, & donis, etiamſi non requiſiuiſſemus eum, (quando quidem nec facere id per ætatẽ potuimus) præſtabit

Eccl: 15: 9.

ſtabit profectò eadem purò corde, & ſyncero animo illum per pœnitentiam quærentibus: Id reſtituet nobis benignitate ac miſericordia ſua immenſa, quod perdidimus impietate & nequitia noſtra praua. In hoc igitur ſit tota ſpes, & fiducia noſtra conſtituta & collocata, Addamuſq; ad pœnitentiam deprecationem, orantes noctu & interdiu, vt dignetur Ieſus Chriſtus aſcendere in naviculam, id eſt, in animam noſtram. Ita enim eueniet etiam quod in Euangelio ſubiungitur.

SECVTI SVNT EVM DISCIPVLI EIVS: Nam vt ipſe Saluator inquit: *Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Primùm quidem cõgregabuntur Angeli, qui licèt Deo aſſiſtant ſemper ſunt nihilominùs etiam, *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*: quiq; nos multùm iuuare ſolent, tum ad repellendas tentationes, tum ad conſeruandam pietatem. Deinde aderunt & alij ſancti, ac beati, & ipſi quoq; quorum hic eſt mentio Apoſtoli: non quidem aſſtantes nobis, vt adſtant angeli; ſed intercedentes pro nobis, quorum apud Dominum plurimum valet deprecatio. Verum admirabile eſt quod ſequitur:

Et ſequũtur illum diſcipuli i. Angeli.

Ma: 24.28

Heb: 1.14

ECCE MOTVS MAGNVS FACTVS EST IN MARI ITA VT NAVICVLA OPERIRETVR FLVCTIBVS. Quid audimus? Etiam Chriſto præſente nauicula pericli-

III. PVNCTVM. Procellę sũt tribulationes & tentationes.

clitatur? etiam cum adest Saluator, salus nostra est sub dubio? Ita sanè, nam vt toties audiuistis ex Salomone: *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*, quibus verbis duo recensuit capita, ad quæ omnis salutis nostræ incertitudo reuocatur: quæ si hæritici considerare vellent, cautius hac in parte & sentirent, & loquerentur. Sapienti autem concors est Apostolus, qui monens nos hac de re inquit: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*: quòd vtiq; non esset necesse, si certi & securi essemus de salute animarùm nostrarum. Verùm quia id sub dubio est, ideò nos inter spem, & metum ambulare iubet. Incertitudinis autem huius primum caput est iuxta sapientem, præsens tempus; alterum, futurum. Nam neq; nunc nouimus *vtrum amore, an odio digni simus*, cùm alia sint humana, alia diuina iudicia: neq; etiamsi constaret nobis de præsenti gratia diuina, certi adhuc esse possemus de nostra salute: cùm ignoremus quid in posterum futurum sit: nam hæc *in futurum seruantur incerta*. Quæ omnia inde proueniunt, quia MOTVS MAGNVS EST IN MARI. Id est, quia in mundo pericula sunt infinita, quæ oriuntur ex varijs tribulationibus & tentationibùs, quibus obnoxij sumus, internis & externis, à dextro & à sinistro latere prouenientibus, ab inferis & superis à mundo, carne, diabolo, procedétibus, ac innumeris alijs. Dicamus aliquot illo-

Inde incertitudo salutis & spes cũ timore.

Eccl: 9. 2.

Phil: 2. 12

Propter præsens & futurũ tempus.

illorum genera ad instar periculorum, quæ sunt in mari, sub quibus tamen multæ species continentur.

Quemadmodum ergò mare, & naues cursum in eò tenentes, obnoxiæ sunt periculis ventorum, periculis nimiæ tranquillitatis, periculis scopulorum, periculis piratarum, periculis bestiarum ac reptilium, & alijs quibusdam: ita iam nostrum corpus vitaq; ipsius, anima, & salus eius, innumeris exposita est tribulationibus, innumeraq; subire debet discrimina, quorum nos quinque tantùm genera ponemus, spiritualiter illa maris pericula cõsiderantes. Primùm igitur (quod ventis respondet) sit genus: Plagæ videlicèt ipse, quas Deus, siue per bonos, siue per malos Angelos immittit vt sunt, pestilentiæ, fames, bella, pecorum lues, incendia quoq;, & inundationes aquarum, & his similia, quarum penè omnes hisce annis experti sumus. Quæ quamuis primùm quidem corpora, aut bona externa tangunt; lædunt tamen & in periculum inducunt multorum etiam animas, tum propter impatientiam, tum propter malitiam quorundam. Quot enim sunt, qui hæc non solùm iniquo ferunt animo; sed etiam contra Deum murmurant; qui ea propter bonũ nostrum vel imittit, vel permittit? Quot, qui afflictis addunt afflictiones; furta, rapinas, & bonorum spoliationes tum temporis exercentes? Quot, qui cùm conuerti ad Dominũ

Similitudine à mari desumpta tribulationũ & tẽtationũ quinq; gña

Primũ PLAGAS continet.

Sex species peccatorũ q̃ inde exurgent.

1. 2. 3. 4.

per pœnitentiam deberent, contrarium planè facientes, epulis, ebrietatibus, & quæ consequuntur, totos sese tradunt? Quot, qui dediti superstitionibus impiis, dum à se pestem amouere volunt, alios inficere student? Diaboli planè infernalis inuentum. Qui sicut ipse est mendax, & homicida ab initio, ita mendaciis suis homicidia docet. Vos verò creditis illi, & dum aliena corpora interimere cogitatis, animas vestras semper, vitã verò corporis sæpe iusto Dei iudicio perditis. O Christiani, ne Christiani quidem nomine digni, qua fronte tantum audetis facinus? Alii verò illos qui pestem fugiunt miris infestantur conuiciis, & maledictis. Quàm insulsè, quam impiè? Sed inquiunt, pestilentia à Deo immissa est, ideoq; non fugienda, sed patienter est toleranda. Sanè, si quem occupauerit, patienter ferre debet, & crucem à Deo immissam, etiam cum gratiarum actione sustinere. At verò cùm euadendi datur occasiio, & subest insuper id faciendi iusta causa, quid ni fugiat? Nõne ipse Christus Dominus, *cum audisset Ioannẽ missum fuisse in carcerem, secessit in Galilæam*? Nonne cùm quæreretur ad mortẽ, *abiit in regionem iuxta desertum*? Nonnè idem Apostolos ipse docuit dicens: *cum persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam*? Fugienda igitur est mihi mors, quamdiu non constat, Deum velle me mori. Iam quid est, quòd omnes alias plagas, gladii, famis, terræ motus, aquæ exundantis,

5. Pessima. *Io. 8. 44.*

6. Murmurãtiũ cõtra pestilentiã fugiẽtes. NOTA.

Mat. 4. 12
Ioã: 11. 54
Mat: 10. 23

dantis, incendii exorientis, fugitis; Solam aëris infectionem fugere piaculi instar reputatis? Quid aëris elementum præ omnibus aliis habet priuilegii? Cuius infectio tātò est crudelior, quantò periculum magis est occultū. Desinite igitur obsecro ab istis, quæ Deum, & charitatem fraternam lædunt murmurationibus: & nolite prodere, siue simplicitatem nimiam, siue malitiam vestram. Simplices estis nimium, si pestem cauere illicitū esse putatis: malitiosi verò, si cupitis mortem proximorum vestrorum. Vereor ne id ex Schola Hæreticorum prodierit, quibus non satis fuit nouem ex nostris anno præterito hic Vilnæ pestilentia esse consumptos, (qui vixissent forte hucusq;, si pro salute animarum vestrarum, vitam corporis sui, periculo non exposuissent.) Vellent enim nos omnes extinctos. At verò vos Catholici mei, nolite impios imitari, peruersam enim habent & fidem, & iudicium. Sed de hoc primo periculorum genere satis.

An. 1589.

Alterum periculorum maris caput est, in alio quasi extremo. Referunt eñ nauigantes, si nimia sit maris tranquillitas, esse etiam euersionis nauis, indeq; hominum interitus, magnum discrimen. Huic respondet tum in regimine Ecclesiæ prælatorum somnolentia, & luxus: tum in iis, cæterisq; nimia siue de salute securitas, siue de sanctitate præsumptio. Illam deflet plurimum D. Bernardus, applicans

Secundum periculorū genus NIMIA TRANQVILLITAS.

Peccata inde.

1. Luxus p̄latorum.

D. Bern.

2. Tepiditas omnium. Is: 38. 17. cans ad hoc propositum, illud scripturæ: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*: hoc verò quotidiana docet experientia in iis, qui dum grauissimorum scelerum non sunt sibi conscii, grauia examinare, & fugere contemnunt, vnde oritur tepiditas, quę nauseã facit Christo Domino, ac vomitum prouocat. Sic enim ipse in Apocalypsi loquitur: *Quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Id autem, vt plurimum, ex superbia procedit, ideò subiungit: *Quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Fugienda igitur est vehementer elatio animi, tum iis, qui denuo conuertuntur ad Dominum, tum omnibus aliis. Vomitus enim iste Christi, non aliud spectat, quàm infernum. Nam quicunq; ex ore eius euomuntur, in cloacas æterni incendii proiicientur, Quot autem hac ratione in hoc mari pereant, ipse Dñus numerũ illorum nouit. Plures certè esse quã esse putantur, dubitandum non est. Cùm malum istud minus sit publicum, quàm alia, quinimò hypocrisi & simulata pietate, ac deuotione coöperitur sæpissimè. Idcircò tantò diligentius est cauendum, & per sui cognitionem, veramq; humilitatem profligandum, quantò maius in illo inest salutis discrimen: duplex omninò. Pugnandum est enim nobis, tum contra ipsum vitium, vt eradicetur; tum contra laruam, sub qua latet, vt detrahatur.

Vomitus Dei. Apoc: 3: 16

Malũ hoc cur periculosũ valdè.

Terti-

Tertium periculorum genus in mari sunt ipsi scopuli, in quos si nauis alliditur, dissolutio nauigii, indeq; naufragium sequitur, maximum autem est periculum, quando scopuli tecti aquis sub aspectum naucleri non cadũt. Tales sunt spiritualiter loquendo, & ad animam nostram transferendo, Scopuli de quibus iam disseruimus: Vitia inquam, quæ siue superbia, siue etiam hypocrisi obruta, non agnoscũtur in nobis: ideoq; difficulter effugiuntur: quia ne cauentur quidem. Putamus n. rem in tuto esse. Per alios verò scopulos, qui eminent, concupiscentiam tum oculorum, tum carnis rectè intelligimus, Sicut enim in illos, qui ab omnibus conspiciuntur, scopulos nõ impingitur vt plurimum, nisi per summam negligentiam & socordiam, ita ii, qui siue voluptatibus carnis sese dedunt, siue aliena iniustè ad se pertrahunt, & pertracta tenaciter retinent, ideò peccant, peccando animę naufragium patiuntur, quia per negligentiam & socordiam suam supinam, tentationibus apertis & agnitis, seriò resistere nolunt. Vsitatatissimum & frequẽtissimum animarum perditionis genus, & ita conspicuum, vt nullus sit quem lateat. Possumus enim de talibus illud scripturæ vsurpare: *Qui cadens apertos habet oculos*. Nec estquòd in iis multum ĩmoremur; tum quod frequens sermo sit de his nobis habendus: tùm quòd hic instituti nostri sit præcipua ratio, pericula recensere. De causa verò

Tertium, SCOPVLI duplices.

Alij oculti hypocrisi.

Alij conspicui duplici cõcupiscentia.

Nu:24.16

ſa verò & remediis paulò pòſt dicendum erit nobis aliquid.

Quartũ pericul. genus ſunt PIRATÆ. Quartum caput eorum, quæ infeſtam reddunt nauigationem, ſunt piratæ, qui in mari latrocinantur, & tum bonis, tum vita homines ſpoliant. His reſpondet duplex animarum noſtrarum periculum: quorum alterum extrinſecus, alterum ab intra procedit. Illud fit à ſociis; hoc à ſenſibus noſtris: vtrumq; variis diſcriminibus plenum. Quot enim ſunt millia, qui ex malorum conſortio, ad enormia delapſi ſunt vitia & peccata? quodq; peius eſt, in iis habitum etiam propter fidos amicos (inimicos potiùs dixeris) contraxerunt? Eſtq; communis apud vos excuſatio, in comeſſationibus & ebrietatibus veſtris. Quid agam, cum amici, cognati, ſocii, viri etiam primarii veniunt? vtique tractare & hoſpitalitatem illis declarare me neceſſe eſt. Næ ita oportet facere, ſed ſanè, & ſobriè, vt Chriſtianos homines decet. Hac enim ratione, & tu boni Chriſtiani fungêris munere, & illi inſtruentur. Quod ſi non fit, ſed impii hoſpites, pro gratiarum actione & bono exemplo irrident te potius: tu in promptu habeas illud Apoſtoli: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*. Duo ñ. cõmoda hic referes: alterũ quòd teipsũ cõſolaberis: alterũ quòd ebrioſos illos à te abiges. Magnum equidem bonum, ſed à paucis cognitum. Pauci eñ ſunt, qui

Spirituales duplices.

Externi mali ſocij.

NOTA.

Gal. 1. 10

qui verùm honorem à falso recernere sciunt aut volunt. Qua de re dabitur aliquando disserēdi occasio. Piratarum verò qui intra nos sunt, locum occupant sensus nostri. De vno enim illorum apertè id testatur scriptura his verbis: *Oculus meus* non alienus (in eo enim minus periculi) sed meus *deprædatus est animam meam*: Idemq; de auditu, gustu, tactu, & aliis sensibus intelligendum. Istæ eñ sunt *fenestræ*, per quas *ascendit mors domos nostras*, & interimit animas nostras. Quanta in hoc solo periculorum congeries? tantò periculosior, quantò propinquior, tantò funestior, quantò frequentior, imò quotidiana, imò in horas, imò in momenta singula, ac proinde cauenda nimis.

Interni sensus nostri.

Tre: 3. 51.

Ier: 9. 21.

Quintum periculorum genus, quod naues in mari, & animas in mundo turbat, exagitat, deprimit, est illud, quod à Dauide prēsignatū vidimus in dracone, cum innumeris animalium & reptilium generibus, Diabolus, inquā, & Lucifer, cum omnibus suis satellitibus, qui & omnibus istis, quos enumerauimus modis, & infinitis aliis, vexant nauiculas animarum nostrarum, & diripiunt, deprimuntque eas. Et hoc est quod D. Paulus docet, cùm inquit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*; Cuius quamuis contrarium videatur alibi dicere idē Apostolus, cùm ait: *caro concupiscit aduersus spiritum,*

Quintum periculorū gen' DRACO cum reptilibus.

Ps. 103. 25.

Eph: 6. 12.

Quomodo est & non ē nobis lucta cū carne.

Gal: 5. 17.

NOTA.

ritum, spiritus autem aduersus carnem, indeq́; necessaria sit lucta spiritus nostri, aduersus carnem nostrã: tamen contrarietas ista ex dictis facilè tollitur. Soli enim *principes & potestates & rectores tenebrarum harum*, id est, dæmones, intendunt & procurant euertere & pessundare animas nostras. Caro autem nihil horum vel cogitat, vel nouit quicquam. Sed Sathan & carne nostra, & mundo, & omnibus aliis vtitur tanquam instrumentis, ad deprimendam nauiculã animæ nostræ. Ceterùm quoniam nimis in his prolixi fuimus, spirituales dæmonis tentationes, ad aliam magis etiam spiritualem concionem reiiciemus. Id tantum hic notantes: Quòd sicut in mari, duo sunt precipua piscium genera quę naues infestant, Cetus, videlicet, seu balena, & remora: quarũ balena euertit, remora verò cursum retardat nauis: ita Sathan duobus istis modis in vniuersum vtitur. Nam primùm quidem curat solicitè, vt inducẽdo hominem ad peccandũ, animam funditus euertat & mactet quòd si id non succedit, eò quòd vir pius cautè se gerat; tunc aliò se conuertit: & quantum fieri potest, remoratur & retrahit homines, ne faciant bona; & ne in cæpta via diuini seruitij procedere satagant. Hac ratione igitur Lucifer cum apostaticis spiritibus est principalis causa omnium fluctuum & procellarum, ac tribulationum, tentationumq́; nostrarum; quas tamen non immitteret, nisi eueniret, quòd sequi-

A simili dupliciter Sathã tentat.

sequitur in Euangelio cùm dicitur.

Ipse Vero Dormiebat, Iesus Christus videlicet, Dominus noster, quo dormiente, id est permittente, hæc omnia fiunt & tantum fiunt, quantum ipse permittit. Permittit autem, nec plus quàm sustinere quisquam possit, (teste Apostolo) nec aliter nisi in bonum & vtilitatem nostram. Vnde in omnibus, & per omnia, sunt illi gratiarũ actiones agendæ semper. Permittit autem tentationes, aliquãdo quidem motu, vt ita dicam, proprio; aliquando vrgente dæmone, aliquãdo verò nobis ipsis id procurantibus. Primi exemplar est, quando dixit ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* testatur enim Euangelista, quid *hoc dicebat tentans eum.* Non vt impelleret ad incredulitatẽ, aut peccatum, (absit id cogitare, hoc enim soli dęmoni est proprium) sed vt prouocaret ad meritum, quòd habuisset, si vt Petrus bonam cõfessionẽ Philippus fecisset. Alterius clara sunt exempla in Iob, & Achab; vtrique enim dormiuit Dominus, quia vtrumq; tentari permisit, postulante dæmone. Diuerso tamen, imò contrario euentu. Nam scelestum Achabum vicit Sathan (quod futurum illi Deus prædixerat) à Iob verò victus est dæmon, tanquã à viro pio & forti. Et huc fortè reduci potest, ista quam in Euangelio habemus tribulatio, sicut in prima concione notauimus. Tertio modo obdormit Dominus quàm frequentissimè.

IIII. PVNCTVM. Dormitio Christi occasio tentationum. *1. Cor. 10. 13.*

Dormitio hæc fit tripliciter.

1. Metu proprio Exemplum in Philippo. *Ioan. 6. 5.*

Iob: 1. 11. 2. Instigãte dæmone Exẽplum in Iob & Achab *3. Reg: 22. 20.*

3. Nobis id pcurãtibus.

simè.

simè. Nos enim tum peccatis (etiam venialibus) tum negligentiis nostris, soporem oculis illius inducimus. Id testatur ipse Christus, cùm monet tres dilectos Apostolos in horto dicens: *Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationẽ.* Somnus enim discipulorum, Somnũ prouocabat Dei. Nam ideo Deus contra imminentes tentationes minus Apostolos iuuabat, quia per orationem ipsi quoq; gratiæ ipsius non sunt cooperati. O quàm sæpe id nobis euenit, & quàm variis ex causis! Attulimus in decursu orationis aliquas quas memoriæ causa perstringamus. Magnum enim inducit soporem Christo Domino negligentia nostra in repellendis diaboli suggestionibus & tentationibus: maiorem impatientia & murmuratio in aduersis & tribulationibus, quas in bonum nostrum immittit Deus: maximum, elatio animi & præsumptio, indeq; profecta tepiditas, & malè secura securitas ac quies. Sed sunt & alia, quæ idem præstant. Talis est fiducia, quam habemus in homine, propter quem Deũ offendere pro nihilo ducimus: talis honoris cuiusdam falsi & inhonorati inordinatus amor ac procuratio: tale otium in prosperis, & delitiæ, quæ magnum illũ athletam, quem innumera penè aduersa mouere loco non poterant, per vnum intuitum prostrauerunt; Dauidem, inquam, qui *surgens de strato suo post meridiem, & de ambulans in solario,* vidensq; fæminam se lauantem, in turpissimũ adul-

Lu: 22. 46 Exẽplũ in Apostolis. NOTA.

Modi seu causæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

2 Reg: 11. 2 Exẽplũ in Dauide.

adulterium primum: deinde verò in homicidium in currit, dormiente & permitente Deo; tum ad humiliationem ipsius: tum ad cautellam nostram. Nemo igitur sit securus, cùm tantum virum cadentem videt, nemo viribus suis fidat sed ad remedia recurrat. Hæc verò notantur in sequentibus, cùm dicitur in Euãgelio.

ACCESSERVNT DISCIPVLIS EIVS ET SVSCITAVERVNT EVM DICENTES, DOMINE SALVA NOS PERIMVS. Quibus in verbis tria eximia remedia habemus. Primuum est ACCEDERE ad Iesum, Hoc etiam olim monuit Dauid dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*. Estq; quasi porta quædã aperta ad alia. Acceditur autem per pęnitẽtiam de peccatis; peccata enim omnium malorum ac tribulationũ sunt causæ. Nisi enim peccata adfuissent, in bonis duxisset vitam genus humanum. Ab iis igitur nos primùm recedere, & per pænitentiam ad Deum accedere oportet: à cæcitate inquam ad lumen: à confusione æterna ad non confusionem faciei. Hos enim duos precipuos effectus Pænitentiæ (contrarios effectibus peccati) his verbis pulchrè notasse mihi videtur Dauid Propheta. Postquàm verò per pænitentiã accesserimus, tunc SVSCITARE debemus Dominum: qui quamis sponte sua adsit & aduigilet semper pęnitentibus: tamen tum ad obtinendas vberiores gratias, tum vt à peri-

V. PVNCT. Tria tentationum remedia cõtinet.
1. Accedere ad Iesum.
Ps. 33. 6.
2. Suscitare Iesum.

à periculis aduentantibus liberemur, (ſicut hic diſcipuli, ſunt liberati) excitare illũ oportet. Sunt autẽ varij excitandi illum modi, tam per nosmetipſos, quàm per alios. Per nos excitamus illum, tum fugiendo peccata, tum operando bona. Fugiemus peccata, ſi contraria illis faciemus, quæ prouocare ſomnũ Domino IESV paullò antè diximus. Si, inquam, non negligenter, ſed ſumma cum diligentia reſtiterimus diabolo, *fortes in fide*; ſi non murmurauerimus in tribulationibus, ſed patienter eas tolerauerimus: ſcientes *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: & quòd *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. Si propterea ſuperbiæ & malæ ſecuritati humilitatem, & veram noſtri cognitionem oppoſuerimus: Si non in mortali, ſed in immortali omnem fiduciam noſtram collocauerimus; nullo modo propter quemuis hominem, aut quodcunque commodum Deum offendere in animum inducentes. Nimis enĩ ſtultum eſt pretermiſſo Deo infinito finitum præponere, imò miſerum hominem ſequi, illiq; fidere: ſi otium, delicias, & non ſolùm peccata, ſed etiam occaſiones eorum, totis viribus cauebimus: quod ſi feciſſet Dauid, in tam enormia non incidiſſet ſcelera. Si nouerimus diſcernere inter verum honorem, & apparentem, & tàm noſtrum honorem, quàm cuiuſuis alterius, Diuino poſtpoſuerimus honori. Si denique (vt vno verbo

Per noſmetipſos quod fit ſeptem modis.

1. Pet. 5. 9
Act. 14. 21
2 Tim: 2. 5

cum magno Ioanne Baptista dicam) *faciemus* *Luc:3. 8.*
fructus dignos pœnitentiæ. Per alios verò excita- Per alios duobus modis.
bimus à somno Christum Iesum, tum implo-
rãdo piorum intercessiones, & qui cum Chri-
sto regnant: tum largas dando eleemosynas
pauperibus, & alia opera misericordiæ exer-
cendo iugiter. Si enim sanguis Abel excita- *Gen: 4.10.*
bat, & incitabat Deum ad sumendam ex Cain Exemplum à maiori.
vindictam, & ad exercendam Diuinam ipsius
iustitiam: quantò magis eleemosynæ & opera
misericordiæ miseris propter Christum exhi-
bita, excitabunt eum ad exercenda munia mi-
sericodiæ? Cùm Dauid testetur esse *misera-* *Ps: 144. 9.*
tiones eius super omnia opera eius? Huius autem A simili.
rei exemplum videmus in illo pio Centurio- *Act: 10.4.*
ne, cuius eleemosynæ factæ Iudæis, ita ascen-
derunt in conspectum Dei, vt excitarent il-
lum ad mittendum Angelum, qui ei viam mõ
straret salutis, & Euangelicæ veritatis. Ter- 3. Remediũ efficacissimũ oratio.
tium remedium est contra omnes tribulati-
ones & tẽtationes efficacissimum: illud ipsum
quod hic discipuli Christi Domini exercent,
DICENTES, DOMINE, SALVA NOS,
PERIMVS. Oratio, inquam, & inuocatio Exempla
opis diuinæ: Magnum equidem, imò nescio
an non maximum contra omnia pericula, &
vniuersas afflictiones, medicamentum, teste
& instructore ipso IESV Christo, qui (vt vi- Christi.
dimus) tres illos dilectos discipulos suos, in
horto docuit, vt hunc aeneum murum tenta- *Lu: 22.40.*
tionibus opponerent. Docuit autem non so-

lum verbis, sed & opere ipso, in oratione vigilando, in terram sese prosternendo, terque eadem verba repetendo Et hoc ab ipso mundi exordio egerunt omnes pii & sancti viri, vt Patriarchæ, præsertim Iacob; quando timebat fratrem suum Esau, vt Prophetæ, imprimis verò Moyses; quando constrictus fuit Pharaonis exercitu: Reges, & præ ceteris Dauid in Psalmis suis frequentissimè. Quod si illi id fecerunt, constricti periculis perdendi res, & vitam temporalem; quantò magis nos præstare id conuenit, cùm agitur negotium animæ, & interitus æterni? Hoc fecit in veteri Testamento Susanna, ne contaminaretur adulterio: Hoc in nouo fideles primitiuæ Ecclesiæ, ne cederent malis. Hoc infiniti, tum Anachoretæ, tum Virgines, tum Confessores, tum Martyres, vtriusq; sexus, vt à periculis tentationibus, & insultibus crudelissimis & astutissimis Diaboli, & seruorum eius liberarentur. Hos igitur & nos imitemur in omni tribulatione nostra, cum magna spe, & fiducia Diuini adiutorii. Sicut enim illi omnes non sunt fraudati desiderio suo, sed obtinuerunt quod petierunt: nec victi sunt, sed victores extiterunt: ita idem nobis quoque eueniet. Exemplar autem orationis in hoc aduersitatū, genere pulcherrimum est, hæc ipsa Apostolorum deprecatio: DOMINE, SALVA NOS, PERIMVS. De qua quia in prima concione diximus non pauca, huic negotio

Iacobi Patriarchæ. Gen: 32.22

Exo: 14.15 Moysis.

Dauidis.

Dan: 13.22 Susannæ.

Act: 4.24. Fidelium.

Inde spes excitatur.

tio nunc superdendum erit: & accedendum, ad id, quod vltimo loco proposuimus; nempe ad demonstrandum fructus, & effectus, qui prouenient nobis, si mediis istis benè vsi fuerimus. Hi verò designantur aliquot illis verbis Euangelii:

Et Facta Est Tranqvillitas Magna. Porro Homines Mirati Svnt. Quibus verbis duo capita commodorum indicantur: quorum alterum ad nos, alterum ad proxrmum pertinet: vtrumque tamen nos tangit. Tranquillitas ad nos spectat, admiratio proximorum est, qui nobiscum conuersantur: vtrumq; tamen nos attingit: quia in vtr..q; cautè nos procedere oportet. In tranquillitate spirituali, quæ tribulationes & deuictas tentationes consequitur, cauenda est oscitatio, pigritia, & (quam diximus) malè secura securitas: in admiratione verò hominum, vitanda complacentia & vanagloria. Contra vitia, quæ tranquillitatem sequuntur, dat remedium excellentissimum Sapiens cum inquit: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quibus verbis tria nobis inculcat, & in his tribus, stare, id est, constantes nos esse iubet: nempe primò *in iustitia*, ne iniustè viuentes gratia diuina excidamus: Secundò *in timore*, ne noxiæ securitati locum demus: tertio in *præparatione animæ ad tentationem*, ne peruenisse nos ad metã, & por-

VI. Punctū Fructus duplices consequentur.

1. Tranquillitas in qua tria obseruanda.

NOTA

Eccl: 2.1.

tum arbitremur. Si enim de Diabolo victo
Luc: 4. 13. à filio Dei dicitur, *Recessit ab illo vsque ad tempus*: quid nos miseri expectare, qũo nõ diligẽter ad sequẽtẽ pugnã nos pręparare debemus? Contra admirationem verò hominum, ipse
2. Admiratio in q̃ua honor Dei quę rendus. Saluator dat remedium dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*
Mat: 5. 16. Non vos, inquit, glorificent, sed Patrem cælestem. Quòd si vos, & opera vestra bona mirantur, ac venerantur homines, vos in illum reiicite omnem honorem, qui fecit, vt opera illa in vobis, & per vos, fierent. Non enĩ rectè laudatur quicquam nisi bonum. Ad illum igitur omnis laus referend est, à quo procedit omne bonum. O aurea Christi Domini sententia, o vtilissima doctrina omnibus in spiritu procedere volentibus. Hæc igitur cogitemus ac meditemur quæso, ne aut per inanem gloriam perdamus quicquid acquisimus; aut per securitatem nimiam incidamus in tentationes, ex quibus non emergamus ampliùs. Tantùm enim abest, nos deuicta vna tentatione ab aliis insultibus liberos futuros; vt certum sit, quò quis fortius restiterit, eò maiores ad futuras tribulationes; vt & nos robustiores euadamus, & Sathanas plus confundatur, & magis magisq; Diuina laudetur bonitas semper.

Quare vt vnde cæpit ibidem nostra terminetur oratio, cùm ex virtutibus tum ad salu-
Conclusio

tem

tem, tum ad profectum in spiritu necessariis, haud postremum locum spes teneat, huius optima iaciemus fundamenta, si quæ in hac concione dicta sunt, & mente memoriaq; retinuerimus, & exequutioni mandare studuerimus. Erigetur etenim in nobis hæc virtus sancta, Primò quidē, si memores nos in mundo sicut in mari esse; in mundo, non mundo dediti, sed spe ad æterna tendentes vixerimus: prout nos monet Apostolus dicens: *Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes sint: præterit enim figura huius mundi.* Quis verò sapiens omissis bonis perpetuis, immerget se, iis quæ statim peritura esse nouit? Secundò, si scientes animam nostram esse nauiculam, à Christo Iesu ad mare hoc traiiciendum omnibus necessariis abundè dotatam, ditatamque, non segniter, sed plenis,, quod dicitur, velis, cum spe optima ad portum curremus salutis. Tertiò, si considerantes, quàm multa, quamq; varia sint in mundo tentationum & periculorum genera, in ijs superandis duo fugiemus extrema, nempe pusillanimitatem, & securitatem nimiam. Quam ad rem spes (quam in tribulationibus excitare in nobis debemus) valet plurimùm. Hæc enim dum docet nos & fidere, & cooperari Deo, instruit etiam, quomodo per fiduciam quidem pusillanimitas, per cooperationem verò negligentia, & mala securitas sit in nobis profliganda. Quartò, si memoria reuoluentes, Dominū Iesum ob-

qua spes excitatur, & sum̃a dictorum.

1.

1. Cor. 7. 31

2.

3.

4.

dormire nonnunquam in hac nauicula, idque
imprimis culpa obuenire noſtra, cauſas ſomni
Diuini, quantum in nobis eſt amouebimus;
non in homine, ſed in ipſo Deo ſpem collo-
cantes, increpationesq; ipſius patienter tole-
5. rantes. Quintò, ſi eadem ſpe ſancta freti, ac
excitati, ſatagemus accedere, ſuſcitare, & de-
precari Chriſtum Ieſum, ut ſaluet nos, ne pe-
reamus. Hæc eſt enim illa vigilantia, quam
toties, & per tot parabolas ipſe Chriſtus no-
bis commendat. Vigilandum autem eſſe, nõ
quocunq; modo, ſed in oratione, docet nos
6. princeps Apoſtolorum. Sextò deniq;, ſi vigi-
lantiam hanc tranquillitas animi, & admira-
tio populi ſequetur, recogitabimus neq; illã
perpetuam futuram; neq; hanc nobis, ſed ſoli
Deo adſcribendam eſſe; atq; hac ratione inter
ſpem & metum cautè ambulabimus: vt tan-
dem aliquando per ſpem ad rem, ex peregri-
natione iſta periculis referta, ad patriam ſecu-
ritatis plenam peruenire, & Trinitatẽ ſanctiſ-
ſimã videre, & laudare valeamus per imenſa,
& infinita ſæcula ſæculorum, AMEN.

ARCA NOE. CRVX. CHARITAS.

CONCIO QVARTA
Charitas.

EX SENSV ANAGOGICO.

Nauicu-

NAuiculam noſtram, imò Euangelicam, vel potiùs Chriſti Ieſu Domini noſtri, ipſo adiuuante, promouente, impellẽte, per anagogen, id eſt, per altum & abſtruſum ſenſum in altum deducturi, illis vos alloquimur verbis Chariſſimi, quibus olim Apoſtolus Paulus vſus eſt, inquiens: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Vtitur autem Apoſtolus hoc proœmio Corinthiis Charitatem commendare volens: quod tam copioſè, neruosè, eleganterq; toto ſequenti capite præſtat, vt mirum planè ſit dictu; cogitatuq; ſit & iucundiſſimum, & vtiliſſimum. Hanc ipſam ergò Charitatis viã, vobis mihi in Chriſto dilectiſſimis fratribus, filiisq; commendo plurimùm. Viam, inquam, & excellentiſſimã, teſte Apoſtolo, & admirabilem, teſte experientia: quippe, quæ & in inuio via eſt, & ipſa eſt via ad aliam viam, & hanc ipſam viã ipſa portat, & deniq; in ipſo quoque reperitur termino: imò tunc perficitur maximè. Hæc eſt Philoſophia Chriſtiana, non ſolum philoſophis, ſed etiam hereticis, imò ipſis quoq; malis Catholicis, ſi non verbis, re ipſa certe obſcura, acerba, & abominabilis valde: at verò veris, bonis, & ſanctis Catholicis, plena, dulcis, multumq; amabilis. Ex quorum numero, vt nos quoq; & ſimus, & conſtanter perſeueremus, in hac concione circa Euangelij textum hæc conſiderabimus.

Exord: ab excellẽtia charitatis deſũptum.

1. Cor: 12. 31

Primò, quidnam nauicula iſta per anagogẽ- deſignet:

PROPOS: Sex puncta continẽs.

designet: deinde, quonam modò id adumbratum fuerit antiquitùs, & quænam inter antiquam & Euangelicã nauicalam sit differentia: tum, quomodo excellentiori modo cruci hæc omnia competant & conueniant. Præterea, quomodo in Euangelio hodierno notentur ista. Docebimus etiam, quàm grati horũ esse debeamus: ac deniq; quæ in his omnibus locum charitas teneat: tum Christi Domini, tum nostra. Tu dux, & author noster Christe Iesu effice, vt ita hæc consideremus, quò te primùm quidem in crucem sequamur libenter, deinceps verò in æterna quiete assequamur, & perfruamur dulciter & lætãter.

I. PVNCTV̄ Quid nauis ista Anagogicè significat Figura.

Contemplans Sapiens in sapientia sua ineffabilem illam & incomprehensibilem sapientiam Diuinam, & arcana ipsius considerans consilia, sic inter alia inquit: *Propter quem cùm aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans.* Quibus quidem verbis Salomon videtur mihi præterita quidẽ recolere beneficia, futura verò prophetico spiritu, pronunciare mysteria. Recolit generis humani secundum carnem renascẽtiam: prędicit verò eiusdem humani generis in spiritu restaurationem Meminit namque, quomodo cùm Deus iustus propter peccatũ Cain, & posterorum eius *deleret terram*, & homines tunc viuentes aquis perderet diluuij, per *contemptibile lignum*, idem, per arcam ex lignis fabrefactam, *iustum* Noë cum filiis *gubernans*,

Sap: 10.4.

Præterita recolit.

nans, ac conseruans, sanauit iterum terram, & reparauit genus humanum maxima *sapientia sua*. Prædicit autem, quomodo idem Deus misericors, multò maiori cum sapientia sua, per lignum crucis, quod fuit multò, quam illud arcæ contemptibilius, gubernans Christũ Iesum, multò iustiorem, quam Noë erat, sanare & saluare constituit, iterum idem humanum genus, non quidem secundum corpus, aquis elementaribus obrutum & mortuum: sed in anima diluuio peccatorum enecatũ, & deperditum. Quod quanam ratione Deus perfecerit, nos iam tanquam præterita intelleximus, cognouimus, credidimus, & in concione ista memoria repetere cogitamus: non omnia quidem, sed ea tantùm, quæ nauicula Euangelij hodierni, meditanda nobis proponit. Quod enim olim arca illa Noë figurabat, hoc nauis ista designare videtur, tantò clarius & excellentius quantò euidentius ipsum Christum Iesum in se continet. Quare si à me quæras, quid nauicula ista, cuius in Euangelio hodierno fit mentio, per anagogen denotet? Respõdebo, crucẽ eã signare, in qua Christus Iesus Dñus noster, & mare hoc magnũ, spatiosũ nimis, mundum inquam istum, ipse transmeare, & in ea salutem nostram, totiusq; humani generis operatus est. Quemadmodum enim illi, qui siue sponte sua, siue ab aliis missi, ad redimendos & in patriam reducendos captiuos maria penetrant: & nauis ex lignis con-

Futura præuidet.

Applicatio.

A simili.

fectæ adminiculo id efficiunt: ita Christus Iesus, tum à patre æterno missus, tum voluntate sua, ad redimendũ genus humanum, ex diabolica captiuitate in orbem vltrò veniens, non alio quàm crucis, medio vti ad id voluit. O ingens & altum mysteriũ. O nimis abstrusum secretũ. Quid enim est altius cælo? quid cruce abiectũ & infame magis? Magna igitur, & tum Iudæis, tum Philosophis tũ aliis mundo deditis, incomprehensibilis anagoge est ista, non alio modo, quam per crucem cælos penetrare, imò omnes qui saluantur homines ad patriam, & portum salutis æternæ per ignominiam crucis reducere velle. Hoc fecit Christus Dominus. Hoc demirans Paulus exclamat dicens: *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christũ crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentilibus autem stultitiam.* Hoc nos quoq; in concione hodierna adiuuante Christo Iesu volumus ponderare.

Quam id abstrusum.

1Cor: 1. 22. Teste Apostolo.

Quam ad rem occurit in primis illa quàm à sapiente citatam audiuimus, de arca Noë historia, quam libet huic nauiculæ, in qua Christus Dominus hodie residet comparare, ac paulisper in his immorari; tum conuenientias ac differentias, inter illas cosiderando; tum mysteria quæ inibi latent patefaciendo: quatenùs illa primùm quidem Ecclesiæ Christi; deinde verò ipsi Christo & cruci eius cõpetunt. Itaq; primùm sit in aliis quoq; concionibus

Gen: 6. II. PVNCT. Differẽs inter arcã Noë & nauiculã ponit.

cionibus notatum; quòd sicut in arca Noè olim Ecclesia continebatur, ita eadem in hac nostra habetur nauicula. Est tamen hîc duplex differentia (indeq; duplex mysterium) Altera, quia arca illa totam complectebatur Ecclesiam, quæ tum temporis in orbe terrarum reperiebatur. Nam quamuis probabile sit non omnes qui diluuio absorpti sunt, extra Ecclesiam, imò extra gratiam fuisse (Id n. testari videtur D. Petrus, cùm asserit Christũ Dominum in descensu suo ad inferos *prædicasse his qui in carcere erant qui increduli fuerant aliquando in diebus Noè*. Iis videlicèt prædicauit Christus, qui antequam aquis suffocarentur diluuij, de sua incredulitate & impietate pænitentiam egerunt, & saluati sunt) Hoc inquam quamuis sit probabile: certum est tamen, post quàm isti interierunt, illis saltem *centum quinquaginta Diebus quibus obtinuerunt aquæ terram*, in sola arca fuisse Ecclesiã Dei tũ temporis. At verò in nauicula hodierna, nõ tota erat Ecclesia. Nam extra nauim fuit B. Virgo Maria,, & aliæ mulieres, viriq; fideles, ac sancti,; vt cognoscas noui testamẽti Ecclesiam omnes aliæ longè superaturam, & numero, & latitudine. Hæc est igitur prima differentia primumq; priuilegium. Altera est, quia in arca Noè deerat Christus, hic verò minimè deest. Vnde nouæ legis præ omnibus aliis alterum animaduertimus præeminentiam; nempè ratione capitis. Caput enim Ecclesiæ

Priuilegia quæ Ecclesię Catholicæ cõtinet Primũ latissime patero.

1 Pet: 3. 19

Gen: 7. 24

2. Habere caput Christum.

clesiæ est Christus Dominus, teste Apostolo, cùm de eo, & de Deo Patre loquens ait: *Et*
Eph: 1. 22 *ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Tale autem caput Ecclesiæ, quale nunc est, esse non potuit Christus Dominus, antequam in vtero virginis conciperetur, quo demum tẽpore, naturam humanam Dei. Verbum assumpsit, & sic caput Ecclesiæ, fieri voluit.
Similitudine vtrumq; declaratur. Vtrumq; hoc nouæ legis priuilegium magnũ equidem est. Quemadmodum enim domus amplissima præsentem habens principem, lõgè superat casam exiguam, in qua famuli ipsius tantùm habitant: ita eminet valdè nauis Christi, id est, Ecclesia Catholica, præ omnibus alijs, quæ eam præcesserunt, diuinis etiã
Heb: 3. 5. congragationibus. Quam quidem similitudinem & argumentum videtur tractare Apostolus, quando Christum Dominum tanquam hæredem in domo sua commorantẽ cũ Moysæ fidei famulo comparat.
Gen: 6. 16. Gen: 8. 6. Deinde Arca Nòé vndiq; obstructa, totaq; penè obscura fuit. Nam cubitali tantùm fenestra, eaq; clausa (dicitur enim, *Aperiens Nòé fenestram arcæ dimisit coruum*) contenta erat: nauicula verò hodierna, quam incolit Christus Dominus, tota aperta, plenoq; lumine liberè cælum intueri facit omnes. Quia in re duo alia mysteria, & nouæ legis, Catholicæq; Ecclesiæ priuilegia ob oculos nobis ponun-
5. Lucere. tur. Alterum, ante Christum obscura omnia fuisse; lumine quidem naturali modicas tantùm

tùm ſcintilas emittente; lege verò ſcripta, *velamen ſuper faciem* (ideoq́; etiam ſuper oculos) habente: quod perdurare hucuſq; apud Iudęos teſtatur Apoſtolus: In Eccleſia verò Chriſti, clara, lucida, perſpicuaq́; ſunt omnia. Alterum, neminem antiquorum liberè cælum aſpexiſſe, cum in vita, dicta de cauſa: tum verò in morte, propter cælum clauſum. Si enim Iacob (vnus ex illis quorum Deus maluit ſe vocari Deum, quàm totius mundi) Putans Ioſeph filium ſuum mortuum, inquit: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*: quis poſterorum eius ingreuſſm cæli tũ temporis ſibi polliceri auſus fuiſſet? At verò in nouo teſtamento, Apoſtolus Paulus *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, nonne euidenter demonſtrat, eos qui tempore legis nouæ ſanctæ moriuntur cælum petere? In cælo enim eſſe Chriſtum Ieſum, ad quẽ Paulus ire feſtinabat, & veteris & nouæ legis adſtipulantur nobis teſtimonia. Itaque qualis quantaq; differentia, inter famulos ſeu familiares alicuius regis, vel principis, qui tota die in luce verſantes, ad aſpectum Domini ſui deſideratiſſimi, dulciſſimi, liberaliſſimi, recta tendant citoq́, (niſi quid remoretur) admittuntur, & inter alios eiuſdem domini ſeruos, qui primùm quidem ſolò lumine lucernæ contenti ſunt: deinde verò etiam ad carceres introeunt; poſt longum tempus, tandẽ herum conſpecturi ſuum: tale tantùmq́; eſt inter

2 Cor. 3. 18

4. Cælum ſpectare.

Gen. 37. 35

Phil. 1. 23

Pſ. 67. 19.

Similitudo.

Act. 1.

Eph. 4. 8.

inter vos & patres antiquos discrimen. Illi enim & dum hîc essent, modicum quid luminis, siue naturalis, siue legis scriptæ habebãt; & insuper post mortem, etiamsi essent sanctissimi, ad inferos tamen descendebant; visuri aliquãdo Deum creatorem & redemptorem suum, quidam post multa tandem sæcula. At verò qui in nauicula Christi mare hoc trãseunt; & dum hîc viuunt luce reuelatæ veritatis longè excellentiori, quàm illi, præditi sunt; & peracto peregrinationis huius cursu, si tam sancti vt illi antiqui fuerint, de luce ad maiorem lucem, de luce, inquam, Christi iam reuelati, ad lucem illam admirabilem videndi Deum trinum & vnum facie ad faciem, recta transeunt. O dignitas Christiana! o bonitas & liberalitas erga nos diuina! qui nos & hoc tempore nasci, & ad nominis sui agnitionem adducere, & talia hinc discedẽtibus pręstare voluit præmia. Simus igitur grati dilectissimi, & tùm ex his, tum ex aliis, quæ nobis gratuitò ex pura beneuolentia ac amore suo contulit Christus Dominus beneficia, ad gratias ei agendas, & ad redamandum illum, inardescamus, & corda inflammemus nostra.

5. Promissiones excellentissimas habere.

Sed est & alia inter arcam Noë, & hanc nauiculam Euangelicam differentia; quòd illa homines paucos, bruta verò animalia multa; hæc verò homines quidem plures, bestiam verò (quod sciamus) nullam in se continebat. Quid hoc mysterii? Illud inter alia insinuatur

nuatur, quòd populus antiquus communes cum bestiis habuerit promissiones. Quid enim promittit illis Deus per primum eorum Prophetam? *Si volueritis*, inquit, *& audieritis me bona terræ comedetis.* Istis verò nónne & bestiæ mutaq; animalia fruuntur? Quid præterea? Delectari cum vxoribus, subesse nemini, dominari verò plurimis: quod & leonibus, & vrsis cõcessum est. Verùm in noua lege promissiones sunt hominibus cum Angelis communes, imò quædam etiam maiores. Communes sunt, cælum ingredi, Deum videre, & æterna perfrui beatitudine. Quæ omnia, & his similia vnico illo suo dicto cõprehendit Saluator, cum inquit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* In cælo igitur erit, Deum videbit, felicitate æterna gaudebit; hęc enim omnià habet Christus. Maiora sunt illa, quæ Christus Dominus Apostolis promittit, dicens: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me* &c. *sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Apostolus verò inquit: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Quapropter inter antiquos pauci reperiebantur homines, qui humano modo agerent, & in actionibus suis finem supernaturalem quærerent: multi verò qui tanquam iumenta, terrena appetentes, propter hæc Domino Deo seruiebant. Nunc verò contrarium fit, atque vtinam fiat. Fieri certè deberet: vtq;

Isa. 1. 18.

Ioan 12. 26

Mat. 19. 28

1. Cor. 6. 3.

vtq; fiat oro, obſecro, obteſtorq;. Id enim vocationis noſtræ perfectio, id lex Chriſti Domini, id promiſſio in Baptiſmo data à nobis, requirunt. Videlicet, terrena flocci facere, cæleſtia intueri, caduca cõtemnere, regnum Dei in omnibus quærere; ac quibus in Baptiſmo renunciauimus, de iis ne cogitare quidem. Quod ſi ſecùs fit à quibuſdã, qui propter terrena Domino Deo ſeruiunt, norint qui tales ſunt, ſe ad antiquum potiùs, quam ad nouũ Teſtamentum pertinere, & iumentorum potiùs, quàm hominum more viuere. Ac proinde adhibeant duplex remedium, quod dat Apoſtolus. Alterum, cum inquit: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Id enim bruta animalia facere nequeunt, quæ Deum ſuum non norũt: tu verò qui ad imaginem ipſius es conditus, fac ne bruti inſtar viuas. Alterum dat remedium ſcribens ad Timotheum, quod his expreſſit verbis: *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum; Sed in Deo viuo: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* O aureæ ſententiæ! o diuina talibus admonitio! quam ſi ſequentur etiamſi terrena paulò plus quàm par eſt appetentes, iumentorum vita quodammodo viuant, ſaluari tamen poterunt. Scriptum eſt enĩ: *Homines, & iumenta ſaluabis Domine:* Quod quam-

NOTA. Remedia duo, ꝑ appetentibus tẽporalia.

1 Cor: 10. 31

1 Tim: 6. 17

Pſ: 35. 8.

Iumẽta quomodo ſaluãtur.

quamuis de salute, id est, de conseruatione vniuersi, principaliter fortè dicatur; possumus tñ. (saltē spiritualiter) intelligere etiā p homines illos, qui petūt & appetūt cælestia, ad quę capessenda homo creatus est: per iumenta verò eos, qui terrena cupiūt, & illa à Deo sedulò expetunt, qui tamen si duas illas conditiones ex Apostolo allatas habuerint; saluabuntur ipsi quoque per diuinam misericordiam immēsam, quam admirans Propheta subiungit: *quemadmodum* (verbum est admirantis secundum Hiere: ac si diceret: o quantopere) *multiplicasti misericordiam tuam Deus*, super eiusmodi homines. Hæc propter huius mundi homines ne in desperationem agantur.

Postrema inter Arcam Noë & Nauiculam hanc, sit differentia. Illa enim non tendebat ad portum, sed huc & illuc vagabatur, donec deficientibus aquis, *requieuit super montes Armeniæ*; hæc verò litus præfixum habuit. Nā D. Lucas inquit: *Et ait illis*, nempè Christus Dominus Apostolis: *Transeamus trans fretum*, ad certum videlicet locum ac portum. Qua in re duplex itidem mysterium occurrit nobis. Vnum explicuimus, quando ostendimus antiquos patres, tàm in lege naturæ viuētes, quàm in lege scripta (vtrāq; enim sub typo arcæ comprehendimus) etiamsi sanctissimè mortui essent, nunquam tamen portum cælestis gloriæ tenere potuisse: Aliud est, quòd leges illæ vna cum sacramētis suis, non solùm ad glo-

Gen: 8. 4.
Luc: 8. 22
6. Priuil. maximū Sacramentorum

dignitas & vtilitas. ad gloriæ; sed ne ad gratiæ quidem portum perducere quenquam poterant. Neque enim remiſſionem peccatorum dare, neque iuſtificare, neque ad perfectionem valebant quempiam adducere. Hæc verò omnia poſſunt præſtare lex & Sacramenta Christiana, quæ & cōtinēt in ſe gratiā, & dū exercētur, eā dignis tribuunt; Qua quidem gratia viuificamur, qua ſanctificamur, per quam & peccatorū remiſſionem, & omnem acquirimus perfectionem. Priuilegium hoc maximum nauiculæ Christi Domini, latè proſequitur Apoſtolus Paulus in omnibus penè ſuis ſcriptis, oſtendens legem illam neminem iuſtificare potuiſſe, imò magis conſcientias grauaſſe, ac tandem in vltima epiſtola vniuerſaliter concludens inquit: Heb. 7. 19 *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Secus verò legem nouam, legem gratiæ, legem Christi, ſeſe habere, & tum in baptiſmo aliisq; Sacramētis nos abluere, ſanctificare; Chriſto cōiungere membraq; ipſius efficere: tum omnem perfectionem in ſe continere, ac elargiri per antitheta, & contrariorum oppſiotiones pulcherrimè & copioſiſſimè deducit, ac probat idem Apoſtolus.

III. PVNCTVM. Concordia & diſcrimē inter hæc & crucē crucisq; priuilegia. Cæterùm tempus eſt, vt preſſiùs loquendo, ad id deueniamus, de quo nos in hac concione præcipuè tractaturos recepimus: oſtendamusq; quomodo hæc omnia per anagogen Cruci, & illi, qui in ea ſalutem noſtram operatus eſt, maximè conueniant. Dictorum autem &

tem & dicendorum hæc sit sum̄a: Per Arcam Noë nauiculam istam Euangelii hodierni, per vtramq; verò tàm Ecclesiam, quam crucem & in ea crucifixum designari, per crucem autem ad portum cum gratiæ tum verò gloriæ perueniendum esse. Itaq; iacto fidei fundamento, in quo palam fecimus Ecclesiæ Christi Dn̄i tot ornatæ priuilegiis, quanta sit & dignitas, & necessitas, tanta equidem, vt & dignitate omnes alias Diuinas, quæ in terra fuerūt congregationes longè superet, & necessitate tum crucem, tum alia requisita ad salutem præcedat: Videamus iam quomodo hęc cruci aptātur. Quorum illud primum sit; tria ista, videlicet arcam, nauiculam, crucem, & lignea, & ita fabre facta esse omnia, vt dent salutem: Veruntamen non vno eodemq;, sed diuerso modo id faciunt. Nam in Arca dum natando vitatur periculum diluuii, vita & salus corporalis ac temporanea non tam datur, quàm cōseruatur. Idem fit in nauicula hodierna, cum ea tamen differentia, quia hîc seu periculum, seu causa piculi nō fugitur, sed fugatur, quod vtique longè est præclarius. Sedantur enim fluctus à Christo Domino, & auferuntur venti, qui causa esse solent interitus nauigantibus. At verò in cruce, non tantùm conseruatur, sed verè datur vita; nec vita corporalis sed spiritualis; meliùs dixerim & corporalis & spiritualis: vtrumque enim virtute passionis Christi & saluabitur, & glorificabitur: nec

1. Concor. & discrimen tria crucis habet Priuilegia.

1.

2.

3.

3. temporaneam tantum vitam crux tribuit, sed æternam omninò, & sine fine mansuram. O lignum benedictum, quod tanta taliaq; nobis præstat beneficia. O tria eximia crucis sanctæ priuilegia. Simus igitur grati, dilectissimi: & pro tantis gratiis maximas diuinæ bonitati gratias agamus, & caueamus, ne vtilis negligamus.

2. Cō: & discri: indeq, septem crucis priuilegia:

Deinde in arca reperiūtur quidem in lumbis ipsius Noe & filiorum eius omnes: futuri Reges & Monarchæ temporales vniuersæ terræ: At verò in nauicula Euangelicæ inuenitur

Apoc: 19: 14

ipse *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* In cruce autem hic ipse Regum Rex, actu & re

1. ipsa regnat, sicut scriptum est: *Dicite in nationibus, Regnabit à ligno Deus*; quæ verba licèt erasserint ex scriptura infideles, & peruersi Iudæi, recepit tñ illa fidelis & sancta Ecclesia. statque & stabit in iis inuicta semper veritas. Regnauit etenim in Cruce Dñus noster Iesus Christus, qui non solum est Rex Regum, sed etiã creator & conditor omnium Regum. Qui nō

2. vt Noē, fututorum tantum, sed & ipsius Noé & omnium Regum, hominumq; pater fuit.

3. Nec tãtum ipse dominatur Regibus. verùm

4. etiam ab ipso habent omne dominium, quicunq; Monarchæ, & Reges fuerunt, futuriue sunt vnquam. De illo enim (qui est sapientia

Prou: 8. 15. Patris) scriptum est: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Habet autem im-

5. perium Rex & Imperator noster Iesus Christus,

ſtus, non ſolùm corporum, facultatúmue externarum; ſed etiam animorum, quod nullus vnquam Rex habuit, imò nec creatura vlla, etiaſi ſit excellentiſſima, habere poteſt. Quin 6.
imò Rex eſt Christus Dñus nō hom nū tantū ſed & Angelorum, tum bonorū, tū malorum tum vniuerſę creaturę. Hęc verò omnia propter crucem, & in cruce ei competere, & ex Dauide iam audiuiſtis, & ex Paulo idipſum clarius intelligite. Is eñ cùm retuliſſet de Christo, *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque* Phil: 2. 8.
ad mortem, mortem autem crucis, effectum tantæ humilitatis ſubiungit, dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ne- 7.
que verò imperium hoc tēporaneum eſt (vt eſt omnium Regum & Imperatorum huius mundi) ſed eſt perpetuum, æternum, & nun- Luc: 1. 38.
quam interiturum. Nam vt de illo Gabriel ad Mariam teſtatur: *Regnabit in æternum, & regni eius non erit finis.* O dignitas crucis, O maieſtas crucifixi. O ſecretum anagogicum opertum Iudęis perfidis, ludicrū gentilibus cæcis, abſtruſum aliis infidelibus: fidelibus autē tam Iudæis, quàm gentibus, clarum, perſpi- 1. Cor: 1. 24.
cuum, honorabile. *Dei enim eſt virtus, & Dei ſapientia*, qam amplectamur, & ſectemur dilectiſſimi; Diuinamque ipſius bonitatem orare non intermittamus, vt & infidelium tum gentilium, qui adhuc in nouo orbe reſtant; tum

Iudæorum, tum Hæreticorum, mentis oculos ad cognoſcendum crucis myſterium illuminare, & fideliũ corda charitate inflammare, & hac ratione in omnibus per crucem ſuam regnare dignetur Christus Ieſus Dominus & Deus noſter.

3. Con: & diſ: duo habet puncta.

Præterea illud, quòd arca Noé tum omni ex parte ſit clauſa, tum luminis parùm admodùm habeat: quodq; qui in ea ſunt, cælum nõ intueantur: nauis verò hodierna etiamſi cælos conſpicuos ac proinde luminis plurimum habeat, non eſt tamen vndique aperta, prout eſt crux; non caret equidem myſterio, quod ſoli crucis amatores bene norunt: Norunt enĩ illis quidem, qui Christi aduentum præceſſerũt, nec cælum, nec myſteria ſalutis noſtræ ſic patuiſſe, vt nunc patent iis, qui ſunt in nauicula Christi Domini, id eſt, in Eccleſia: maximè autem patent hæc amatoribus crucis; iis inquam, *qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*: qui non gloriantur *niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*: quibus *viuere Chriſtus eſt, & mori* pro Christo, *lucrum eſt*: quorum *conuerſatio in cælis eſt*. Tales enĩ licèt ſint ſimpliciſſimi, licèt literarum expertes, licèt nõ ſolũ viri ſint, ſed etiã fęminę, ſæpius tali tãtoq; lumine illuſtrãtur Diuino, vt in cognitione Diuinorũ myſteriorũ doctiſſimos etiã quoſque ſuperent. Videre hoc licet cum in Antonio, tum in diſcipulo ipſius Paulo, in Hilarione, in Catherina quoque Seneñ, in Christina, & aliis

Gal: 5. 24. Alterũ conuerſationẽ in cælis. *Gal: 6. 14.* *Phil: 1. 21.* Alterum lumen maximum. *Phil: 3. 20*

aliis tàm viris, quàm fœminis deuotis & spiritualibus. Quorum si vitæ conuersationem imitari studuerimus, assequemur & effectũ.

Verũ ne prolixi nimis simus, cæteras inter hæc differẽtias, & crucis crucifixiq; encomia, breuiter perstringamus. Itaq; sit quarta in ordine. Etẽ in arca Noë ꝑter homines paucos iumẽta sunt plurima: in naui hodierna homines tantum; in cruce verò solus homo Deus salutem in medio terræ operans, reperitur. Ingens mysterium, quod me tacente, non est qui non videat: vtinam nullus sit, qui non recogitet corde, & gratus existat. Sicut illud etiam, quòd in arca nec mori, nec periclitari quisquam scribitur; in nauicala nemo quidẽ moritur, periclitantur tamen Apostoli: at verò in cruce ipse moritur, qui & à periculis, & à morte liberat vniuersos. Desunt ne hîc secreta diuina? vos ea considerate, nos reliqua prosequamur & finiamus. Præclarũ est enim, illudq; quamuis omnes, qui in lignis istis, arcæ videlicet, nauiculæ, & crucis versantur, replent terram: diuersi modè tamẽ id præstent. Nam qui sunt in arca, corpora tantũ saluant, hacq; de causa secundum literam in Arca Noë non solum homines, sed & bruta reperiebantur animalia, & aues variæ, quia corporibus omnis generis replere debebant mundum, ne terra inanis & vacua remaneret. In nauicula verò hodierna soli sunt homines, soli cũ Christo Apostoli. Hi enim nõ corporibus, sed animabus,

4. Con: & discri.

5. Varia continet priuilegia.

6. Quatuor habet.

mabus, orbis vniuersi ad ferre debebant salutem, prout fecerunt: non sua tamen, sed illius, qui in ligno crucis pependit, virtute. Quãtùm ergò animæ corporibus prȩstant, tantũ nauicula nostra arcã Noë superat: quantum verò est discrimen inter eos, qui propria, & qui aliena virtute operantur, tantum crux ipsi
1. etiam nauiculæ prȩeminet. Nam de cruce sa-
1 Tim: 2. 5. lus. In cruce enim pendet *mediator Dei & homi-*
2. *num homo Christus Iesus*, qui non solum omnia propria agit virtute, sed & Apostolis, & aliis
3. omnem tribuit virtutẽ; qui non tantùm terram morientium animarum dotat salute, ve-
4. rum etiam terram viuentium, cælum inquã ipsum, primũ quidem animabus beatis, postmodum verò etiam corporibus replet glorificatis. Et hoc est, quod arca Noë vagatur, nauicula hodierna ad prȩfixum tendit terminũ, quem crux assequitur & comprehendit. O secreta eximia, quæ humiles penetrant, superbi nec agnoscunt quidem.

5. Innsierã alia mysteria continet Deniq; qui erant in arca Noë, nec corporibus quidem repleuerunt terram donec ex arca egrederentur: similiter Apostoli licet animas non corpora ædificarunt, id tamen non in naui, sed inde egressi in terra fecerunt. At verò Christus Dominus in cruce manet, moritur, deponitur, & dum manet generat, non impios (quales pleriq; ex posteris Noë fuerũt) sed sanctos: deinde, dum moritur, omnes viuificat, qui veram vitam habent. Postremò post-

postquàm alienis manibus deponitur, ipse vi propria post triduũ à mortuis resurgit. Quis ad omnia hæc intelligenda idoneus? Quis ad cognoscenda vniuersa crucis mysteria aptus? Verè anagogicũ quid, verè abstrusum & altũ, verè omnibus retro sæculis inauditum incognitumq;. Nunquid non possumus hîc quoq; exclamare cum Apostolo: *O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Et quis quæso consuluisset Deo patri, vt vnigenitum suum innocentem, piissimum, sanctissimũ pro nequissimis, scelestissimis, impiissimis hominibus ad tanta, quanta ipse & antea & in cruce pertulit tormenta traderet? Quis percipit, quomòdo per tam vilia, abiecta, ignominiosa, tam eximia, ingentia nobilissima, facta fuerint opera? qualia sunt, gratia & gloria, quæ nobis in cruce, & per crucem Christus Dominus commeruit. O altitudo quæ abiecta eleuas! ô diuitiæ quę paupertatẽ honoratis! ô sapientia & scientia, quæ omnem sapientiam & scientiam mundanam pessumdas; paupertatem spiritus & simplicitatem amas; non rationem sed fidem rerequiris, per quam nos incomprehensibilia comprehendere viasq; inuestigabiles & inuenire, & sequi facis: quis pro tantis donis & beneficiis rependere tibi dignas gratiarum actiones poterit Christe Iesu? Nemo equidem dabit

Anagoge stupendum

Rõ. 11. 33.

bit pares, omnes autem conari debemus reddere, quam valemus maximas; captiuando intellectum, ac diuino iudicio nostrum humiliter submittendo, & in eius sanctissimo amore sanctè nos exercendo.

IIII. PVNC. Euangeliũ applicat crucifixo.

Quam ad rem plurimũ valet consideratio, quonam modo hæc acta fuerint, & quomodo historia hodierni Euangelij, huius rei typũ gesserit. Conueniunt enim in quibusdam, sed in pluribus discrepant, vt figura & figuratum solent. Reducamus hæc ad aliquot capita.

1. Ascensionem indeq;.

Primum sit, quod quemadmodũ hîc ascendit Iesus in nauiculam spontè & liberè, ita postmodùm ascendit in crucem volens & lubens.

Ioan: 10. 18

Duę conuenientiæ.

Nam vt ipse de se testatur: Habuit *potestatem ponendi animam*, id est, vitam suam, *& iterum sumendi eam*. Nihil igitur eo inuito factum est, etiam in cruce: ideò inquit: *Nemo tollit eam à me: sed ego pone eam à me ipso.* Itaq; conueniunt locus & animus, vterq; enim locus, quem ascendit ligneus est, & vtrobiq; libera voluntas.

Differentiæ vero maximæ.

At discrepant valdè in modo ascendendi. Nauim enim ascendit sine labore & dolore, crucem verò cum summis angustiis, & extremis doloribus, quorum sola recordatio sanguineum illi excussit sudorem. Quid resipsa? Hæc recogita o anima fidelis, propter te enim, hæc facta sunt omnia. Deinde sicut hîc, ita illic obdormiuit Iesus, in ligno, *in puppi, super ceruical:* sed dispari modo: Nam in naui somnus fuit naturalis, puppis consueta, ceruical nauticũ, & vt

Luc: 22. 44

2. Dormitionē quæ tres cõueniẽtias differẽtiasq; continet.

Mar: 4. 36

& vt quidam volunt ligneum, ideoq; durum. In cruce verò somnus erat ille, de quo ipse saluator ad Apostolos: *Lazarus amicus noster dormit*, quē explicans inquit: *Lazarus mortuus est.* Ioan 11.11
Puppis mystica: Sicut enim puppis nouissima est pars nauis, ita Christus dominus, in nouissima parte Ecclesiæ mortuus est. Illud enim tēpus vocat Petrus ex Ioéle dies nouissimos, Ioannes verò inquit *Filioli nouißima hora est.* Act: 2. 17. Ioel. 2.28. 1. Io: 2. 18.
Ceruical verò vtrobiq; ligneum & durum est, sed in cruce durissimum. Quantā enim duritiem, queuè tormenta fuisse putatis, quæ filio Dei, illam vocem extorserunt: *Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me?* Isthæc verò omnia Mat: 27. 46
propter nos, & propter nostrā salutem facta sunt; vt nos more parturientis cum dolore pareret; vt pro nobis Deo Patri satisfaceret, vt charitatem suam maximam nobis comendaret; vt nos ad redamandū incitaret. Negligemus ne id facere? Absit.

Præterea dormiente Domino in naui, procella exurgit, & motus magnus fit in mari, dormitāte verò & obdormiente eodem Domino nostro Iesu Christo in cruce, multò maiores fiunt motus, in cælo, in terra, in àére, in templo, in hominibus, in Angelis, Petræ enim scinduntur, sepulchra aperiuntur, àer obtenebratur, sol obscuratur, luna non dat lumen suum, velum templi scinditur à summo vsq; deorsum, Apostoli turbantur & fugiunt. Petrus negat & eiulat, *angeli* deniq; *pacis amarè flebant.* 3. Procellam quæ maior in cruce. Is: 33. 7.

Iona. 1. 6. *Mat: 12.40*

flebant. Quis ad hæc non obstupescat? Cui in mentem non venit figura Ionę, quam ipse saluator & explicat, & applicat sibi? Dormiunt Ionas & Christus in naui, & procella exurgit, omnesque periclitantur. Dormit Christus in cruce & turbantur omnia, cælestia, & terrena. Illic propter Ionam tempestas exorta est; hîc quoq; propter Christum: sed dispari ratione. Ionas enim proiicitur in mare; Christus verò Dominus hodie quidem sedat mare, in cruce verò moritur. Et tamen finis quasi idem. Excitato namq; Iona, & proiecto in mare, sedantur fluctus; excitato hodie Christo, cessat procella: obdormiēte verò in cruce Iesu, motus illi omnes cælestes, & terrestres compescuntur. Deinde proiectus Ionas in mare à balena viuus deglutitur, & conseruatur: obdormiente autem Christo in cruce, corpus quidem mortuū terræ mandatur, anima verò viua inferna penetrat, malos terret, bonos solatur, dæmones cruciat. Deniq; Ionas, dum viuus à ceto euomitur, Niniuem ciuitatē maximam & populosissimam per prędicationem suam, & pænitentiam illorum, ad Deum conuertit. Iesus Christus verò, ē mortuis resurgens, per prædicationem Apostolorū, totum mundum ad pænitentiam adducit, & æterno patri genus humanum reconciliat. Et videte horū etiā typū in Euangelio: quemadmodū enim Christus Dominus dormiēs in naui excitatur vocibus Apostolorum, & excitatus surgit,

Ad quā figura Ionæ applicatur variè.

surgit, Surgens increpat diffidentiā Apostolorum, & sedatis fluctibus mirari facit omnes ac prędicari factum istud in vniuerso mundo: Ita postquam sponte sua, *clamans voce magna, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, expirauit*, & in cruce obdormiuit, tertia die excitatus tum vocibus prophetarum, qui id futurum olim prædixerant; tum desiderio ac fide beatissimæ matris suæ, quæ illū expectabat, resurrexit, ac resurgens increpauit eosdē Apostolos, *& exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*; sedatisq; in illorum animis fluctibus infidelitatis, non solùm discipulos mirari fecit mirabilia, quæ fecit; sed etiam per prædicationem eorum, in stuporem vertit, & ad fidem conuertit mundum vniuersum, ex quorū numero per immensā eius misericordiam & bonitatem sumus, nos dilectissimi, prędinati ante mundi constitutionem.

Luc: 23. 46

4. Excitatio applicatur.

Mar: 16. 14

5. Increpatio

6 Sedatio fluctuum.

7 Admiratio

Quare vt grati simus, gratitudinisq; nostrę fructus referamus vberiores, ingentia hæc & innumera collata nobis beneficia, noctu atq; interdiu mēte deuota cōtemplabimur, aliaq; ad id requisita media adhibere enitemur. Quam ad rem præstandam per opportunè adsunt nobis Apostoli Domini, quorū actiones, passionesq; in hoc Euangelio notatas, si imitati fuerimus, desiderio equidem non frustrabimur nostro. Actionum autem istarum prima est, quòd ASCENDENTE IESV IN NAVICVLAM, postea verò etiam in crucem,

V. PVNCT. Gratitudinē & media ad ea docet.

1. Animus ad crucem pparandus

crucem, SECVTI SVNT EVM DISCIPVLI EIVS: Statim quidem in nauiculam; tardiùs autem in crucem: alii quidem in crucem materialem, (vt Petrus, Andreas, Philippus.) alii verò alias pœnas & mortes acerbas, pro Christo tolerando. Hic primus in intentione, & primus postremusq; in executione gradus esse debet, nempè nosse, nec nosse solùm, sed etiam paratum esse, sustinere omnia pro nomine Iesu, quæcunque ipse

2.Tim: 2.5. nos pati voluerit. *Nam non coronatur* inquit Apostolus, *nisi qui legitimè certauerit.* Dum autem certat quis, necessariò aliquid pati debet. Qui ergò pati non vult, certus sit, quòd nec vult coronari. Nulla enim alia via est perueniendi ad portum cælestis patriæ, nisi crux ipsa. Ad hanc igitur nos præparemus, hanc desideremus charissimi, vt primum hunc gratitudinis gradum conscendere valeamus. Ne-

2. Manus operi applicandæ. que verò satis est præparatio animi ad patiendum: debent enim manus etiam laxari ad agendum. Quod fecisse Apostolus testatur

Luc: 8.22 Lucas cùm asserit nauigasse illos, ac proinde laborasse in remigando. Idem nobis faciendum est; non otiandum, non pigritandum. Sed ad opus spirrtuale tum corporis, tum mentis manus sunt nobis exerendæ. In magno enim errore versantur ij, qui solis bonis desideriis ad perfectionem se peruenturos arbitrantur. Hos enim perstringit sapiens di-

Pro: 21.25 cens: *Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quicquã*

quicquam manus eius operari. Ne ergò propter ingratitudinem occidamur, laborandum eſt; ne retrò delabamur, nauigandum eſt. Sicut enim qui aduerſo eunt flumine, ſi à remigando ceſſauerint, naui vltro retrocedente, ad locum deſtinatum nunquam perueniunt: ita qui in vita ſpirituali laborare, progrediq; negligunt, ſpontè ad ima deferuntur; nec vnquam perueniunt, ad portum ſiue perfectionis, ſiue etiam ſalutis. Itaq; ſecundus tum gratitudinis, tum viæ ad perfectionem gradus eſt: bono deſiderio bonum opus adiungere. A ſimili.

Quod ſi dixerit aliquis, ſibi nec patiendi pro Chriſto, nec laborandi propter Chriſtū deeſſe exercitium, nihilominùs non ſentire ſe, illum quèm exoptaret in ſpiritu profectum, & nauiculæ animæ ſuæ in virtutibus progreſſum. Reſpondebimus optare nos, vt dictum hoc quod ad primam eius partem attinet, tam eſſet verum, quàm facile concipitur ac dicitur. Sed vereor ne secùs ſe res habeat. Sæpè enim amor noſtri inordinatus, ita obcæcat intellectum iudiciumq;, vt arbitremur nos & deſiderare, & operari multum, licèt nõnunquam nec ſciamus quidem quidnam requiratur, tum ad deſiderandum crucem Chriſti, tũ ad laborandum propter Chriſtum. Idcirco ſinus conſcientiarum noſtrarum diligenter ſunt nobis excutiendi; nec applaudendum, tum nobis, tum factis noſtris, quæ ſæpe in conſpectu Dei & Angelorũ eius nulla

5. Cauenda cõplacentia & notanda obiectio.

nulla sunt, licet nobis magna esse videantur.
4. Catena causarum ponderanda. Sed fac rem ita se habere, tunc consideranda erunt nobis duo, quæ in Euangelio typicè proponuntur. Vnum dormiuisse Christum Dominum: alterum procellam descendisse in stagnum, ac propterea, MOTVM MAGNVM FACTVM IN MARI. Hanc igitur catenam causarum ponderemus. Etenim dormitio Christi Domini nihil aliud est, quam permissio, vt exurgat tentationum procella. Per-
1. Tess: 3. 5. missionem arripit *is, qui tentat*, (sic enim Sathanam scriptura vocat) procellamq; excitat, qua concitata mare, id est mundus, & in illo nauiculo animæ nostræ, turbatur; hac verò conturbata, tantùm abest, vt putemus nos procedere, vt etiam retrocedere & in periculo submersionis nauis nos esse arbitremur.
5. Radix tẽtationũ inuestiganda. Quid ergò remedii? Primùm quidem (vt in præcedenti concione dictum est) inuestiganda est diligenter causa dormitionis Christi Iesu; num videlicet, somnus iste ex nobis prouenerit, an verò vltro à Christo susceptus fuerit. Nos enim vt plurimùm huius rei causa sumus, propter tepiditatem, remissionem, & somnolentiam nostram. Sicut enim *obdormiente ostiaria domus*, occissus est ipse quoq; dormiens Isboseth; ita ratione nostra dormitante, nobisq; negligenter agentibus, obdormit etiam Christus Dominus, & non rarò occiditur etiam suo modo, id est, profligatur, ne ampliùs sit in nobis. Hoc autem fit vt plurimùm
Figura. 2. Reg: 4. 8.

in puppi,

in puppi, quæ est posterior pars nauis, id est, quando feruor ille, quem in exordio conuersionis nostræ habuimus, successu temporis remittitur. Nam (vt S. Catharinæ Seneñ. similitudine vtar)sicut musca non appropinquat ollæ quando bullit, sed quãdo tepescit: ita Sathan quando frigide nos agere animaduertit, tunc maximè accedit, procellas excitat, tentat, vincitq; sæpius. Itaq; remedium est adhibendum: tum quod audis ex ore *testis fidelis* Christi Iesu in Apocalypsi dicentis: *Et prima opera fac*: tum quod vides in Apostolis, qui exurgente procella ista, non abiecisse remos credendi sunt; sed eos tantò validius vibrasse, quantò maius videbant instare periculum. Id enim fecisse illos in causa simili testatur D. Marcus cùm inquit: *Videns Iesus eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) venit ad eos ambulans supra mare*: Idem nobis eueniet, si labores nostros spirituales continuauerimus. Nam si omni tempore laborandum est, ne cum nauicula nostra eamus retro; quantò magis diligentiusq; est hoc faciendum, quando præter aduersum flumẽ, aduersus insuper ac contrarius tentationum exoritur ventus. Quare duo errores graues hic sunt nobis fugiendi; vnus illorum, qui putant otio se tentationes superare posse: alter multò etiam grauior eorum, qui mundanas tum temporis quærunt consolationes. Absit hoc ab animis omnium, præsertim religio-

Similitudo.

6. Duplex remedium adhibendũ. NOTA. *Apoc: 2.5.*

Fructus. *Mar: 6.48*

Similitudo

7. Duo errores valde fugiendi.

ligiosorum, qui apertum Sathanæ, & mundo bellum indixerunt.

§. NOTANdus Modus procedendi Christi & perfectiorũ.

Verùm dicet fortassis quispiam; se videre quidem laborem Apostolorum, non videre autem quidnam eo effecerint. Rectè sanè, neq; tamen à labore cessarunt; sed alia etiam adhibuerunt remedia; vt nos docerent, laborandum, & orandum esse. Labor enim est continuandus, ne tentare Deum arbitremur; oratio verò est adhibenda; ne fidere nostris viribus videamur. Notaturq; in hoc facto, alterũ illud dormitionis Christi Domini genus, quando videlicèt sua sponte dormit extrinsecùs, licèt vigilet intrinsecùs. Dormit autem super ceruical, quia suauiter exspectat suorum de Sathana victoriam: vigilat tamen etiam potenter; quia eos validè contra hostes corroborat. Ita dormiebat & vigilabat in Iob, qui & si afflictus esset valde; in despectum tamen Sathanæ, *testa saniem radebat, sedens in sterquilinio*, doloribus dolores, ignominiis ignominias addens. Sic dormiebat in Apostolis, quando eos flagellari permisit; vigilauit verò, quando gaudere eos inde fecit. pari ratione dormiebat S. Catherinæ Senési, quando maximas in illam tentationes immisit: Vigilabat autem, quando intus eam corroborabat. Id enim ipse fatetur, cùm sedatis tentationibus illi apparuit. Expleturq; tum temporis illud, quod de sponso dicitur in Canticis: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens*

Iob: 2. 8.

Act: 5. 40

Cant: 2. 9.

ciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Dicitur stare post parietem, quia non apparet, licet sit præsens: Respicit autem & prospicit, tum iuuando, tum victoriã expectãdo. Itaq; quod & hi, & omnes alii sancti, & ipsi Apostoli hodie remedium adhibuerunt, nobis quoq; adhibendum erit. Triplex omninò vel qua iruplex. Primùm, tribulatio & crux domini patienter est toleranda; non murmurandum, sed cum eodem Iob dicendum: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Quod tantò lubentiùs faciemus, quantò euidentiùs nobis constat; non in agendo tantùm; sed etiam in patiendo meritum & perfectionem Christianam consistere. Deinde Exemplo Apostolorum labor est cõtinuandus vt diximus; non abijcienda sed vibranda sunt arma; non dormitandum, aut securè agendum in tot periculis; sed timendũ, prout timuisse discipulos videmus: non quærendæ consolationes mundanæ (absit) sed eligendum propter Christum, vel cum Christo potiùs pati, quam contra, vel etiam præter illum consolari. Præterea adhibenda est oratio, quæ primas, medias, postremas, omnesq; partes in hoc negotio obtinere debet. Clamemus cum Apostolis: DOMINE SALVA NOS PERIMVS. Nisi enim ipse opem tulerit actum est de nobis; opem autem feret, quia & potest, Dominus enim omnipotens est, & vult saluare, quia Iesus, id est saluator,

9. Exercendæ aliæ virtutes, maximè. Patientia.

Iob: 2. 10.

Laboris cõtinuatio.

Oratio valida.

Et perseuerantia. uator, est, cum fiducia igitur est continuò exorandus, ne PEREAMVS. Deniq; perseuerantia nobis est necessaria, tum in agendo, tum in patiendo. Fit enim nonnunquam, vt etiamsi omnia ista adhibeamus, non solùm consolationes non sentiamus, sed etiam magis affligamur, & aridi permáneamus. Nam & hîc excitatus dominus, priùs increpat discipulos, afflictisq; addit afflictionem; ac tandem fluctus sedat, serenitatem inducit, in admirationem eos rapit.

VI. PVNCT. Charitas excellentiam demonstrat. Tũ Chri: D. Hæc verò omnia, & quæuis alia facit Christus Dominus, tum discipulis, tum nobis, cũ magna amoris sui erga omnes declaratione. (sine charitate eñ Deus charitas nihil facit.) Charitate nauim conscendit, vt præterita impleret, futura verò panderet nobis mysteria:
1. Charitate obdormit, vt humanam monstraret naturam: Charitate fluctus excitat, vt di-
2. scipulos ad sui agnitionem adducat: Charita-
3. te procellam sedat, vt diuinitatem agnoscant:
Charitate denique omnia hæc peragit, vt no-
4. bis ob oculos ponat, comẽndetq; crucis maiestatem: (cuius nauis hæc typum gessit) In crucem etenim quando ascẽdit Christus Dominus, in eaq;, obdormiuit somno mortis, impletum est multo excellentiùs, quàm in arca Nòé, illud quod ex sapiente in principio attulimus. Nam *cum aqua* non elẽmentaris, sed illa, de qua Dauid: *Saluum me fac Deus; quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam*, cùm, inquã,

Quæ multa cõplectitur.

Sap: 10 4.
Ps: 68. 2.

inquam, aqua peccatornm *deleret terram*, non terram quæ pedibus calcatur, sed quod terra tota est excellentius, animas videlicet hominum, *sanauit*, imò & saluauit per Saluatorem Iesum, *iterum* multò, quã antea per Arcã Nöé feliciùs, *Sapientia* æterni Patris, *per contemptibile lignum*, per crucem scilicet, lignis omnibus contemptibiliorem, ignominiosiorem, turpiorem, *Iustum* Iesum filium suum, *gubernans*. Et per illum omnia in cælo, & in terra saluans, ac reparans. Ascendens enim Christus Iesus in crucem, ibiq; obdormiens, & die tertia excitatus consurgens, omnes per charitatem sedat fluctus, maris, terræ, cæli. Etenim per charitatem Dei, Deus Deo satisfacit; dum per charitatem proximi, homo pendet in cruce pro hominibus; per charitatem Dei, honorem restituit Deo; per charitatem proximi *quæ non rapuit, tunc exsoluit* pro hominibus, vt Dauid prædixerat. Ad extremum per charitatẽ Dei ipse Deus Christus Iesus, *erat mundum reconcilians sibi*: per charitatem verò proximi erat idem in cruce, ex latere suo formãs sponsam sibi, vt impleret quod ipse prædixerat dicens: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad meipsum*. Trahit enim *Verbum caro factum*. Homo Deus, homines in crucem, vt eos per crucem, Diuininitatis suæ efficiat participes. O mysteria inaudita! o beneficia stupenda!

2Cor: 5.19

Psa: 68.5.

Io: 12. 32.

Quare, tu quoque si sapis, ô anima fidelis,

 trahi Tũ nostræ.

trahi te permitte in crucem, crucemq; amplectere, tum vt pro immensa Christi charitate, modicam tuam reddas charitatem, ipsi
1. Io: 4. 8. charitati Deo. *Deus enim charitas est*, teste D. Ioanne? tum vt per crucem peruenias ad portum salutis. Hæc enim, vt principio dixi, & duplex via, & vna via est ad cælum. Via, inquam, charitatis & crucis; via excellentissima (teste Apostolo) via admirabilis, teste experientia. Est enim via in inuio. Nam quod olim inter impossibilia sapiens nu-
Pro: 30. 19 merabat: *Viam nauis in medio mari*, nos ecce iam reperimus. Qui enim crucem in charitate portat, ducemq; sequitur, etiam in inuio non aberrabit vnquam. Est tamen charitas etiam via, quæ ducit nos ad aliam viam, nempè ad crucem. Nam, teste Apostolo, crux e-
1 Cor: 13. 3. tiamsi sit talis, vt *tradam corpus meum, ita vt ardeat; nihil mihi prodest*, sine charitate. Coniunge vtrumq;, & vna via erit (ad quam commendandam tota hæc concio nostra refertur) quæ sola ad portum salutis nos perducit. Non enim quælibet crux, sed crux charitate imbuta, id habet priuilegii. Charitas verò in eo etiam excellit, quòd crucem, rem aliâs ex se asperam, & duram, mollem & planam faciat: ita vt non modò libenter, sed etiam lætanter crux toleretur, ab iis qui charitate feruēt. Videmus hoc in Martyribus, non modò viris, vt D. Andrea, Laurentio, & aliis; sed etiam in Virginbus tenerrimis, vt in Agnetæ, & similibus,

bus, quæ ad tormenta properabant, tanquam ad epulas inuitatæ. Postremò charitas est, quæ in ipso etiam reperitur termino: imò in cælo perficietur maximè. Hanc igitur amplectamur dilectissimi, hanc assequi, retinere, augereq; in nobis studeamus charissimi: Per charitatem enim cum Christo in naui manebimus: grati beneficiorum erimus: fortes contra omnes tempestates efficiemur; per charitatem crucem libenter sustinebimus, tentationesq; ac tribulationes patiẽter tolerabimus: Increpationes etiam in tribulationibus alacriter feremus: ac tandem consolationem sedatis fluctibus recipiemus, & in hoc mundo, quãdo & quomodo Deo placuerit; & in illo, quando maximè implebitur quod hic audis, quando inquam dicemus, admirantes non ad tempus, sed in æternum: QVALIS EST HIC Christus Iesus, & ipsa beatissima Trinitas, Deus trinus & vnus, Cui laus, gloria, & gratiarum actio sit per infinita sęcula sęculorum. AMEN. Exhortatio

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matth 13.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit Zizania in medio tritici, & abiit. Cum autẽ creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & Zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet Zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit: Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? & ait: Non: ne fortè colligentes Zizania, eradicetis cum eis simul & triticum. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem, & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autẽ congregate in horreum meũ.

PARTITIO.

PArabola hæc ponit nobis ob oculos, primùm quidẽ Dei misericordis immensam bonitatem: deinde hominum supinam socordiam: tum diaboli callidam malitiam: Hinc quorundam hominum feruentem zelum, ac demum tum prouidentiam, tum iustitiam diuinam mirandam. Ex his consideratio iustitiæ diuinæ; maximè verò illorum verborum Christi Domini: *Colligite primùm Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum,* timorem nobis incutiet. fidem firmabit, ineptus Hæreticorum, septiformis verò Catholicorum ex verbis huius Euangelii triumphus; Spem eriget, diligens totius parabolæ expositio, & doctrinæ morales inde excerptæ: Deniq; bonitatis, misericordiæ, liberalitatis, ac prouidentiæ iugis consideratio, cùm in omnium, tum verò in religiosorum animis diuinam excitare poterit charitatem.

CONCIO

CONCIO PRIMA. Timor.

LEO IESVS RVGIT IN ZIZANIA REMEDIA

Colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.

SI Amos Propheta considerans pœnas, & mala, quæ Deus minitatus est decem tribubus Israel: & iis, qui siue à lege ipsius, siue à pietate recesserant, timore perculsus exclamat dicens: *Si erit malum in Ciuitate quod Dominus non fecerit?* & rursus: *Leo rugiet, quis non timebit?* quantò magis nos pauere trepidareq; debemus, cùm Leonem nostrum *de tribu Iuda* rugientem, non iam vt olim, temporanea, & momentanea; sed æterna, & nunquam intermoritura mala, pœnasq; maximas, non solũ minitantem, sed etiam decreto suo promulgantem, Angelisq; præcipientem: COLLIGITE PRIMVM ZIZANIA, ET ALLIGATE EA IN FASCICVLOS AD COMBVRENDVM, ex ore ipsius filii Dei audiuimus? auditaq; certò euentura credimus? Si postquam dixit Propheta; *Leo rugiet quis non timebit?* subiungit quasi interpretans: *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* contestans verbis grauissimis prophetandi & loquendi munus sibi incumbere; certè nec nobis tacendum est, quibus in Apostolis à Christo dicitur:

Amos 3. 6. Timoris illiusq; prædicandi causa

Apo: 5. 5.

 tur:

tur: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quod ergò quasi inuolucris quibusdam parabolarũ tectum, Christo Domino dictum est, en nos in lumine propalam ex suggesto prædicamus vobis, mala ingentia, pœnas crudeles, tormẽta horrenda, in æternum duratúra, quæ eos manent, qui rugitum hunc, aut audire contempſerunt, aut quæ is insectatur, facere præsumpserũt, timoreq́; sancto concuti noluerũt.

Propositio quinq; continet.

Ex quorum numero, ne nos, quod absit, reperiamur, primùm quidẽ inuestigabimus, quam varii sint tum leones, tum rugitus eorum in scriptura sacra. Deinde, quidnam Leo noster sanctissimus ac fortissimus Iesus Christus rugitu suo insectetur. Tum causas cur id faciat videbimus: sed & effectus rugitus ipsius considerabimus. Ad extremum verò remedia adhibebimus. Da Christe Iesu id nos ita perficere, vt pœnas, quas rugitus tuus minatur, effugere valeamus.

I. PVNCTũ Varij leones in scriptura & rugitus.

Sicut diuersi leones, ita varii illorum rugitus in scriptura sacra reperiuntur. Notum est nobis ipsum animal, quod rex animalium dicitur, animal inquam fortissimum, sagacissimum, crudelissimum; à quo quidem leone
1. ad res cæteras pro qualitate earum metaphoræ deriuantur. Ita Christus Leo dicendus est

Apoc: 5. 5.

2. meritò & ob maiestatis suæ amplitudinem; & ob virtutis inuictæ fortitudinem; qua non solùm leones, sed etiam res vniuersas vincit, com-

comminuit, & in nihilum si vult redigit. Sed & Diabolus à D. Petro leoni comparatur, cùm inquit: *Aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* vbi & rationem nominis expressam habemus, sagacitatem videlicèt & crudelitatem ipsius. Qua etiam de causa tyrannus leo nuncupatur. Est enim diaboli instrumentum perfectissimum: qui tamen dum metuitur, ipse quoq; timet. Non ita se habet iustus, de quo paulò ante dixerat idem sapiens. *Iustus autem quasi leo confidens, absq; terrore erit.* Quem enim timeret, quo cum Deus est, in quo totam spem collocarat suam? Eligamus dilectissimi in horum potiùs quàm in illorum leonum numero reperiri.

3. 1. Pet. 5. 8. Pro: 28. 15 4. Pro: 28. 1. 5.

Quod verò ad rugitus eorum attinet, inter Christi (de quo nobis sermo) & cæterorum leonum rugitus, hæ sunt differentiæ. Prima, quia ipse solus etiamsi rugiat, nullius tamen rei est indigus, cum nec vllius creaturæ bonorum egeat; alii verò leones omnes indigentiã suam, siue à natura, siue à malitia profectam rugitu suo produnt. Altera, quia alii desiderio, & fine, quem rugitu quærunt sæpè frustrantur suo: Christus nunquam, Hunc ergo time. Tertia, addi potest, quod alii leones res in rerum natura existentes, Deus verò Opt: Max. & Christus Iesus id, quod non existit rugitu insectatur suo.

Differentia inter rugitũ Christi & aliorum. 1. Psal: 15. 2. 2. 3.

Enimuerò, scire vultis, quo rugitus sanctissimi

II. PVNCTI

Christus rugitu ZIZANIA suo insectatur. ctissimi leonis nostri tendat, quidue persequatur? Illud equidem aliud non est, quam quod vno verbo in parabola hodierna expressum habetis. ZIZANIA. Zizania, inquã, sunt, quæ Deus insectatur. Zizania sunt, in quę omnem indignationem & furorem suum conuertit omnipotens; Zizania sunt, quę Christus Dominus per pænitentiam extincta esse cupit, quod si non fit, propter hominum obstinationem, flammis infernalibus illa tradet exurenda in perpetuas ęternitates. Hoc crede Christiane, & contremisce salubriter, ne in æternum dolere cogaris inaniter.

Quæritur quomodo Zizania sint nihil. Sed quæret fortè quispiam vestrum, quomodo ergò leo noster res non existentes, id est, nihil, insectari dicitur; cum non solùm Zizania, sed nec quod iis designatur, sit aliquid? Ipse etenim explicans quid Zizania sibi velint, Mat: 13. 39 ait *Zizania autem filii sunt nequam*, per Zizania NOTA igitur phrasi Hæbræa, homines nequam intelliguntur, qui vtiq; non nihil sed aliquid sunt in rerum natura. Bona sed profundior aliquantulùm est hæc interrogatio. Ideò diligentius excutienda, nec aliter quam ex dictis ipsius Christi Domini, qui quamuis in explicatione huius parabolæ, sicut per Zizania filios nequam, ita per bonum semen filios regni, id est, homines ad regnum cæleste destinatos intelligat: tamen in interpretatione parabolæ, quæ hanc præcesserat, sic apud Luc: 8. 11. Lucam loquitur: *Semen est verbum Dei.* Quid? contra-

contrariusnè est sibi Christus? an verò aliud ibi, aliud hic per semen bonum, malumuè intelligitur? Mihi quidem videtur pro eodē sumi, cum hac differentia: quòd ibi tam in parabola, quàm in eius interpretatione per semen causam accipiat: Et hoc ipsum facit in hodierna parabola: in expositione tamen huius effectum ponit. Quare si sensum vtriusq; parabolæ volumus penitiùs inuestigare, dicendum erit nobis, per semen bonum primum quidem verbum Dei, & doctrinam Euangelicam, deinde fidem, spem, charitatem, & alias virtutes, ac gratias, quæ inde in nobis oriuntur: postremò ipsos electos ad regnum cælorum, hæredesq; Dei, & cohæredes Christi intelligi. Pari ratione per ZIZANIA semenq; malum intelligit Dominus, primum, quidem verbum diaboli; infidelitatem, & alia vitia mentibus hominum occultè ac fraudulenter sugigerentis: deinde ipsa peccata vt hæreses, schismata, aliasq; perfidias, necnon homicidia, blasphemias, adulteria, fraudes, & reliqua vitiorum genera: postremò per Zizania accipiuntnr illi ipsi, qui in his omnibus sunt exercitati, quos ipse saluator filios nequam vocat, & qui AD COMBVRENDVM ardendumq; in æternum destinati sunt.

Quid per semē bonum hic intelligatur.

Quid per zizania.

Ex dictis igitur liquet & ad propositam difficultatem responsio, & sententiæ nostræ cōfirmatio. Quamuis enim & Deus Omnipotēs non aliud quàm peccata, quæ nihil sunt (vt D. Augu-

Quomodo Deus.

Propter nihil etiā suā creaturam

persequatur & puniat.

Augustinus sæpè & euidenter probat) persequatur: & rugitus Christi non sit, nisi contra ZIZANIA, per quæ eadem peccata & vitia denotantur: tamen quia hæc ipsa peccata cùm sint nihil, esse & consistere sola per se nullo modo possint; fit vt in quacunque creatura (hæc verò non potest esse nisi rationalis) illa inuenta fuerint, in ea, vel potiùs creatura propter illa punienda sit ni æternum. Ideoq; benignissimus Leo noster Christus Iesus, & in hac parabola, & alibi frequenter rugit contra peccata, ignes illis minitando, vt tu salubri pænitudine ea expies, ne vltricibus illius manibus puniaris.

Sicut Zizania ita peccata duplicia sunt.

Cæterùm sicut ZIZINIA; ita peccata duplicia sunt. Sicut enim per ZIZANIA aliqui intelligunt omne genus herbæ inutilis, quæ agrum boni patrisfamilias inficit atq; corrumpit: alij verò pressius loquendo per zizania lolium accipiunt, quod dum tritici similitudinem mentitur, & cognoscitur difficilius, & bonam sementem lædit acrius: ita vniuersim loquendo duplicia sunt vitia: alia quæ sunt propalam omnibus, vt sunt furta, homicidia, adulteria, fornicationes, rapinæ, latrocinia, blasphemiæ, maledicentiæ, & his similia, quæ & decem præceptis vetãtur à Deo, & ad septé capita reducũtur à doctoribus: alia verò peccata sunt occulta, & hypocrisi tecta; quibus maximè Pharisæi laborabant, ideòq; à Christo Domino sæpius hypocritæ vocantur, vt cum inquit;

Alia publica.

Alia hypocrysi tecta.

inquit; *Quid me tentatis hypocritæ?* & aliâs non raro. Talesq; imprimis parabola hæc tangit atq; perstringit. Ideò enim occultè dicuntur seminari; ideò multùm latent, ideò tardè à seruis cognoscuntur, ideò eradicari prohibẽtur, ne pro iis bonum semen auferas. *Mat.22.18*

Euenit enim non nunquã aliud quid extremũ, nempe vt dum pij ab impiis magnis clamoribus & contentionibus, vocantur hypocritæ, in eam opinionẽ inducantur etiam magistratus, vt credant tales illos esse, & innocentes puniãt. Accidit id ipsi Dauidi, qui dũ aurem fidemque adhibet mendaci *Sibæ*, punit innocentẽ *Miphiboseth*; quam ob causam etiã ipsum Dauidem à Deo esse punitum volunt patres. Cautè proinde hac in re magistratui procedendũ est, imò omnibus Christianis diligens opera danda, vt proximos suos facile & acriter, seipsos verò tardè & molliter de hypocrisi iudicent. Vtrumq; enim ex amore sui inordinato prouenit: vtrumq; abominabile est apud Deum: vtrumq; insectatur rugitus leonis nostri. Illud, cum inquit: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: hoc verò in parabola hodierna, & aliâ frequenter. Sunt tamen in quibusdam hæc vitia tam manifesta, vt negari non queant.

Cur zizania euelli prohibentur.

Exemplum Dauid.

2. Reg 26. & 19. Cap.

Amoris proprij duplex effectus, &

Vtrũq; Christus insectatur.

Matt:7. 1.

Enumeremus aliquot istorum ZIZANIORVM aceruos, & simul grauitatem huius sceleris (vel scelerum potius: Hypocrisis enim vt hîc sumitur, nunquã est sola) spectandam propo-

ZIZANIorũ rectorũ Hypocrisi acerui quatuor. PRIMVS. Hæreticorũ

proponamus omnibus. Sit itaq; primus aceruus Hæreticorum, quos secundum omnium sanctorum patrum expositionem, hæc parabola tangit maximè: quosque ipse Christus Dominus alibi comparat lupis ouina pelle contectis. *Per dulces enim sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium* vt ait Apostolus, Christi parabolas interpretando, & vnum ex multis modis, quibus id faciunt declarando. Verùm Hæreticos ad aliam concionem reiiciamus.

Mat: 7. 15
Ro: 16. 18.

SECVNDVS Pseudo politicũ

Alter igitur aceruus horum ZIZANIORVM sit Pseudopoliticorum, qui ipsos etiam Hæreticos hoc vitij genere superare videntur. Hæretici enim exercere se illud negant, quinimò acriter contendunt, se sincere omnia agere, se purum putum verbum Dei adferre, se hypocrisim odio habere: quam Machiauellistæ ita amplectuntur, vt etiam doceant. Quanta impudentia, ne dicam barbaries, ipsis etiã Scythis detestanda? Et tamen (pro pudor dolorque) reperiuntur inter Christianos, vosq; Catholicos, qui talibus aurem, fidem, operamq; adhibent suã. Sed ne calumniis (quod absit) agere videamur, ducis eorum verba in mediũ proferamus. Machiauellus igitur inter alia, quæ in Principe suo, principi impia dat documenta; instruit illum [belluinum ingenium scire induere, & tum vulpis, tum leonis mores assumere, plurimumq; referre ait, vt hanc naturam norit quis rectè colore vestire, cum simulando,

Qui etiam profitentur simulationẽ

Machiauellus in principe cap:18

mulando, tum dissimulando] Ac tandem cum multa in hanc sententiam locutus fuisset, concludit: principi etiamsi vitiosus, Deoq; infidus sit, simulandas tamen esse cùm alias virtutes, tum verò religionem ipsam. O doctrina ipsis etiã Idololatris Philosophis execranda. O simulatio, non solùm Deo abominabilis, sed etiã toti planè naturæ humanæ contraria. Quis enim ita secum agi velit, vt impius iste & cum proximo, & cum ipso Deo agendũ esse censet? Cui illorum placeret, vt quis dextra mentem ipsius tanquam osculaturus teneret, & sinistra sicca eum transuerberaret; vt fecit Ioab Amasæ? & Machiauellus principi faciendũ suadet? Hinc laudat Cæsarem Borgiam, Valentinum dictum, quem talibus artibus instructum sæpe narrat. Scriptura autem nunquid non apertè inquit: *Abominatio Domini est omnis illusor?* Et alibi. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.* Confer dicta hæc Spiritus sancti, cum verbis Machiauelli impostoris, & facilè intelliges, quo Spiritu afflatus ista, hisq; similia scripserit: &, si Christianus es, imò si rationis compos, fuge transfugæ huius disciplinam hanc recentem, quæ fatuos & sceleratos reddit, quorũ in animos semel irrepserit.

Contra naturam.

2 Reg. 20. 9. Exemplum vel simile.

In principe Cap: 7.

Contra scripturam.

Pro: 3. 32.

Pro: 7. 17.

Audent tamen Pseudopolitici imposturã hanc suam ita Dei & rationis vestire insignijs: vt asserant doctrinam istam rationi quidem ita esse consentaneam, vt illud eorum axioma

Argumenta Pseudopoliticorum.

1. A prouerbio. ma [Nescit regnare qui nescit dissimulare] prouerbio locum apud omnes dederit tanquam ex ipsis naturæ fluens principiis: Deus
Ios: 8. 2. 2. Ab exemplo Dei. autem, inquiunt, nunquid non stratagemata ipse docuit, & insidias ponere iussit? quæ vtique sine dissimulatione fieri nequeunt. Ipse
2 Cor: 12. 16. 3. Exemplo D. Pau: deniq; Apostolus, testatur, se & astutũ fuisse, & Corinthios dolo cepisse. Quid faciemus hominibus istis, qui Deum diuinis oppugnãt
Impietas eorum. armis, non vno, sed duobus modis? Etenim arma diuina sunt cùm scriptura sacra, qua abutuntur, tum religio ipsius sanctissima: quam dum isti, corde & animo negligere ac contemnere; ore verò & externa specie simulare suadent, quid agunt aliud, quàm quòd arma Dei contra Deum, vibrant? Neq; verò impunè id fecerint; dabunt enim pænas maximas, ni resipiscant: tum iustitiæ contemptæ: tum pietatis simulatæ. Verùm ne in argutiis suis sibi nimiùm applaudant, norint velim, non in verbis, sed in animo, & factis optimis veritatem, pietatemque Christianam consistere.

Fundamẽtũ responsi. De dissimulationis verbo, *pugnas verborum*
1 Tim: 6. 4. detrectamus, tum quod vetet id Apostolus:
Dissimulatio duplex. tum quòd sciamus vt in communi loquendi modo, ita in ipsa scriptura vocem dissimulationis & in bonam, & in malam partem sumi, de re ipsa agimus. Si enim dissimulatio re-
Bona, & cto animo, bona intentione & saluis tum iustitiæ tum veræ religionis sanctis legibus fiat, non

non in vitiis, sed in virtutibus numerabitur. Prudentiæ enim dabit nobis specimen. At verò, si in dissimulatione animus est peruersus, finis sola dominandi libido, vel quid simile, media, fidei neglectus, iustitiæ contemptus, religionis & aliarum virtutum externa species, pestis erit, vitium erit, pessima ZIZANIA erunt, quæ rugitus leonis nostri sanctissimi, de tribu Iuda maximè insectatur. Talē verò simulandi modum Machiauellus præscribit, polyticæ suæ doctrinæ impiæ sectatoribus. Belluinum ingenium induere iubet, & iam per tyrannidem leonem agere, iam fraudem moliendo & aliud corde aliud ore versando vulpem repræsentare atque adeò siue per fas, siue per nefas omnia ad se trahere, fidem nō solùm hosti sed etiam amico ciuiq; datam violare, proprij commodi causa: ne homines lædas, Deum offendere: nosse quoq; sacra profanis miscere: imò postponere iustitiam,, religionem, aliasq; virtutes [rectè colore vestire, cùm simulando tum dissimulando] animo autem iniustum impiumq; esse. Hæc suadent, docent, præcipiunt Machiauellistæ, & sexcenta generis eiusdem, quorum quædam antea recensuimus, alia ad aliud tempus seruanda erunt: ne nunc æquo prolixiores simus: præsertim cùm ad eorum argumenta sit nobis respondendum, quod verbis ipsius scripturæ sacræ faciemus.

Mala.

Malam docēt pseudopolitici.

Itaq; in ipsa scriptura inueniemus vtrumq; hoc

Exempla scripturæ.

Optima dissimulatio Dei. hoc dissimulationis genus. Optima est illa dissimulatio, optimi Maximiq; Dei, de qua
Sap: 11. 24. sapiens: *Misereris omnium, quia omnia potes, & *
Est: 5. 10. *dißimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*
Pessima Amani Pessima verò fuit dissimulatio Aman hostis Iudæorum, de quo dicitur: *Et dißimulata ira reuersus est in domum suam.* Vbi patibulũ quinquaginta cubitorum ad suspendendum in eo
Imitatores pseudopolitici. Mardochęum parari iussit, non alium quam pseudopolyticorum finem in animo præfixũ habens, nempè dominandi, & sese vlciscendi libidinem. Verum sicut Amani consilium in caput eius recidit; ita plerumq; idem euenit talibus. Amani non absimilis est illius dissi-
Mala sepe iurãtium. mulatiò quem describit sapiens cùm inquit:
Vir multum iurans, implebitur iniquitate &c. & si
Eccl: 23. 12 *dißimulauerit delinquit dupliciter, primò fallaciter dißimulando; secundò mendaciter iurando.* Bona verò dissimulatio fuit illa Iobi dicentis. *Non-*
Iob: 3. 26. *ne dißimulaui? nonnè silui? nonnè quieui?* Patiens
Bona Iobi. Et Saulis. enim erat Iob & quietus, multa dissimulans, ne rixas excitaret. Sed & illa Saulis, de qua scribitur: *ille autem dißimulauit se audire murmurationes* videlicet filiorum Belial, se contemnentium, si bono fine & modo fiat, vituperanda non est.

Solutio argumentorũ. Ex his igitur cùm omnes Christiani, tum verò principes eligãt quod imitentur. Ideòq; quantum patitur æquitas & religio, sciant dis-
Primi. simulare vt sciant regnare: secùs enim si fecerint dissimulando, non scient regnare, sed scient

ent tyrannidem exercere. Pari ratione vtentur ſi volent ſtratagematibus & inſidiis, in bello iuſto. Nam ſi iniuſtum gerent bellum in ſtratagemate delinquent dupliciter, vt ſimili in caſu ſapiens docuit [Cum autem quis, iuſtum bellum ſuſceperit, vtrum aperta pugna, vtrum inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt] inquit D. Auguſt. Et benè quidem: Nam cùm iuſtè inſidiæ fiunt, non mendacium aſtruitur, ſed veritas conſiliaq́; occultantur: quod ſi vnquam, maximè in re militari licitum eſt: dummodò nihil contra fidem datam hoſti fiat: vel tempus anteuertendo, vel locum mutando, vel alia contra pacta vtrinq́; inita patrando. Id enim ſi exercebitur, non ſtratagema Chriſtianum, ſed impietas Machiauellica, ipſis etiam philoſophis inuiſa cõmittetur. Quod verò ad D. Paulum attinet, hunc ſuo modo, id eſt, non ſyncerè citant. Verba enim illa, non ſunt Pauli, ſed obiectio eſt aduerſariorum eius, & pſeudoapoſtolorum, qui malitioſè affirmabant Paulum doloſë agere, & aſtutè ipſum per ſe ſtipendium à Corinthiis non exigere, vt illud per diſcipulos copioſius reciperet. Hanc calumniam, ipſa Corinthiorum conſcientia teſte, & à ſe, & à ſuis repellit Apoſtolus, aſſerens neq; ſe, neq; Titum, neq; quenquam à ſe miſſum circumueniſſe Corinthios. Vnde tantum abeſt Paulum dolum & aſtutiam ſibi adſcribere, vt eam plurimum deteſtetur, tum hic, tum alibi; im-

Secundi. (Stratagema qũo licitũ.)

Eccl: 23.12
Aug: q̃ſtione 10. in Ioſua tom: 4.

Tertij. (D. Paulus dolo sè nõ egit.)
2Cor:12.16

1 Thess. 2. 3 bi: imprimis verò scribens ad Thessalonicenses, Sed de hac classe pessimorum ZIZANIORVM satis.

TERTIVS hypocrisis aceru' eorum q vitia virtutes, has vitia vocāt.

Tertius ZIZANIORVM aceruus præter dictos (qui hic etiam locum habent) est quorundam Catholicorum, qui siue virtutes vitiorum, siue vitia virtutum insigniunt nominibus, pestilens valdè lolii & ZIZANIORVM genus: tantoq; pestilentius quantò est & tectum magis, & frequens nimis. Quod enim vitium virtutemuè hoc malum nō penetrauit? Occasionem dant ZIZANIIS istis, cùm vitia, quæ virtutes quasdam imitantur: tum verò mores & vita hominum deprauata. Cùm enim virtutes, præsertim morales, mediæ inter duo extrema vitia consistant; euenit, vt is, qui vno extremo laborat, & virtuosum in altero reponat extremo, & nomē virtutis ipse sibi applicare non vereatur. Inde fit, vt prodigali liberalis auarus esse videatur, contrà verò idem liberalis, pro prodigo ab auaro habeatur: vterq; tamen liberalis nomen falsò sibi adsciscit: licèt vterq; ignoret medium in quo vera consistat liberalitas. Et idem sit de aliis generis eiusdem vitiis, virtutibusq; iudicium. Quod si ita vitiosus quis inuenitur, vt virtutis contrariæ nomen non audeat sibi assignare; propinquioris, & secundum deprauatum iudicium suum cognatæ virtutis nomen falsò sibi adscribit.

Origo huius mali.

NOTA.

Exēpla primi generis multa.

Hac ratione sine ratione superbia morum graui-

grauitas, siue authoritas nuncupatur. Inflati enim homines si arguantur, grauitatem & auctoritatem se conseruare aiunt: Auaritia verò tum frugalitatis, tum boni ac diligentis œconomi ornat se titulo. Vsura item quæ honesta nomina non sibi vsurpat? In nostra lingua habet certè non pauca. Quid dicam de luxuria? quæ nisi aperta sit nimis, comitas, iucunditas, & affabilitas vocitatur. Pari modo ira ac odium, Zelus bonus, quem etiam sancti habuêre: vindicta propria, amor iustitiæ: gula, sanitatis conseruatio; ebrietas, hospitalitas appellatur. Quid de luxu referam? qui si in epulis est, panis elargitio à nostris nuncupatur. O si panem tuum frangeres & alia, quæ pro epulis parasti dares non diuitibus, non parasitis, non helluonibus, sed vt te Deus monet per Prophetam, *esurientibus*, *egenis uagis*, & pauperibus, in quibus se esse Christus asserit, quam bene tecum ageretur? Verùm quia secùs fit, recorderis velim epulonis illius Euangelici, qui licèt panem non comederet solus (*epulabatur* enim *quotidie splendidè*. Splendor autē non fit sine conuiuis) ideoq; phrasi vestra panisdator dici debuit, nihilominùs in inferno sepultus esse narratur. Caue igitur, ne idem tibi, quod illi eueniat. Si verò luxus est in sumptuosis vestibus & aulæis, honestas: si in prodigis largitionibus & ineptis profusionibus fiat, liberalitas dicitur. Cæterùm tantùm hic à liberalitate,

Luxus triplex.
NOTA.
1. In epulis.
Esa. 58. 2.
Luc. 16. 22
2. In vestib⁹.
3. In largitionibus.

quantum ille ab honeſtate abeſt: vtrumq; em-
Linguæ vitia. modum requirit, qui ambobus deeſt. Quid vitia linguæ recenſeam? mendacia, ſcurrilitates, detractiones, ſuſurrationes, turpiloquia, adulationes, deriſiones, gloriationes etiam de peccatis, & multa eiuſmodi? quæ omnia tum ſalis iociq; honeſti nomine veſtiuntur: tum neceſſitate excuſantur? Cùm tamen nec neceſſitas ſit vlla in mundo, quæ nos ad violandam Dei, & proximi charitatem cogere poſſit: nec honeſtum dicendum ſit quod rugitus leonis noſtri inſectatur. Nam *ſuſurrones, detractores, Deo odibiles* eſſe aſſerit Paulus; Sapiens autem clamat: *Parata ſunt deriſoribus iudicia.* Et infinita talia paſſim in ſcriptura occurrunt.

Rom. 1. 30

Pro: 19. 29

Exẽpla ſecũdi generis. Ex eodẽ peſſimo ZIZANIORVM cumulo prouenit, vt virtutes pro vitiis habeantur. Cùm enim quis in cæno flagitij alicuius immerſum ſe eſſe videt; ita contrariam ſibi odit virtutem; vt illos, qui ea præditi ſunt, famoſis non ceſſet proſcindere nominibus. Ita licentioſi (quorum magnus eſt numerus) amatores iuſtitiæ, pro oppreſſoribus libertatis, & tyrannis habent. Intemperantes temperantẽ miſerum & parçum nominant. Superbi, humilem abiecto eſſe animo aiunt. Auarus liberalem, prodigũ vocat. Prodigus verò frugalẽ, auaritiæ inſimulat. Iracundi & vindictæ cupidi, patientem, pro ignauo, imbelli, timido æſtimant. Acedioſi deniq;, & mundo carniq;

diti pietatis ſtudioſos, alij pro hypocritis & ſimulatoribus, alij pro ſtultis, & mente captis reputant: Ipſamq́; deuotionem purā eſſe melancholiam garriunt. Quibus omnibus quid dicam aptius quam quod Deus per Prophetā talibus improperat? *Væ qui dicitis malum bonū, & bonū malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.* Et vt ſcias qui nam ſint tales ſubiungit: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. & coram vobiſmetipſis prudentes.* Hic eſt enim fons totius mali iſtius, hæc origo. A ſimplicibus enim tales palliationes ſiue virtutum, ſiue vitiorum non procedunt: ſed ab iis, qui prudentuli ſibi eſſe videntur.

Dei cōminatio erga tales.

Iſ. 5. 20.

Poſtremus ZIZANIORVM & lolij aceruus cōprehendit illos, qui excuſationes quærunt in peccatis. Malum & frequentiſſimū & vetuſtiſſimum, quippe quod in ipſo paradiſo ortum habuit. Et tam varium vt ſpecies eius numerari nequeant. Diſſeruimus hac de re aliquando: ideò ea nunc tantum notabimus, quæ hodiernum Euangelium nobis porrigit. Quorum caput eſt, quod dum iſti audiunt ZIZANIA à diabolo ſeminari, ſtatim totam peccatorum ſuorum culpam in Dæmonem conijciunt, immemores quam parum talis excuſatio primę illorum parenti profuerit, imo quam obfuerint plurimùm. Idem profectò tibi eueniet. Quare? quia malos in malo imitaris: quia licet audias toties magna voce

QVARTVS aceruus excuſatores continet.

Gen. 3. 12.

Qui culpam in dæmonē conyciunt.

1. Quorum maior ē cōdemnatio.

2. Octo modis.

Ma.24.42. Christum Dominũ inclamantes *Vigilate, vigi-*
Mar.13.37. *late, quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*, tu ta-
men in vtramq; aurem dormis securè. Nun-
quid non vides hanc ipsam causam omnium
(Nemo seducitur nisi dormiens.) tentationum in parabola assignari? CVM AV-
TEM DORMIRENT HOMINES VENIT
INIMICVS ait Dominus. Neminẽ enim Sa-
than ad peccatũ inducit, nisi prius illum dor-
mire faciat. Tua igitur culpa est, quia dormis
3. iussus vigilare. Quia quamprimum potuisti, id
est, quamprimũ ad vsum rationis peruenisti,
semen diaboli suscepisti. O quot sunt tales?
4. Item, quia etiam nunc agrum tuum, te ipsum
videlicet, per otium, per occasiones peccato-
rum, per carnis desideria, ad recipienda Ziza-
5. nia disponit quotidie: quia non inspirationi-
bus diuinis, sed suggestionibus mali Dæmo-
6. nis aurem adhibes tuam: quia insuper tu ipse
in te seminas semen malum, peccatis peccata
addendo, & per consuetudines pessimas, ha-
7. bitum in iis contrahendo: quia (quod supre-
mæ impietatis genus est) hostem tuæ animæ
iuratum aduiuas in seminando in aliorum a-
S. Catherina Senen. nimis semine pessimo. O homines execrandi,
quos quædã Sancta diabolos incarnatos vo-
cat. Tales sunt de quibus apud vos vertitur in
prouerbium. Quo diabolus penetrare non
valet, malum subornat hominẽ: quia deniq;
8. dæmonem ipsum inuocas. Quot enim sunt
incantatores & incantatrices, quæ id apertè
faciunt? Quot qui eos consulunt! qui omnes
simili

ſimili culpa tenentur? quot qui toties in die illius mentioné faciunt? quoties ſi Ieſum inclamarent, facile ſancti eſſent? Infiniti planè ſunt tales, prçſertim in plebe. Arguendi igitur & coercendi ſunt.

Neq; audiendæ ſunt aliæ eorum excuſationes; vt cùm dicunt, ſe non ſolum non inuocare, ſed etiam maledicere diabolo, qui eos ad peccandum induxit. Iſtis enim iam pridem reſpondit ſapiens grauiſſimis ſanè verbis inquiens: *Dum maledicit impius diabolū, maledicit ipſe animam ſuam*: tum quod in diabolo abominetur & damnet quod ipſe patrat: tū quòd illius ſe ſubdat ſeruituti, quē maledicit. *A quo enim quis ſuperatus eſt: huius & ſeruus eſt*, inquit D. Petrus. Tu verò ſciens & volens, diaboli te ſubdis poteſtati, qui tanquam canis in catena poſitus, allatrare tibi poteſt, tentando: lædere autem non poteſt, niſi volentem, & vltro ei conſentientem. Tibi ergò imputa peccata accuſando: ne duplicis pœnæ reus ſis ea excuſando.

Qui maledicūt Diabolo

Ecc.21.30

Hi ſ. maledicūt animę ſuæ.

NOTA.

2.Pet.2.19

Talis quoque excuſatio eſſe poteſt, ſi quis propterea peccata ſua corrigere negligeret, quòd Chriſtus dicat in Euangelio: *Sinite vtraquè* (ideoq; etiā Zizania) *creſcere vſq; ad meſſem.* Excuſatio enim iſta & impia, & inepta eſt. Impia; quia ſcripturæ contraria. Inepta: quia parabola hæc, non de priuatis perſonis intelligitur, ſed vniuerſim quid ſit futurum in Eccleſia Chriſti prædicitur, (de quo in ſequenti conci-

Qui hoc Euangelio abutuntur.

concione agemus copiosius) Tu verò iuberis ex agro tuo, id est ex anima tua colligere Zizania. Ad aures enim tuas clamãt Petrus & Paulus Apostoli; vt *deponas omnẽ malitiam, & omnẽ dolum & simulationes* (O quàm benè vtrumque Zizaniis quadrat) *& inuidias, & omnes detractiones*, aliaq; peccata ac vitia *omnia iram indignationem, blasphemiam, turpem sermonem*. Quid? Nonne ipse Saluator in parabola ideò permittit crescere Zizania, ne eradicetur simul cum eis & tricitum? quæ conditio cùm in te locũ non habeat, tantum abest prohibere tibi eradicationem Zizaniorum, vt etiam præcipiatur. Nisi enim id feceris Zizania suffocabunt bonum semen (teste Christo sub alia parabola) quod conseruare teneris in te. O si tantã adhiberemus diligentiam in eradicãdis vitiis, quantã adhibemus, in iis implantandis, quàm citò non solum boni, sed etiam perfecti Christiani essemus?

1. Pet. 2. 1
Colos: 3. 8
NOTA.
Mat. 13. 7.

III. PVNCTVM. Causas rugit⁹ Christi inuestigat. Quarũ prima & secũda seruit hypocrisi

Hæc igitur hisq; similia sunt ZIZANIORVM genera, contra quæ valdè rugit leo noster de Tribu Iuda: peccata inquam, hypocrisi & simulatione contecta. Et meritò sanè id facit. Sunt enĩ & duplicata, & difficulter curabilia, sicut illud quidem ex sapiente, hoc verò ex Propheta vidimus: quod & res ac experientia ipsa loquuntur: Vnde etiã grauitas eorũ colligitur. Sed & alia omnia peccata, & ZIZANIA odio habet Deus, & rugitu insectatur suo Christus IESVS. Imò non solùm ipsa peccata, sed

Eccl. 23. 12
Is: 5. 20.
Reliq̃ omnibus peccantibus.

ſed etiam (vt diximus) creaturam, in qua inuenta fuerint. Id enim aſſerit Spiritus Sanctus *Sap: 14. 9*
per ſapientem cùm inquit. *Similiter autem odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Et de Christo *Heb: 1. 9.*
(teſte D. Paulo) concinit Dauid: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem.* In cauſa autē ſunt. *Pſ. 44. 8.*
3. Primùm quidē, quia peccatum non fecit Deus. *Nihil enim odiſti eorum quæ feciſti*, dicit ſapiens Deo. *Sap. 11. 25*
4. Secundo, quia inimicus ipſius hoc fecit, vt ex ore Christi Domini audis in parabola hodierna, & eius interpretatione. Quis autem ferat, quod inimicus in deſpectū ipſius fecit? 5. Tertiò, quia peccatum, cùm ſit malū & nihil, maximè repugnat naturæ diuinæ, quæ & optima eſt, & eſt id quod eſt. Hoc enim tribuit ſibi nomen Deus ad Moyſen loquēs: *Ego ſum qui ſum.* Meritò igitur id quod eſt, & *Ex: 3. 14.*
ipſa bonitas eſt, perſequitur quod non eſt, & malum eſt. 6. Quartò: quia cùm peccatum corruptio ſit naturæ, quam Deus condidit; iure optimo odio & vindicta proſequitur id Deus, quod opus eius deſtruit, propterea corruptionis in malum frequens eſt apud Apoſtolos mentio. *2. Pet: 2. 16* *Rom. 8. 21*
7. Quintò deniq;, quia cùm Deo nihil ſit ordine charius & antiquius, meritò id conſectatur & punit, quod ordinem è rebus tollit. Hoc verò nihil aliud eſt, quàm ipſū peccatum.

IV. PVNCTVM. Effectus rugitus Christi habet, q du-

Imò verò (dicet quiſpiam) Deus inordinationem fouere videtur, cùm Angelos hominesq; nequam, inferni addicat ſuppliciis, vbi *nullus*

plex est in vniuersum. *Iob 10.22.*

Nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Subtilior hęc obiectio prębet nobis occasionē cōsiderandi quod quarto loco explicandū suscepimus: nēpè quinā sint effectus rugitus Christi. Hi verò, vniuersim loquendo, duo sunt. Alter quē præcipuè vult & intendit, vt qui in peccatis sunt audiendo rugitus, minas, ac terrores eius certò euenturos, conuertantur, & viuant in æternum. Alter, vt si id facere recusauerint, æternùm itidem puniātur. Hoc verò non est inordinationem promouere, sed est, ea, quæ facta sunt inordinata per culpam, in ordinem rèdigere per pœnam. Sola enim pæna, quam peccans iustè meruit, potest culpam in ordine ponere. Id verò fit in inferno, vbi etiamsi nullus sit ordo, sed sit sempiternus horror, respectu illorum, qui ibi puniuntur; nihilominùs & infernus ipse ad ordinem vniuersi pertinet (vt carceres spectant ad prætorium) & in inferno ordo est quem constituit Dominus, vt qua quis pæna dignus est, ea puniatur. Verùm ista ex themate, quod proposuimus lucidiora erunt. Singula enim penè verba illius, mira iustitiæ & sapientiæ diuinæ argumenta nobis ob oculos ponunt. Iustitiæ quidem, qua castigat noxios; sapientiæ verò, qua inordinata in in ordinem redigit. Ponderemus itaq; illa.

Primarius conuersio peccatorū.

Secūdarius punitio eorum.

NOTA.

Infernus ad ordinem dupliciter pertinet.

In quo varie vigent iustitia & sapientia diuina.

1. In collectione.

COLLIGITE Inquit Christus Dominus, Estq; sermo ad Angelos, vt ipse interpretatur dicens: *Meßis consummatio sæculi est. Meßores autem*

autem *Angeli sunt.* Quid verò aliud iubet colligere, quàm quod dissipatum, dispersum, & inordinatum fuit? Notum est ex Apostolis de hæresibus, *sectas* illas vocari, qui non solùm Ecclesiam: sed etiam seipsos in minutas dissecant partes, ideoq; D. Paulus dissectiones sectis adiungit. Idem verò de quouis alio peccato intellige. Nihil enim ordinati est est in homicidiis, adulteriis, fornicationibus, furtis, rapinis, & om̃ibus aliis delictis. Christus itaque Dominus præcipit Angelis peccata, & peccatores colligere: tum summa æquitate sua, vt dissipata in ordinem redigantur, ne diffluant: tum sum̃a sapientia sua, vt nociua non noceant ampliùs bonis. Ideò subiungit:

Mat. 13. 39
2. Pet. 2. 1
Gal. 5. 20

PRIMVM. Id est, antequam triticum in horreũ recondatur, boniq; in cælo collocentur. Sed hoc PRIMVM, inquis tardum est. Nam demùm post consum̃ationem fiet mundi: Cur non antea potiùs dum hîc sumus colliguntur impij, ne noceant piis? Profunda equidem quæstio: & impiis quidẽ petra scandali (vt & Christus ipse) piis verò materia cõtemplandi, & admirandi quam dixi diuinam sapientiam & occasio, illis quidem negandi, his verò laudandi diuinã prouidentiam. Etenim impij cum considerant hoc PRIMVM, illamq; collectionem Zizaniorum ad comburendum differri, putant nunquam adfuturum: sed vel casu, vel absq; diuina prouidentia euenire omnia: vnde hæc cogitantes

2. In tpe. Obiectio difficilis prędestinationẽ tangens

Rom. 9. 33

Impiis scandalosa.

tradunt

tradunt se voluptatibus, auaritiæ, superbiæ, rapinis, omniq; impietati ac iniustitiæ. Audimus voces eorum in Prophetis *Linguam nostrã magnificabimus; Labia nostra à nobis sunt quis noster Dominus est?* ait vnus: alter verò. *Quid enim nouit Deus?* &c. *nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Sapiẽs verò graphicè planè vno & altero penè integro capite, & cogitationes, & vitam, & finem illorum describit. Sed & pios ita hæc torsit quæstio, vt vnus exclamarit. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Ac si diceret. Cur zizania hæc non statim perdis Domine? cur expectas, vsq; in consummationem seculi? Si PRIMVM illud tuum verum est, vti est verissimum; cur tam serò finẽ sortitur suũ? Verùm hac de re aliquando copiosius, si Deo placuerit, disseremus. Nunc duo nobis sufficiant. Alterum, etiam hic de mundo sæpius tẽpestiuè auferri impios, quãdo nouit diuina bonitas id suis expedire. Alterum, consideratione hanc prouidentiæ diuinæ, sicut impiis semper, ita piis nocuisse nũquam, imò profuisse plurimũ: ad contemplãda & laudandam, de qua agimus, iustitiam & sapientiam diuinã. Iustitiam quidẽ, qua nihil iniquũ agit. Ideo illam suam admirationem sic incipit Hieremias, *Iustus quidem tu es Domine si disputem tecum.* Sapientiam verò, qua non permittit gratis viuere malos in mundo. Nam vt ait D. August. [Omnis malus, aut ideò viuit,

Ps. 17. 5.
Iob 22. 13.
Sap. 2. & 5. cap.
Piis admiranda.
Ier. 12. 1.
Duo respondentur,
D. Aug in Ps. 54. Ser. 1. Tom. 8.

uit, vt corrigatur; aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur] Quod verò ad temporis diuturnitatem attinet, non eſt cur conqueramur, ſcimus enim dictũ eſſe à Spiritu Sancto. *Quia vnus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.* Et additur *Non tardat Dominus promiſſionẽ ſuam, ſicut quidam exiſtimãt,* quibus tardum videtur, quod apud Deũ præſto eſt. Illud videlicet PRIMVM, in quo colligentur. 2 Pet. 3. 8.

ZIZANIA. De quibus, quia multa iam diximus: illud tantum commemorabimus, quòd cùm ZIZANIA neq; ſola vnquã, neq; alibi quam in rationali creatura reperiantur; hæc verò duplex ſit Angelica & humana: hic quoq; maiorem in modum diuina illa reluceret attributa. Iuſtitiam quidem, qua vtramq; naturam ſibi, legiq; ſuæ rebellẽ viſione ſua in æternum priuat: Sapientiam verò, qua & nigra Zizania perpetuis adiudicat tenebris, & homines ſubdit dæmonibus, quia ipſi ſe illis prius ſubdiderunt; eorum potius quã diuinis iuſſis voluntariè obtemperando. O admiranda Dei tum iuſtitia, qua vnicuiq; quod ſuum eſt tribuit: tum ſapientia, qua cuncta mirabiliter in ordinem redigit! Quis ad hæc non obſtupeſcat? Sed & in ſequentibus idem videre licet, non ſolum enim Angelis pręcipit colligere ZIZANIA, ſed addit inſuper. 3. In ſubiectione.

ET ALLIGATE EA. Itaque vt hîc audis non ſolum colligentur, ſed etiã alligabuntur 4. In alligatione.

NOTA. impij in inferno. Alligabuntur autẽ, in intellectu, in voluntate, in memoria, in corpore, in affectibus, in membris, in sensibus omnibus, in cunctis denique quicquid habent, & quicquid sunt. O iusta, ô sanctissima iudicia diuina! Iustum est, vt qui pessimè contra Deum abusi sunt sua libertate, vagi & vagantes per omnia creata scelestè; optimè & iustissimè, per alligationem reducantur in ordinem. Sapientiam verò, qua id perficietur, quis vel
Sap: 2. 8. mente assequatur? Non pertransibis in posterum prata vniuersa ad explendam tuam libidinem, neq; relinques vbiq; signa lætitiæ, vt te facturum gloriaris, o luxuriose. Alligaberis! sicut infiniti iam sunt alligati. Non amplius
Is: 5. 11. *consurges mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperã* o ebriose: Alligaberis, quãdo illud *Væ* quod tibi propheta minatur eueniet, prout sociis & fratribus tuis multis iam
Luc: 16. 22 euenit. Non epulaberis *quotidie splendidè* o gulose & pompose. Alligaberis *sepultus* cũ diui-
Luc: 12. 18. te illo *in inferno.* Non dilatabis horrea tua, nõ multiplicabis prędia, non colliges plus iniqui mamonæ o diues auare. Auferetur enim à te anima tua, vt à tibi simili ablata est: & alligaberis, ne id facere possis amplius. Non eris rebellis Deo, & magistratui, nec te vindicabis,
Is: 3. 9. nec peccata tua prędicabis, nec contemnes proximũ tuum, o superbe. Alligaberis! quãdo si nõ viuus, certè mortuus cum Core Dathan & Abirõ descendes in infernũ. Ista igitur & his

&his similia cogitet velim, quę sermo noster tangit. Et antequã terribilis illa alligatio venerit: tu tu inquã, ipse nunc alliga voluntatẽ tuam, ne velit quod vult cõtra Deum. Hæc n. omnium maximè alligabitur, quæ omnium peccatorum est fons & origo, vt non possit quod velit, sicut nunc multa potest. Alligabuntur autem impij.

In Fascicvlos, vt prædicit & præcipit Christus veritas. Iustissimo enim & sapiẽtissimo Dei decreto, colligabũtur in diuersos fasciculos, luxuriosi, adulteri, molles, fornicarii, homicidæ, vsurarij, ebriosi, & reliqui mortali peccato moriẽtes, singuli in singulos, vt & pariter puniantur, qui æqualiter peccauerũt; & sapienter socientur, qui socij in insipientia fuerunt. Neq; verò societas ista gaudium, sed mærorem, pænasq; ingentes illis afferet, quãdo filius patrì, matri filia, socius socio maledicet, imò dentibus eum laniabit, eò quòd vel docuerit, vel induxerit eum in peccatũ. O luctuosum, infælix & crudele consortiũ? Quid te ò epulo flañis inferni adiudicate commemorem? Cur quæso miserabili voce petiuisti ne fratres tui eundem tormentorum venirẽt in locum? Sanè non charitatis adductus virtute, qua caruisti superstes: sed ne pæna tibi accresceret ex eorum societate id pertimescebas, id horrebas. Exemplorum similium plenæ sunt historiæ. Tu qui ad malum incensor aliis es, vide quid te maneat. Quod enim scandali-

5. In consociatione infelicissima.

Luc. 16. 27
Exemplum epulonis.

dalizas, tot tibi tormenta in ignibus paras æternis. Additur enim.

6. In diuersitate & grauitate pęnarũ. AD COMBVRENDVM, Finis ergò cur zizania in fasciculos alliganda sint, est cõbustio.

Mat: 13. 40 Sic enim saluator parabolã hanc intetpretans ait: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni cõburuntur: sic erit in consummatione seculi, mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittẽt eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentiũ.* Vnde habemus. Primũ omnia pænarum genera hic insinuari. De quibus alias egimus. Deinde combustionem & ignes infernales &

Ignis inferni qualis. similes, & dissimiles esse nostris. Similes quidem, tum quod veri ignes: tum quod ardentes & vrentes sint. Dissimiles verò, tum quòd multò his acerbiores & crudeliores: tũ quòd in nostris nemo durare possit, in illis perdurabitur in æternum. Quod designat quem audis fletus & stridor dentiũ, qui ibi permanebunt.

Ap: 18. 21. Proiectio in infernum qualis. Postremò habemus proiectionem impiorũ in infernum per Angelos futurã. Cuius typus est in Apocalypsi sicut enim ibi *sustulit vnus Angelus fortis, lapidem quasi molarem magnum & misit in mare:* ita hic peccatores diuersi, in diuersos fasciculos colligati catenis & *rudentibus*

2 Pet: 2. 4. A simili. *inferni, in tartarum tradentur cruciandi.* Et sicut quò lapis est maior, eò maiori cum impetu & fragore in mare demergitur, profundiusq; cadit: ita hîc sumo cum strepitu & eiulatu profundissimè Deũ odientes, tum Hæretici, deinde bla-

de blasphemi, Iudæi, Idololatræ, venefici, periuri, homicidæ, adulteri, fornicarij, & sic deinceps, pro qualitate criminum, infælicissimi illi fasciculi demergentur. O supina hominum socordia, qui hæc non considerant? O deploranda peccatorum erga seipsos crudelitas, qui hæc non pertimescunt! Etenim *pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*, ait scriptura simulq; denotat differentiam inter mortem primam, quæ hominem interimit: & mortem secundam, quæ impios in ignibus conseruat æternis. At enim (inquis) æquum non est, vt pro temporaneis delictis in æternum quis puniatur? scriptum est enim. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus*. Imò est æquissimum & sapientissimum. Iustissimũ est, vt dum hic sumus in tempore, temporaneas sustineamus pænas: cum verò ex tempore in æternitatem onusti peccatis egredimur, dignum est vt *pro mensura peccati*, quo in æternum peccauimus, sit *& plagarum modus* in æternum duraturus. Sapientiæ autem plenũ est, vt qui hic contra Deum arsit concupiscentia, ex amore sui inordinato pręcedente: illic iussu Dei in ordinem redigatur, ardendo in ignibus inferni in æternum. Quid iustius? quid sapientius! Cur ergò ista, o peccator, non recogitas? cur appropinquas *stagno ardenti igne & sulphure*, eoq; peccando properas? cur qui teipsum tantopere amas, tui non misereris? Et quomodo, inquis, id faciam? vtinam hæc &

Apoc: 21. 8.
7. In æternitate tormẽtorum.
Obiectio soluitur.
Deut: 25. 2.

corde dicas sincero, & dum tempus habes, adhibere velis remedia.

V. PVNCTVM. Remedium efficax continet nēpe.

Remedia autem, siue media, quibus tui misereri, & pænas æternas euadere possis, aliquot iam in decursu orationis habuisti. Nunc vnum accipe efficacissimum, nec aliud quam hoc ipsum, quod proposuimus in themate. Nam vt dixi leo noster sanctissimus Christus IESVS, non, vt ille alter leo pessimus, Dei, & tui aduersarius, ideò rugit vt deuoret, sed ideò vt te saluet, dummodò velis seriò saluari. Propterea enim hæc protulit in medium, vt tu ista cùm audis, & parabolam, & decretum tibi applices, antequam veniat dies illa, in qua ipse tibi (quod absit) applicare debebit. Considera igitur diligenter, inprimis te esse agrum istum, non solùm quia in mundo es, sed etiam quia tu ipse paruus mundus es, teste ipso etiam lumine naturali. Itaq; vide quomodo in hoc agro tuo vterq; seminator, Deus videlicet & diabolus, conditor & destructor, semen suum spargere conatus fuerit: & cui tu aurem adhibueris tuam, & ad quod semen recipiendum tuam præparaueris animam. Et si quidem inueneris, te, neglecto, imò contempto optimo illo & grano & seminatore, media luce semen suum spargente, recepisse nigra Zizania fraudulenter & occultè à pessimo tibi suggesta dæmone, erubescas obsecro stultitiam tuam, & irascaris non tam dæmoni tentāti; quàm tibi dormienti, acquiescenti,

Consideratione & applicationē Cum parabolæ.

escenti, herbam crescere permittenti, fructumq; pessimum edenti, & proferenti. Tibi inquam irascaris ex animo, & quod irati solent, seriò vindicare & exturbare tantum malum coneris. Quam ad rem conferet plurimùm, singula decreti huius verba perpendere. Dic igitur cum lachrimis & contritione valida animæ tuæ, intellectui tuo, & memoriæ tuæ. Dic inquam. Tum verò Thematis.

COLLIGITE ac in memoriam reuocate fideliter & exactè, omnia quæ dissipata sunt, queuè inordinationem in me faciunt. Hoc verò quia quoduis peccatum mortale præstat, ideò ea colligite.

PRIMVM, antequam ad vlteriora progressus fiat. Prius n. vitia sunt extirpanda, postea virtutes inserendæ. Sicut enim in vas liquore fætido plenum, frustra quis conatur balsamum infundere: ita nisi tu prius cessaueris à peccatis, ac de commissis dolueris, frustra de vita spirituali cogitas. PRIMVM itaq; collige, non vnum atque alterum, sed omnia omninò. A simili.

ZIZANIA, id est peccata mortalia, quæ odit Deus, quæ patrasti, quæ seminauit diabolus per quæ factus es filius eius, imò diabolus. Ita eñ Christus Iudam proditorem vocat, Paulus verò magnum illum filium diaboli. Placetnè tibi hoc agnomen? Minimè vt arbitror, ignominiosum est ñ. Cur ergò illud imponi tibi permittis? Cur illius te efferatæ Ne velis esse fili' diaboli. Ioi 6. 70. Act. 13. 16

 subdis

ſubdis tyrannidi? à qua liberabere, ſi & ea, quæ dicta ſunt, & quæ ſequuntur feceris. Si præterea animæ tuæ, & eius potentiis dixeris.

ET ALLIGATE EA. Non ſolùm enim colligenda; ſed etiam alliganda ſunt peccata. Colligenda per recordationem, alliganda per confeſſionem, & alliganda ſunt.

IN FASCICVLOS vt & ſcias, & confitea“ris, non ſolùm omnia, quæ patraſti peccatorum genera, ſed etiam numerum. Ligabis ergò faſciculum fornicationum ex tot actibus imò cogitationibus confectum: alligabis alium ex tot detractionibus, ex talibus vſuris, & ex aliis quorum meminiſſe poteris peccatis, quorum omnium & ſpecies & numerum fideliter recenſebis. Quam ad rem iuuabit plurimuùm, non ſolùm non ægrè ferre (vt quidam) quando hac de re interrogaris à confeſario: ſed etiam rogare illum vt id faciat, vt te adiuuet, nihil vt remaneat in tua conſcientia, quod diuinam poſſet offendere maieſtatem. Hæc eſt enim bona alligatio, quam poſtea ſequetur optima ſacerdotis ſolutio, & abſolutio. Alligabis autem Zizania.

Velis interrogationib' iuuari.

AD COMBVRENDVM. Sacro videlicet igne, qui duplex eſt, quorũ alter apud te, alter apud ſacerdotẽ reſidet. In te excitabis ignem doloris de peccatorũ conſideratione. Cõſiderabis prętereà ignem anguſtiarũ illarum, quę inuadunt

Ignem duplicem adhibe.

inuadunt impios cum sunt in extremis, quã-do decretum hoc Christi promulgari contra eos cęperit: tum verò ignis illius æterni & camini ardentis, in quem inycientur omnes impii, vt ibi primum in omnia, tum verò in corpore ardeant & affligantur in sæcula sęculorum: tum supremæ infælicitatis & stultitiæ tuæ, nisi resipueris. Miserrimè tecum agetur, si amissa fælicitate summa, in summam detruderis miseriam, ex qua nunquam poteris liberari. Si enim liberari ab illa posses, summa non esset. Stultitia verò quæ potest esse maior, quam rugitum incertum leonis animalis timere, rugitum verò leonis cælestis, qui nunquã non expletur, non perhorrescere? quam teipsum corpusq́; tuum, quod tantopere amas tantis tormentis obijcere? Hęc animo tuo cogitanda propone, hæc considera. Et considerando, excute in te ignem furoris tui, erga peccata tua, quæ pœnitentia, humilitate, contritione, confessione, & satisfactione, quantùm potes & vales in te punias & vindices. Id enim si feceris *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet* sed accedente altero igne, quem se missurum in terram filius Dei pollicetur, & qui sicut in aliis sacramentis, ita per absolutionem sacerdotalem ritè peractam datur, ex filio diaboli, filius efficieris Dei, præstante Deo & Domino nostro IESV Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. AMEN.

Alterũ tui furoris erga peccata.

Alterum sacerdotũ qui datur in absolutione.

Ps: 50.19.

Luc:12.49

SEPTEM ECCLESIÆ NOTÆ.

CONCIO SECVNDA Fides.

EXOR: ab Admirationem.

Mirari sanè non sine causa, quispiā posset, qui fiat, quòd non solum hæretici, eorumq; asseclæ; sed etiam quidā non vulgares Catholici, illa, quæ ad errorem comprobandum ab hæreticis leuiter proponuntur, grauiter & suscipere, & suspicere soleant: quæ verò ab Orthodoxis pro ueritate neruosè dicuntur, & cum fastidio audire, & pro minus probabilibus habere consueuerint. Exemplum huius rei prębet nobis hoc, quòd lectum audiuistis Euangelium, ex quo illud solùm, quod illorum buccinatores Ministri pro non castigandis hæreticis adferunt argumentum, tam altas in nostris hominibus radices fixit; vt viderim non modò seculares; sed etiam Ecclesiasticos, imò Episcopos, eorum argutiis, & suauiloquentia non parū hac in parte commoueri. Tantùm valet incauta cum hæreticis conuersatio. Quibus vt opem feramus, demonstrare institui, hunc ipsum scripturæ locum, nobis nihil, hæreticis verò obesse plurimùm: vt hac ratione & fidei Catholicæ veritas, & hæreticorum vesania palam sit omnibus.

PROP: septē signa

Quinimò loquar cum sancto illo Rege ad Domi-

Dominnm meum: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.* Tibi em̄ sponsæq; tuæ, quæ est corpus tuum, exprobrant Domine. Nos enim quid sumus? Redde igitur illis ex hoc ipso Euangelio, septuplum in sinu eorum, & ostende Domine IESV septem viis, apud nos tuam Ecclesiam, apud illos verò Sathanæ Synagogam reperiri, ad laudem nominis tui, ad exaltationem sponsæ tuæ, ad confusionem conuersionemq; inimicorum tuorum. Ecclesiæ pollicetur. *Ps: 78. 12.*

Antequam ad ea, quæ proposuimus accedamus, videndum est vndenam ille de quo in exordio egimus, incautus & noxius proueniat animus. Cuius quatuor causas videre mihi videor. Impudentiam videlicet hæreticorum, fraudem dæmonum, socordiam Catholicorum, & permissionem diuinam. Permittit Dominus vt tentet nos: Id disertis verbis testatur Moyses cum reddens rationem, cur Deus permittat venire pseudoprophetas, inquit: *quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Qui enim feruens est in Dei dilectione, neq; istis neq; aliis hæreticorum næniis quicquam mouetur. At frigido, incauto, & qui inordinatos suos sequitur affectus, *aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Quis verò dulcia, suauia, magnaq; efficit argumenta hæreticorū? Nemo

Cur Hæreticorum dicta quidam mirentur:

Causę quę; 1. Permissio diuina.

Deu: 13. 3.

2. Tepiditas Catholicorum.

Pro: 9. 17.

3. Fraus dæmonum.

Nemo certè alius, quam ipse Sathan, & Ministri eius. Ille enim quibus per peccatum dominantur, eorum corda titillat, eaq; ad acquiescendo mendacio, mirificè & veteratoriè disponit. Ministri verò ipsius, tum impudentia sua, clamoribusq;, quibus & res minimas nimium exaggerant, & Catholicis mirificè insultant, tum *per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*, teste Apostolo: quantò magis nolentium, & eorum, quorum corda cum aliis, tum superbiæ vitio, constricta tenentur? Signum verò superbiæ euidens est, de omnibus tam hominibus, quàm rebus (etiam sibi ignotis penitus) iudicare velle, quod pleriq; faciunt, quando aliquos disputantes cum hæreticis audiunt. Res profectò lachrymis digna. Si enim Apostolus Episcopos, & tales Episcopos, quales erant, Timotheus & Titus monet seriò, vt hæreticos deuitent; scientes eos subuersos esse: quantò magis hominibus priuatis id obseruandũ est? Quod quia nõ fit, ideo multi *in laqueum incidunt diaboli*, quo irretiti prorsus concidunt.

4. Impudẽtia hereticorum.

Ro: 16. 18.

5. Superbia.

1. Tim: 3. 5. Tit: 3. 9.

Oro Catholicos meos & obsecro per viscera misericordię Dei, vt cauti sint hac in parte, caueant disputationes hęreticorum, caueant dulces sermones eorum, caueant congressus, caueant quæ inde oriuntur pręsumptuosa iudicia: diligant autem Dominum Deum in toto corde, & in tota anima sua, & tentatio

1. Tim: 3. 7. Remedia.

quam

quam permittit Dominus non nocebit eis: videbuntque luce meridiana clarius argutias hæreticorum, telas esse aranearum: Catholicæ verò fidei firma & solida tum argumenta, tum fundamenta: quorum iam aliquot ex Euangelio colligamus. Et quia constat omnibus hic Christũ Dominũ de regno suo, quod est Ecclesia, loqui, statumque ipsius hac parabola per varias personarum, loci, temporis, aliasq; circumstãtias exactè nobis depingere: ideò iisdem vestigiis insistendum nobis erit, vt inuestigemus, vbinam sit Christi in terris congregatio: quam apud nos qui Catholici sumus, non alibi reperiri, septem viis (quarũ penè singulæ, aliquot in se argumenta continebunt) ostendemus. Sex quidem nobis peculiaribus; septima verò illa ipsa erit, quam perduelles torquent.

Primum itaq; signum Ecclesiæ sumitur ex personis seminantibus, quarum altera est PATER FAMILIAS, ipse videlicet *filius hominis* Christus IESVS: altera INIMICVS HOMO, *diabolus* eodem Christo interprete. Neq; verò sub dubium cadit, ibi esse Ecclesiam, vbi prior verbum veritatis, ibi verò Synagogã Sathanæ, vbi alter verbum mẽdacii disseminat, cum id omnes admittãt: sed controuersia est, quæ persona cui congregationi conueniat: quam tamen dirimit, tum experientia, resque ipsa oculis subiecta: tum consensus orbis totius tum ipsa aduersariorum confessio: quis plura

I. SIGNVM ECCLESIÆ. *Mat.* 13. 37.

Christum apud nos: demonẽ apud Hæreticos seminare probatur.

8. Expientia plura iustè exigit? Experientia docet fidem Catholicã inniti veritati, hæreses omnes mẽdacio & calumniis fulciri. Habuimus hac de re aliquando pene integram concionem, nec est quòd eadem repetantur: præsertim cum non solùm Latina sed etiam vernacula lingua edita extent volumina, quæ plaustra mendaciorum & hæreticarũ calumniarum adferunt, & enumerant. Norunt Vilnenses mei, me præcipuo, qui in Polonia est Ministro (qui postillã trium ingentium voluminũ infinitis refertã mendaciis suis conscripsit) misisse centum capita falsitatum, mendaciorum & calumniarũ, collecta ex libello eius edito contra vnum è Societate nostra. Norunt quanta cum iactãtia responsum paucos post menses promittebatur, quod necdum post quatuordecim annos compareat. Talia enim fuerunt, quæ neque impudenti inficiatione negari, neq; argutis fallaciis dissolui poterant. Ad ea igitur vos aliaq; his similia remitto. Ego verò me ad consensum orbis terrarum omnium seculorũ conuerto, qui talis est, vt non Catholici tantùm, sed & ipsi Schismatici, & hæreticorum plériq; fateantur, apud nos salutem, ideóq; veritatem reperiri. Notum est vobis, Russos etiam illos,, qui schisma profitentur, in mortis periculo, Catholico sacerdoti confiteri, & ab eo sacramenta absolutionis & Eucharistiæ accipere consueuisse. Hoc ipsum faciunt, & docent suos, tum Armeni alterius factionis schisma-

Dõinica. 1. Aduentus Conc: 2.

In opusculo polonico *Prawidło* dicto edito. Año. 1592.

2. Consensu toti⁹ orbis.

Schiſmatici, tum Eccleſia orientalis ſchiſmatica.

Hæreticorum verò nonnè pleriq; fatentur, in papatu poſſe aliquem ſaluari? Imò nouus ille Elias ſaxonicus diſertis teſtatur verbis [In Papatu veram eſſe ſcripturam ſacram, verum ſacramentum altaris, veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmum &c. Inſuper ſub Papatu veram Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis eſſe] Hæc Lutherus, vbi verò iſta ſunt,, ibi Chriſtum qui hæc ſeminat, eſſe neceſſe eſt. E contra verò, quis eorum qui Chriſtiano gaudent nomine fatebitur, apud aduerſarios veram doctrinã, veramq; eſſe ad ſalutem capeſſendam viam? præter Catholicam, & eam quam quoq; profitetur fidem? Quinetiam (quod ſtupendum planè) ne hanc quidem. Quot em̃. ſunt profeſſione (quam Synagogæ, quas frequentant produnt) ſiue Lutherani, ſiue Caluiniani, qui ſi in rebus fidei auctoritate & ſcriptis patriarcharum ſuorum premantur, reſpondent; quid mihi cum Luthero? quid cum Caluino? ſcripturam volo, huic ſoli credo. Quod quid aliud eſt dicere, quam Lutherum, & Caluinum in fide erraſſe, falſum docuiſſe, ac proinde, malum dæmonem ſemen ſuum per illos ſparſiſſe?

3. Confeſsione aduerſariorum. Lutheri. *Lutherus in epiſtola ad duos parochos cõtra Anabaptis.*

Quod tam verum eſt, vt nec ipſi id diffiteantur. Lutherus prolixam recenſet diſputationem

Luth. in libello de

Missa angulari. tionem, quam noctu cùm diabolo habuit; asseritq; verbis expressis, se argumentis Sathanæ conuictum, Missæ sacrificium abrogasse. Quam bonus Israel Deus. qui cogit impios scribere talia? Qualis cæcitas credere iis, qui fatentur doctrinam suam à dæmone se accepisse? Quanta putatis supplicia mereri, qui ita volentes & valentes insaniunt? vtinam

Zuinglij. conuertantur & non experiantur. Sed & Carolstadio & zuinglio primis Sacramentariorum nostri temporis parentibus idem cõtingit. Quorum iste scribit se noctu à spiritu in somnis edoctum fuisse quanam ratione verba Christi, *Hoc est corpus meum* infringere posset. Et quamuis de hoc spiritu Zuinglius dicat [ater fuerit, an albus, nihil memini.] Nemo tamen hominum præter illum & eius asseclas dubitat, atrum diabolum fuisse, qui lucidissima Christi Domini verba, fuliginosis ac mendacibus suis expositionibns obscurare conatus est:

Zuinglius in subsidio Eucharistiæ.

Anabaptistarum. Taceo Anabaptistas, & Entusiastas, quibus familiare est recensere visiones suas, quas astutiores quidem candido adscribũt spiritui: at simpliciores tetrũ agnoscũt. Ex eorum numero fuit ille quo cũ Romæ in inquisitione egimus, qui fassus est, se cum in magnis esset angustiis, ab Æthiope puero ita confortatum fuisse, vt nulla postmodum sentiret tormenta. Passimq; ex iis, qui conuertuntur discimus, spiritum, quem Anabaptistæ sanctum vocant, aut in forma muscæ, aut

huic

huic ſimili apparere. Quod verò obiiciunt, etiam ſummos pontifices, rem cum dæmone habuiſſe, id etiamſi verum eſſet (innumera enim ſunt eorum mendacia) nihil tamen eſſet ad rem, & ad noſtram controuerſiam. Nunquam enim oſtendent hæretici vel ex vno probato authore, multò minus autẽ ex ſcriptis pontificum, quenquam eorum doctrinam ſuam a dæmone hauſiſſe: quod nos ex ipſis hæreſiarcharum verbis demonſtrauimus. Hic eſt igitur primus Chriſti in Eccleſia Catholica triumphus. Obiectio ſoluitur.

Alterum dabit nobis conſideratio ſementis, quam hi duo ſeminant. Et Chriſtus quidem Dominus tum in parabola, tum in expoſitione reſpondet: Filium hominis ſeminare SEMEN BONVM & filios regni: Diabolum verò ſeminare ZIZANIA id eſt nequitiam, & filios nequam, qui inde oriũtur. Hoc ipſum credit fides noſtra Catholica. Credit inquam, quicquid in mundo eſt boni, omnẽ veritatem, omnem gratiam, omnem virtutẽ, vnde filii Dei fiunt, & generantur, à Deo eſſe: his verò contraria à diabolo ſeminante, & homine dormiente, ac conſentiente procedere; mendacium, impietatem, iniuſtitiam, luxuriam, homicidia; rapinas, omneq; peccatum, & iniquitatem, quæ filios nequam & perditionis efficiunt. Contra verò hæretici, per ſummã impietatem & blaſphemiam, omnis mali, peccati, & ſcelerum, quæ patrant homines, II. SIGNVM ECCLESIÆ. Catholici ſolius boni; hæretici etiam mali auctorem Deũ faciunt.

auctorem faciunt Deum. Hoc Simon ille magnus primus hæresiarcha teste Vincentio Lirinensi. Hoc Marcionistæ, & Manichei minus tamẽ propriè: hoc Florinus Iræneo plusquam hæreticus propriissimè: hoc alii antiqui tenuerunt hæretici; Hoc noui Libertini, teste parente illorum Caluino, hoc Lutherus, Melanchton, Zuinglius, Caluinus, Beza, & aliæ nostri temporis pestes senserunt, insinuarunt, docuerunt. Negant? at scripta illorũ testantur; obscurius quidem. Nam & hoc docet Christus in parabola. Vultis quo id fiat modo videre?

Lirinen. in commonitorio &c. De Ireno: Euseb. lib. 5. hist. cap. 20. Calu. contra libertinos.

III. SIGNŨ ECCLESIæ

Tertius itaq; triumphus Christi (coniũgamus vtrumq;, & simul probemus) & signum Ecclesiæ habetur, ex modo quo duo isti seminant. Bonus ñ. SEMINAVIT BONVM SEMEN, more consueto, interdiu luce clara: malus verò CVM DORMIRENT HOMINES, acproinde noctu, oculte, in obscuro, ET ABIIT, profugit, ocultauit se, ac si nihil mali fecisset. Ecce alia hæreticorum effigies. Noctu, furtiuè, in angulis doctrinam suam disseminare incipiunt. Noctem dulcissimis sermonibus suis, contentionibus, adulationibus in mentibus discipulorum generant. Noctem in mores inducunt, cum carni habenas laxant. Noctem inducunt, & tenebras palpabiliores quam erant Ægyptiacæ accersunt, quando suos docent, scripturæ interpretationẽ superbè sibi arrogare, & neq;

Hæretici noctu, Catholici clara luce doctrinã suam dissеminant.

I. Patet ex quinq; modis quib' id faciunt.

conciliis, neq; doctoribus, neq; vlli hominum sese submittere, sed de omnibus iudicare velle. Quid hac cæcitate tetrius? Noctem inducunt, dum doctrinam suam celant. Nunquid nō nostis plurimos, tum in hac Vilnensi ciuitate, tum alibi; qui cum sint cætus Caluiniani, credunt tamen in Encharistia verè esse corpus Christi tunc in terra præsens? idq; se à suis didicisse aiūt, licet Ministri illorum Christi corpus à toto terrarum orbe longè abesse, & in parte tantùm cæli residere sentiant? Vnde hæc quæso contrarietas? Non aliunde quā ex astutia Ministrorum, qua mentes suorum exæcant: dum & eorum opinionibus sese accommodant: & dicta scriptaq; sua miris inuoluunt obscuritatibus. Partior fuit hac in parte Lutherus: propterea frequenter aperte sibi contradicit. At Caluinus tenebricosus, tortuosus inuolutus, quod negare videtur, aliis astruit verbis. 2. Expientia

Tale est quod præ manibus habemus, an Deus sit auctor malorum & peccati; quod negant quidem verbis & Caluinus, & alii hæretici, etiam libertini ipsi, quos tamen sic perstringit Caluinus [se Deum mali auctorem facere nolle affirmant; sed quid prodest eiusmodi subterfugium in re tam aperta?] Idem ego Caluino & aliis dico. Certum & insculptum est naturæ humanæ; qui per alium agit, eum operis, quod resultat non solùm auctorem esse, sed & causam præcipuam. Id in natura- 3. Exēplo de auctore peccati. *Cal. in Epist. ad Rotomagen. cōtra Frāciscanum Libertinū.* Quod varijs demōstratur modis.

turalibus, id in moralibus euidens est. Quis enim opus affabrè factum malleo, aliisuè instrumentis potiùs, quàm artifici adſcribit? Nonne quilibet veſtrum ignominia affectus, non famulum, qui id præſtitit; ſed Dominũ, qui famulum ſuum ad id faciendum impulit aut in ius vocat, aut propria vlciſcitur auctoritate? Non alia profectò de cauſa, niſi quòd herum, auctorem malo ſibi illati eſſe iudicat. Idem ergò de Deo auctore peccati eſt hæreticorum iudicium: qui non ſolùm permittere Deum peccata fieri aſſerunt (quod & Catholici aiunt) ſed etiam contendunt, Deum velle fieri mala & peccata, imò id ab æterno decernere; inſuper tum dæmones, tum homines ad ea patranda inclinare, impellere, cogere, deniq; Deum ipſum in mentibus impiorum operari peccata, per extremam affirmant blaſphemiam. Hinc ſcilicèt illæ eorum doctrinę & voces a Ita opus Dei eſt adulterium Dauidis, & Iudæ proditio, vt Pauli vocatio [b Homo (inquit Caluinus) iuſto Dei impulſu agit, quod ſibi non licèt] De Sathana verò ſic? [c Sathan ipſe inſtrumentũ quũ ſit iræ Dei, pro eius nutu ac imperio, huc atq; illuc ſe inflectit, ad exequenda eius iuſta iudicia] Et paulòpòſt mandati facit mentioné. Additq; idem Caluinus, hæc ſe loqui non de vniuerſali Dei motione, ſed [de illa ſpeciali actione, quæ in vnoquoq; facinore apparet] d Alibi verò inquit de Deo [Et certè niſi in-

a Melã: in cap. 8. ad Rom.
b Cal. lib: 1 Inſt. ca. 18 ſec: 4.
c Cal: lib. 2 Inſt. cap. 4 ſec. 2. & 4.
d Cal: lib: 1

tus operaretur in mentibus hominum, non recte dictum esset; auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam. *Inst. ca: 18 sec: 2.*

Quis cordatus & pius hæc audiens non cõtremiscat? quis rationis compos non videt, quàm apertè hæretici auctorem peccati faciunt Deum? quod tamen negatiuis suis occultant, vt duplicis criminis rei teneantur, & duplici ratione declarent, apud eos verè esse synagogam Sathanæ. Tum quòd mali seminis seminatorem faciant Deum, contra parabolam Euangelicam: tum quòd occultè id faciant, quod inimici hominis diaboli proprium esse testatur Christus. Vtrumq; euidens est ex dictis. Si enim Deus tanquam instrumẽto ad scelus commitendũ vtitur Sathana, si mandat, si imperat ea fieri, si insuper mouet, impellit, cogit (vt quidam illorum ait) & dæmones & homines ad peccandum: si deniq; quod omnium est funestissimum, ipse [intus operatur in mentibus hominum speciali actione] scelera, quomodo seminator Zizaniorum, quomodo auctor & effector illorum non erit? At verò hæc sentire hæreticos, nonne ex illorum scriptis inclaruit? Contra verò fides Catholica Romana hæc omnia tãquam portenta & blasphemias detestatur. Asserit enim Deum quidem semen bonum quodcunq; est in mũdo ipsum seminare: malum verò semen & Zizania diabolo (dormitante & consentiente homine) seminandum

Cur negent id hæretici.

Zuinglius in sermone de pvidẽtia Cap. 4.

Cõcluditur duplici argumento.

permittere vt vel hinc vera Christi Ecclesia apud Catholicos; apud hæreticos verò diaboli synagoga appareat. Quid? quod hæretici cũ doctrinam suam noctu disseminent, suamque sententiam variè occultent: apud Catholicos verò quæ ad fidem attinẽt, palam fiãt omnia,
Ma.10.27 impleaturq́; illud Christi Domini. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure audistis prædicate super tecta*: an non hîc Christi Iesu apud illos verò diaboli erit congregatio? Sentio me in hoc Christi triumpho fuisse quã volebam longiorem, ad alium igitur transeamus.

IV. SIGNũ ECCLESIæ Quartum triumphum Christo & sponsæ eius dabit AGER. Peto enim ab aduersariis. Num in vniuerso mundo seminetur semen Christi, vnde ipsius excrescit Ecclesia, an non? & quicquid elegerint, se & carere hoc semine, & non esse in Christi Ecclesia palàm ostendẽt

Fides Romana in toto vniuerso; hæretica verò in ãgulis mundi. omnibus. Si enim negauerint, quod Christus asserit dicens: *Ager autem est mundus*, quomodo membra ipsius erunt, cuius auctoritatem negant! Sin concesserint, concedant etiã ne-
Mat. 13.38 cesse est, se non esse in Ecclesia Christi, cum fides eorum nec annuncietur, nec vnquam annunciata fuerit in vniuerso mundo, sicut an-
Rom. 1. 8. nunciatur fides Romana, teste & Apostolo, & ipsa experientia. Ex aduerso verò Lutherana fides vix Vittembergæ nata, ibidem viuente tum Luthero, à Carolostadio, & Anabaptistis naufragiũ pati cœpit. Idem Caluino ab eius disci-

discipulis, Gentili, Serueto Ochino, & aliis accidit. Hoc ipsum cæteris euenit, ita vt purã Lutheranam Caluinianamuè fidem vix iam reperias, ac ne vix quidem, fietq; Christo bene propitio, vt omnes he perfidiæ, quæ non solum in Oriente, in Occidente, in Meridie, sed etiam in Hispania Italiaq; incognitæ sunt, ex toto orbe penitus profligentur. Faxit id citò Deus. Quod verò hæretici aiunt, doctrinam eorum olim vbiq; viguisse. Hæc tam putida est gloriatio, quàm illa fuit patris eorum diaboli, mentientis omnia regna mundi in sua fuisse potestate, liberumque sibi esse dare illa cui vellet. Sicut enim diabolus non est dominus mundi, ita nulla vnquẽ hæresis viguit in vniuerso mundo, sed latitat tantum ad tẽpus in aliquo mundi angulo. Quod si obieceris, Zizania quoq; in eodem agro, ideòque in vniuerso mundo seminari respõsio facilis est, per Zizania à Christo omnem perfidiam. omniaq; scelerũ genera intelligi, quæ vniuersim vbiq; seminãtur: peculiariter verò etiã vitia ipsa alia aliis regionibus magis sunt familiaria; nũquã autẽ vlla hæresis cõmunis erat omnibus gentibus. Soli enim verę Christi fidei Catholicęq; Ecclesiæ id propriũ est, & eius signũ euidens.

Impudens hæreticorũ mẽdaciũ.
Luc, 4. 6.

Obiectio soluitur.

Quintus Christi Domini triumphus, & indicium Ecclesiæ ipsius, colligitur ex duobus verbis, SVO, &, SVPERSEMINAVIT. Christus enim Iesus Dominus noster semen suum bonum seminat in AGRO SVO: diabolus

V. SIGNVM ECCLESIæ

verò ZIZANIA in alieno, id est in Christi Domini agro SVPERSEMINAT. Superseminat, inquam, quia nunquam vlla hæresis virus suũ spargit, inter Gentiles, Iudæos Machometanos, hisue similes, sed semper sata insectatur Catholica, seu quæ olim Catholica fuerunt. Eximium sanè signum & Catholicis magnæ consolationis. Catholica etenim fides non solùm totum implet orbem, sed etiã vniuersas nationes, linguas populos occupat primùm, quos postmodũ dormitãtes Sathan variis inficit hæresum erroribus. Hæc Ecclesiæ nota, sicut & prior, ex omni deducitur antiquitate. Lustra omnia climata vniuersi orbis, vide omnes historias, & reperies õnes omnium temporum veros Christianos, vel cum Romana in Ecclesia fide conuenisse, vel ab ea fidem accepisse. Testes sunt tot historiarum tomi ab Illust: Cardinali Baronio, sapientissimè & fidelissimè collecti: testis & ipsũ Breuiarium Romanum, quod omnium nationum sanctos complectitur, testis rerũ omnium magistra experientia etiam hoc tempore. Nam vt aliena taceam, Nonne Polonia nostra ante 600. nonne Prussia aliquanto pòst; nõne Lithuania ante 200. annos Euangelium à Romano accepit pontifice? Quid dicam de nouo orbe orientem & occidentem versus? de regnis amplissimis, de insulis innumeris, de populis omnibus retro seculis incognitis, qui in annos singulos noui recentesq; & Romanã

Fides Catholica apud omnes Gẽtes seminatur perfidia hæretica superseminatur.

sulci-

suscipiunt fidem, & Romano Pontifici submissam exhibent obedientiam? Contra verò ostendant hæretici, quas vnquã integras prouincias vel populos ex Idololatria ad suam fidem (vel perfidiam potius) pellexerint & pertraxerint? Non ostendent equidem. Soli enim Orthodoxæ, Catholicæ, Romanæ Ecclesiæ id est proprium, secundum fidelissima promissa Christi Domini, & in hac parabola, & alibi facta.

Imò verò, si rem altius considerauerimus, inueniemus ab ipso mundi exordio semper Deum primum bonum semen in agro suo seminasse, posteà verò Sathanam in eodem superseminasse, Zizania, siue impietatis, siue etiã infidelitatis. Deus etenim optimus maximus optimum semen gratiæ suæ in primis nostris parentibus seminauit primum; post modum verò Sathan per serpentem venenum Euæ instillauit, ac peccatum Originale inuexit. Ita prius Cain munera Deo obtulit, postea dæmon in animo eius zizania fratricidij superseminauit. Item prius posteri Adæ & Nòé Deum sacrificiis coluerunt: postmodum cultus dæmonum per Idololatriã introductus fuit. Et idem de posterioribus temporibus sit iudicium. Quod verò hæretici aiunt, in Græco non esse superseminauit, sed seminauit; id suo more faciunt. Quid enim est quæstionis de verbo, cùm rem teneamus? Certè eum qui seminat vbi prius fuit seminatum, superseminare

Hoc signũ à mũdi exordio viguit.

Obiectio soluitur.

 nare

nare necesse est. Quis verò nouit etiã verbum ipsum in Græco olim non fuisse, cum etiam Erasmus concedat sic interpretem nostrum legisse? Quasi verò, vel Matthæus, qui solus hanc parabolam habet, Græcè scripserit: vel in Græco non habeatur seminauit per mediũ tritici; quod idem ac superseminauit valet.

Hæretici ab Apstoolo depingũtur. 1. Ti: 6. 4.

Benè de hæreticis inquit Apostolus, eos *circa quæstiones & pugnas verborum languere*, languent dum nihil solidi in medium adferunt: pugnas verborum consectantur, vt hinc illos agnoscas: & aut conuertaris & viuas, aut sis inexcusabilis, qui Ministris diaboli potius, quam Apostolo graphicè illos depingenti, fidem adhibere malueris.

VI. SIGNũ ECCLESIæ Malos esse in Ecclesia que hæretici negant.

Sextus Christi Domini triumphus habetur ex ZIZANIS. Quæro ab aduersariis. Sintne in Ecclesia mali & impij? si esse eos asseruerint, imposturæ scripta illorũ eos conuincent, quæ solos siue prædestinatos, siue iustos collocant in vera Christi Ecclesia. O mitto wiclephum & Husz. Caluini sunt ista, [non illuminãtur, nec Euangelij efficaciam verè sentiunt, nisi qui preordinati sunt ad salutem] quibus verbis concludit, quod copiosè, sed veteratoriè per aliquot sectiones probauerunt. Solos electos & iustos vera fide illuminari, ideoque solos esse in vera Ecclesia. Idem quoad iustos sentiunt [a]Lutherus, [b]Melanchtõ, Cõfessio Augustana, & sequaces eorum. Deniq; Anabapt: quia perfectissima sunt membra diaboli,

Lib: 3. Inst: Ca: 2. sec. 11

a Luth. de Concil. & Ecclesia part: 3.

aboli, non nisi perfectos in Ecclesia collocāt. b Quod si negauerint (prout negant) impios esse in Ecclesia Christi, prodent se non esse in ea. Nam vt ad aliud tempus alias probationes reiiciā, parabola Euangelica cum eius expositione dat nobis duo argumenta eximia sanè. Quid enim aliud præsefert ager seminatus bono semine Christi, quàm eius Ecclesiam? at verò in hoc ipso agro reperiri ZIZANIA an non audis ex ore eiusdem saluatoris? & ne sis nescius quid sibi velint zizania, audi quid dicat: *Zizania autem filij sunt nequam.* Nequam igitur homines, teste Christo sunt in eius Ecclesia. Quid euidentius? Quærent forte effugium & dicent: Agrum non Ecclesiam sed mundum designare. Sic enim Christus. *Ager autem est mundus.* Rectè sanè id Christus; vt ostendat vbiq; esse suam Ecclesiam, sed hæretici minus rectè nos arguunt, verba nostra non considerantes. Aliud enim significat ager, aliud ager seminatus. Ager simpliciter sumptus, mundus est vniuersus: in quo cùm spargitur semen Euangelij & recipitur, exsurgit per totum orbem Ecclesia. Quod videns & inuidens INIMICVS HOMO *diabolus* SVPERSEMINAT ZIZANIA: tum hæresum, tum aliorum vitiorum: vnde filij nequam oriuntur: qui quāuis sint putrida, putidaq; membra, verè tamē sunt in Ecclesia, donec vel ipsi se per publicam hæresis professionem segregent, vel per excōmunicationem ab ea abscindantur: quo tempore

b *Mel: in eius Apol.* c *Cōfessio Au. Act.7*

Catholici verò affimāt

Et ꝓbāt ex Euangelio dupliciter.

Ma.13.39

Obiectio soluitur.

Ibidē. vers.38.

NOTA. Agrum esse mundum, agrū verò seminatum Ecclesiam.

Hæretici qūo ad Ecclesiam ꝑtineant.

pore nihilominus, aliquo modo ad eam pertinebunt; tum ratione quorundam sacramentorum, quæ ab iis administrata valida sunt: tũ quòd ab Ecclesia castigari possint: tanquã profugi & rebelles. Hæc est fides recta, cõformis & huic Christi parabolæ, & toti scripturæ.
2. Quorsum hæc? vt videatis, quomodo & mali sunt in Ecclesia, & illi qui contrarium profitẽtur, non sint in ea. Hoc ipsum inde etiam patet, quòd parabola hæc sit de REGNO CÆLORVM, vnde teste Christo, in consumatio-
Ibidẽ Vers. 40. ne seculi *Messores Angeli colligent omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem*: non vtiq; ex illo cælorum regno quod beati occupãt, in quod
Apoc. 21. 27. *non intrabit aliquod coinquinatum*, ex Ecclesia igitur (quæ & in hac, & in aliis Christi parabolis per regnum cęlorum designatur) colliguntur impij, qui in ea aliquando fuerunt, & mittentur in *caminum ignis*,

VII. SIGNVM ECCLESIæ multiplex. Postremus ordine, sed primus dignitate & multiplex numero triumphus Christi Domini de hæreticis in hoc Euangelio est Achilles eorum, quo concludere se arbitrantur apud nos non esse Ecclesiam, vbi hæretici occiduntur & zizania comburuntur contra edictum Christi, qui permittit ZIZANIA CRESCERE VSQVE AD MESSEM *Meßis autem consũmatio seculi est*. Quare debacchatos in me esse Caluinianorũ Ministros in sua Synagoga audio, quasi illos & eorum asseclas mactandos pro suggesto proclamauerim. Qui meis inter-

esse soletis concionibus, nostis quàm id mendaciter confinxerint. Quod autem anno præterito dixi, idem hoc & sequentibus repetam semper. Catholicæ enim fidei præco sum, indignus licèt, constans tamen. Et primùm quidem peto ab ipsis, qua fronte, quod suos docent, ipsimet vituperant? Nonne Caluinus libellum edidit, quo probat hęreticos esse puniendos? quod & pręstitit ipse in Seruetum & Gentilem, gladio & igne per suos animaduertendo? At hæc est perfidiæ natura, pro locorum & temporũ ratione fidem mutare. Nunquid vel inde quilibet sapiens non animaduertet, quàm sit illorum spiritus inconstans, vafer, diabolicus?

Probatur apud hæreticos non esse Ecclesiam.

1. Quia sunt peruersi & inconstantes.

Quæro iterum, quid per ZIZANIA intelligant? Hęresim, inquiunt. Solamne? si solam dixerint. Fateantur nec in Ecclesiâ Christi, nec Euangelicos se esse. Christus enim in Euangelio inquit. *zizania autem filij sunt nequam.* Et rursum. *Mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem.* Negabuntnè veneficos, adulteros, homicidas, fures latrones, & alios eiusmodi vel nequam esse, vel facere iniquitatem? Si id negant, negent & scripturam vniuersam, & ipsum lumen naturæ totum, & ex hominibus bestias faciant. Quod si concesserint. Zizaniis omnia scelerum genera conpræhendi: concedant etiã necesse est, se proprio iudicio, nec in Ecclesia, nec Eugãelicos esse: qui contra apertũ decre-

2. Quia Euagelicos se esse mẽtiũtur.

Mat. 13. 38

3. Qui contradictoria docent.

decretum Christi (vt ipsi illud interpretantur) fures, latrones, homicidas, hisq; similes sceleratos morte afficiunt, non expectata cõsumatione seculi; Quid euidentius, scripturã per scripturam, imò ipsa dicta Christi, per Christum interpretando?

4. Quia regula & iudicio proprio cõdẽnantur

Sed inquiunt, Chrysostomum, Augustinũ & alios Patres per ZIZANIA hęreticos intellexisse. Quid audio? Eos qui se Euangelicos vocant, & Patres innumeris lacerant conuiciis, relicto Euangelio ad Patres recurrere? Excutiamus hìc alteram eorum regulam; qua asserunt Patres non nisi quando cum aperto verbo Dei conueniunt audiendos esse: & cõuincamus hęreticos ex placitis eorum; si fortè

Luc: 9. 22.

meminisse velint decreti Christi *De ore tuo te iudico* neq; verò velint expectare illud; sed velint conuerti ad fidem Catholicam, & viuere moriq; in ea, quod vtinam fiat. Rogo itaque eos, cum qua scriptura cõuenit, per ZIZANIA solam hæresim intelligi? Imò nunquid id contrarium non est scripturæ, quam adduximus. Est sanè; propterea nunquã Patres addiderũt particulam illam [sola] qua Ministri Sathanę haud rarò scripturæ addita, sibi credentes ad orcum protrudunt. Sic Augustinus. Inter alia inquit, in loco quem hæretici citant [possunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij semine, & Christi nomine procreati) Si dicta de causa etiã hæretici filii mali (vt zizania Christus interpretatur) dici possunt,

5. Quia addunt scripturæ & Patrib⁹ q̃ placent.

Augustinus explicatur.

August: in q̃st: Euã: in Mat: cap: 11

ſunt, quantò magis malis Catholicis id competit qui & hoc ipſum habent; & inſuper ſemẽ Euangelii procreat in illis fidem veram, quod non facit in hæreticis? Non excludit igitur, ſed includit malos Catholicos Auguſtinus in Zizaniis; ſed vult per paleas malos Catholicos, per Zizania hæreticos præcipuè intelligi, propter rationes quas adfert. Taceo alios Patres, ne ſim longior: duo non taceo. Alterum quod iam dixi, à nullo ſanctorum patrũ addi, ſola: quod ſi hæreticus quoq; non addiderit, aut nihil concludet, aut ſeipſum cõdemnabit. Alterum eſt, hæreticos, non ſolũ latrones, homicidas, incendiarios, & alios ſceleratos; ſed etiam in cauſa fidei, homines, igne, ferro, ac exquiſitiſſimis tormentis perdere, imprimis verò Catholicos; vt palàm ſit omnibus, illos eo vitio plenos eſſe, quod Chriſtus dominus maximè in Phariſæis inſectatur, Hypocriſi inquam & ſimulatione, qua duce aliud docent, aliud faciunt. Auſim certare in Anglia & in illo furore hæretico Gallicano plures Catholicos decennio crudeliſſimis ſuppliciis affectos eſſe: quam perierint hæretici, in Hiſpania & Italia quadraginta integris annis. Et quamuis Lutherani erga Catholicos mitiores ſint, quàm Caluiniani: tamen cùm etiam ipſi comburant Anabaptiſtas, & iis ſimiles, ab hypocriſis vitio liberi minimè erunt.

6. Quia ſunt hypocritę & crudeles.

At verò fides Catholica, & ab hoc, & à quouis

Probatur apud Catho

licos veram esse Christi Ecclesiam. quouis vitio in doctrina sua ē liberrima. Quicquid credit, hoc ipsum docet: quod verò do-
1. cet, id ex equutioni mandari non prohibet, imò suadet. Quod sicut in aliis omnibus: ita
2. hoc in negotio euidens est. Docet per ZIZANIA omnium flagitiorum genera intelligenda esse: quia idem Magister ipsius Christus Iesus docuit in interpretatione huius parabolæ. Docet item quod docuit in parabola
3. Christus ZIZANIA, ista videlicet omnia vitiorum genera, debere CRESCERE VSQ; AD MESSEM, ea ratione, quòd nulla humana vel industria vel diligentia vnquam omnia ex mundo, imò ex Ecclesia eradicanda sint vsque ad consummationem sæculi. Docet præterea cum Cristo Domino
4. quæuis scelera etiam priuata punienda &
5. eradicanda non esse, si timetur. NE SIMVL CVM EIS, ET TRITICVM ERADICETVR. Docet deniq; vbi eiusmodi periculum non est: sicut furta, latrocinia, homicidia, & alia facinora generis eiusdem, ita etiã hæreses puniendas, castigandas, & quantum
Saluo tritico puniẽdi sũt hęretici. fieri potest eradicandas esse. Hæc docet Ecclesia, & quod docet, vt ab iis, quorum interest, exequutioni mandetur, suadet, ac hortatur. Et hoc ipsum nos & annis præteritis docuimus, & nunc dicimus. In istis quidem partibus, cùm periculum sit, ne cum hæreticis zizaniis eradicetur & pereat triticum Catholicum, abstinendum esse. In Hyspaniis verò, &

alibi

alibi vbi periculi nihil est, iustè & sanctè puniri hæreticos, ne noceant Catholicis: ne semẽtem boni patrisfamilias suffocent, ne si ipsi non pereant, perire necesse sit triticum, & in lolium conuerti. Hoc ipsum olim maiores nostri in Polonia & fecerunt, & tum statuto publico adiunctis pænis cauerunt: tum omnium ordinum Spiritualiũ & secularium sancta confæderatione [sub fide & honore promiserunt, se contra hæreticos cuiuscunq; gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint, in eorum destructionem consurgere velle, etiamsi sanguine affinitate, & quacunq; propinquitate forent coniuncti] Cuius statuti & cõfæderationis rigor, si prout ab initio, ita in posterum ad nostra vsq; tempora perdurasset non equidem nũc tot funesta animarũ funera lachrymosis oculis intueremur. Verùm quia Cvm Dormient Homines, tam ii qui imperii, quam qui Ecclesiæ clauum gubernãt, hæc hęresium Zizania super seminata sunt, ferenda sunt quæ superari nequeunt.

Quod olim viguit in Polonia.

Rex VVladislaus Iagiello statuit Anno Dõi: 1424 Cõfederatio verò facta est Anno D. 1438 Vide in statutis regni.

Et idipsũ in Ecclesia vsu venit in aliis quoq; sceleribus. Inuadunt exempli gratia milites pagos, & colonos depopulantur, inuolant exules & prædones in oppidum aliquod, manu armata fortiq;, quod fit non raro in Italia. Quid? conuocabitnè Magistratus ciues ad capiendos illos? Minimè verò. Cur? Nunquid proscripti & homicidæ nõ sunt? digniq; qui non solùm capiantur, sed etiam vltimo

Idẽ patet in aliis vitiis.

afficiantur ſupplicio? Digni ſanè: ſed ideò abſtinendum eſt NE SIMVL CVM EIS ERADICETVR TRITICVM, multiq; & fideles Deo principiq;, & viri boni pereant atq; mactentur. Videre hoc licèt in Dauide; qui licèt glorietur coram Domino dicens: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem*, tamen idem Dauid Ioab ſceleſtũ & bis fraudulentum homicidam, viuere permiſit ad extrema vitæ ſuæ tempora, non alia de cauſa, niſi ne cum ZIZANIIS iſtis periret multum tritici, quando ducem exercitus bellicoſiſſimum comprehendere voluiſſent, quo periculo ceſſante præcepit Salomoni, vt eum morte mulctaret, quod & factum eſt. Habeāt principes & iudices exemplum, quomodo ſe gerere hac in parte debeant. Habeant Catholici ex ſana ac Euangelica doctrina quæ apud illos viget, conſolationem præcipuam, & ſolidam. Neq; verò moueantur hæreticorum ſuauiloquentia, vel potius fraudulenta loquacitate, qua Eccleſiam Chriſti in odium inducere conantur. Habeant cùm Miniſtri: tum verò ab iis ſeducti inuitamentum, vt redeant ad fidem veram, à qua aberrunt, videntes tot fraudes & hypocriſes ſuorum: tantam verò ſynceritatem, & cordis, oriſq; ſimplicitatem Catholicorum: tot deniq; & tam eximios Chriſti Domini in Romana Eccleſia triumphos, quot iam & enumeratos, & com-

Exemplum Dauidis.
Pſ: 100. 8.
NOTA
3 *Reg:* 2. 5.

& comprobatos animaduerterunt, septem omninò.

Hic enim in Catholica eademq; Romana Ecclesia seminator est Christus; apud hæreticos verò ipse diabolus, ipsismet testibus. Suma doctorum & signa ecclesiæ. 1.
Hic vna est fides omnium in toto terrarum 2.
orbe: illic multæ & variæ perfidiæ, in variis angulis mundi. Hic piè sanctèq; creditur Deus, 3.
non nisi bonum semen seminare in agro suo: illic Deus auctor peccati constituitur, & impia maledicentia proscinditur. Hic verbum 4.
Dei clara luce vbiq; spargitur: ibi verbum INIMICI Christi noctu in penetralibus & angulis domorum occultè & fraudulēter disseminatur. Hinc semen Euangelii pro- 5.
pagatur inter Gentes, vbi Christi nomen incognitum antea fuit: illinc semen diaboli nō nisi in agro iampridem diuino semine sato, superseminatur, Hîc in MEDIO TRITICI 6.
reperiuntur ZIZANIA idest, in medio Ecclesiæ, sunt etiam impii: ibi secundum opinionem illorum purum triticum; secundum nos & veritatem, sola sunt Zizania. Hic deniq; permittuntur Zizania crescere vsque ad messem, prout Christus Dominus permansura ea prædixit, tum in vniuersa ipsa etiam Ecclesia, in qua non solùm alia scelera, sed & hæreses occultæ inueniuntur (de occultis em̄ nec iudicat, nec iudicare potest Ecclesia) tum in particulari. Zizaniis parcitur vbi periculū est, ne dum tolluntur Zizania, eradicetur e-

tiam triticum ſublato autem eiuſmodi periculo, licitè, iuſtè, ſanctè caſtigantur ſcelera, & tam hæreſum, quàm aliorum facinorum comburuntúr Zizania; non quidem igne æterno (de quo ſermo eſt Chriſti in Euãgelio) ſed incendio tẽporali, quod ſolùm in humana ſitum eſt poteſtate. Hæc inquam, docet, facitq́, conſtanter Eccleſia edocta & parabola hodierna, & vniuerſa ſcriptura.

Signa Synagogę Sathanæ. Secus Synagoga Sathanæ, quæ ſibi non conſtat, iam affirmans puniendos eſſe hæreticos, iam negans, & quod negat opere, nihilõminus exequens: quæ modò de ſcriptura gloriatur, patresq; cõtemnit & lacerat: paulòpòſt ſcriptura neglecta ad patres recurrit: iiſq; contra proprias regulas, innititur, quos tamẽ, ſicut & ſcripturam ipſam aut truncatè, aut fallaciter allegat: quæ deniq; omnia miſcet, omnia peruertit, omnia ſimulatione, mendaciis, calumniiſq; implet, vt paulò ante demonſtrauimus.

Concluſio. Quis ergò prudens, cordatus, & curã animæ ſuæ gerens, hæc & audiens & ponderans non conuertatur à mendacio ad veritatem, à ſimulatione, ad ſinceritatem, à turpi contrarietate, ad ſolidam conſtantiã? Facite, efficite, perficite qcunq; ab hęreticis decepti eſtis, oro, obſecro obteſtorq;. Neq; verò illud quod in mtẽẽ venire alicui fortè poſſet de Auguſtino, qui ſi propter hæreſim punitus fuiſſet, Eccleſia tanto doctore caruiſſet, quenquã mouere debet. Hoc ipſum enim argumentũ de quo-

Obiectio de S. Auguſtino ſoluitur.

uis facinoroso formare quis posset. Nunquid non solum in historiis, sed etiam in ipsa scriptura talia desunt exempla? Certè si moyses propter patratum homicidium, à Pharaone compræhensus & morte mulctatus fuisset, Iudæi tanto Doctore & legislatore caruissent. Apud probatos verò auctores sæpè legimus, ex præcipuis latronibus, insignes tum Christi athletas, tum vitæ spiritualis magistros extitisse. Cæterum talia, vt infinita generis eiusdem ad diuinam pertinent prouidentiã. Ecclesiæ & magistratus est, præsentia & publica iudicare, & punienda castigare: Dei est occulta scrutari, & futuris prouidere. Quid ni cogitemus? si is rigor, eaq; diligentia in puniendis hereticis olim viguisset, quæ hoc tempore vigere in Hyspania dicitur; quòd multò prius, quàm factum fuit, Ecclesia Augustinũ suo gremio restitutũ vidisset? Verum hæc, vt dixi, diuinæ sunt relinquenda prouidentiæ: magistratus autem est, suo muneri inuigilare. Equidẽ in hoc ipso facto Augustini laudare debemus diuinam prouidentiam, duplici nomine: tum propter conuersionem tanti viri tum quòd hic ipse Augustinus qui censebat non esse castigandos hæreticos, postea re benè considerata, experientia edoctus contrarium & sensit, & docuit, & quod docuit posteritati scriptum reliquit. Quare qui Augustinum imitantur errantem, sequantur & pænitentem, exemploque ipsius ad matrem suam,

Ex. 2. 12.

Au. lib. 2. ca: 3. cotra Epist. parã dũ & alibi

ſuam, quæ eos in Chriſto per baptiſma genuit conuerſi, ſobrie, iuſtè, & piè viuant in hoc ſeculo, vt hîc quidem gratiam, illic verò gloriã conſequi mereantur æternam, præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula, AMEN.

EVANGELIVM DOCTRINÆ.

CONCIO TERTIA.

Spes.

Ratio inſtituti Chriſti in parabolis

TAmetſi multas Chriſtus Ieſus Seruator noſter, dum populi erudiendi munus obiret, protulerit parabolas: paucas tamen, ſolisque tantùm diſcipulis interpretari voluit quaſdam. Teſtatur id D. Marcus, cùm inquit: *Sine parabola autem non loquebatur eis: ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.* Quibus in verbis duplicem phraſim ſacræ ſcripturæ nobis notare licet. Hæc enim interdum & negat fieri aliquando quod rarò euenit; & vniuerſaliter effert, quæ nonnunquam contingunt: vtriusq, hîc exemplum habes. Quamuis autem nil dubitauerim, plures paræmiarum ſuarum expoſitiones illum dediſſe, quàm ſcriptæ fuere: tamen neque ambigo, propterea tam paucas ſcriptis eſſe traditas, vt & plebs ad Paſtores, Doctoresque in expoſitione ſcripturæ recurrat; & illi huic curæ maximæ præ cæteris incumbant. Qua etiam de cauſa, dum

Mar: 4.34

parabo-

parabolas Saluator noster exponit, tam moderatè & breuiter id facit, vt & intacta non pauca, & difficultates plurimas in eisdem relinquat. Videre id licet, sicut in aliis, ita in hac quã præ manibus habemus parabola, eiusq; explicatione. Cuius dum insistere volumus interpretationi, id pro virili efficiemus, vt difficultates quæ in ea occurrũt dissoluantur, doctrinæ morales excerpantur, spesque viua in nobis excitetur. Da benignissime seruator, ita nos hæc perficere, vt semen tuum sanctum maneat in nobis fructumq; faciat in vitam æternam.

Prop. Euãg. explicabitur cũ doctrinis; & spes erigetur.

In parabolis Christi Domini, per regnum cælorum, Ecclesiam ipsius designari, testis est, eiusdem Ecclesiæ pastor vniuersalis D. Gregorius. Cuius opinio ita mihi placuit semper, vt putem plerasq; hoc in sensu intelligendas esse. Voluit enim Christus Dominus Ecclesiæ suæ initium, progressum, statum, normam, sacramenta, & varia quæ in illa exercenda erãt munia, hac parabolarũ varietate adumbrare. Hoc cùm alibi, tum verò in eo capite D. Mathæi, vnde hodiernum desumptum est Euangelium, videor mihi videre. Octo enim in eo ab eodem parabolæ afferuntur, quæ omnes ad dictum finem videntur collimare. *Semen* namq; ex quo Ecclesia generatur, & initium sumit, *est verbum Dei:* ipso Christo interprete: quod qua nam ratione seminetur, & quomodo ab aliis quidem reiiciatur, ab aliis vero recipiatur

Gre. hõ. 12 *in Euang.*
Regnũ cælorum Ecclesieãdesignatur.

Declaratur id in octo parabolis hui⁹ Capit.
Luc. 7. 12

cipiatur, receptumq; conseruetur, primâ parabola edocemur. Huic succedit hodierna, cuius est institutum demonstrare: tum, vbinam semen hoc, vnde Ecclesia excrescit, sit seminandum: tum quomodò ex eo filii Dei oriantur: tum verò quō arte mali dæmonis superseminantis zizania Ecclesia infitiatur hæresibus, & variis vitiorum generibus quæ vsq; ad consumationem seculi perdurabunt. Duæ verò quæ hanc subsequuntur, de grano sinapis, & fermento, docent nos quō ex paruis & abiectis principiis dilatanda sit Ecclesia per vniuersum orbem. Sequuntur aliæ duæ, de thesanro in agro abscondito, & pretiosa margarita; quibus valorem & pretium ingens huius seminis, quod non alibi, quomodo in Ecclesia reperitur, nobis ob oculos ponit, & quomodo quærendū ac conseruandū sit, docet. Septima de sagena missa in mare omnis generis pisces in se complectente, eundem pene, quem hodierna, scopum habet: Probat enim in Ecclesia vbiq; diffusa bonos & malos semper futuros. Postrema describit scribam seu doctorem in regno cælorū, quod est Ecclesia, proferentem de thesauro cordis sui omnia doctrinæ, & virtutum genera, ad ædificationem & augmentum eiusdem Ecclesiæ. Hoc solido iacto fundamento ad explicationem hodierni Euangelij nos accingamus. Ait itaq; Christus Dominus.

SIMILE FACTVM EST REGNVM CÆLORVM

LORVM HOMINI, per hunc hominem seipsum intelligit, vt ipse interpretatur. Estq; sensus perinde agitur, ageturq; in Ecclesia mea, ac si ageretur cum bono aliquo patrefamilias.

QVI SEMINAVIT BONVM SEMEN IN AGRO SVO Ita etenim ego in agro meo, q̄ est vniuersus mundus, seminare institui, bonum semen, bonum verbum, optimum Euangelium, vnde oriatur & excrescat Ecclesia mea, & *filij regni*, homines videlicèt, ad regnum primum Ecclesiæ, postea verò cælorū, destinati. Benignissima sanè & liberalissima promissio. Sit nomen eius hoc quoq; nomine benedictum in æternum. Dum autem Christus per semen bonum filios regni vult intelligi, ponit effectum pro causa. Ex bono enim semine *Quod est verbum Dei* (vt ipse in prima parabola exponit) generantur primum quidem filii regni huius, Ecclesiæ videlicet, tum verò hæredes regni cælestis, quod inprimis Magister cælestis intendit, ac desiderat.

Seminis boni varia acceptio. *Ma. 13. 38* *Luc: 8. 11.*

Posse autem per filios regni intelligi etiam condemnandos, dum sunt in Ecclesia, docet Saluator; de Iudæis loquens: *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Ex quorum numero ne nos quod absit, reperiamur, danda est opera dilectissimi, vt per spem viuam curramus ad *destinatum* nobis *brauium* regni cælestis. Viuam

Filij regni nonnūquā etiā mali. *Mat: 8. 12*

Remedium spes viua. *Ps. 3. 14.*

autem ſpem habebimus. ſi hoc ſemen ſanctũ non ſolùm fidem rectam, ſed etiam digna fidei opera, operabitur in nobis; quod tamen non fiet otioſis nobis, & multò minus contraria huic ſemini vitia & ſcelera germinantibus, ac in ſola fide & nomine Chriſtiano gloriantibus. Sicut multi proh dolor faciunt: quorum ſicut fides mortua, ita ſpes eſt inanis. non minus ac Iudæorum, quos hîc Chriſtus Dominus perſtringit; & licèt *filios regni* vocet, orco tamen addicit. Tales autem ſunt omnes ſiue Iudæi, ſiue Chriſtiani, de quibus dicitur parabola.

Dormiẽtes duplices. CVM AVTEM DORMIRENT HOMINES. Qui homines? Illi, inquam, qui dormitando diuinum ſemen ſuffocant; qui diuinas inſpirationes; quæ illos excitant ad benè credendũ, operandumq́; repudiant. Quamuis enim quid per homines dormientes intelligatur, Chriſtus nõ explicat: tamen dubium non eſt, iuxta conſenſum Sanctorum eos notari; qui tum propriæ; tum ſibi creditarum animarum aut nullam, aut negligentem curam gerunt. Euigila quiſquis es talis, & in quantum te coniicias periculum, tuam tuorumq́ue perdendi animam ſolerter animaduerte. Ad talem enim:

Ma: 13. 39 VENIT INIMICVS EIVS: Quẽ diabolum eſſe Chriſtus interpretatur:

Zizania omnia peccatorum ge- ET SVPERSEMINAVIT ZIZANIA, per quæ omnia vitiorum genera intelligũtur,

tam

tam fidei quàm morum. Id enim notasse videtur ipse Christus Dominus, asserens in consummatione seculi, *Angelos suos* collecturos *de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem*, missuroq; *eos in caminum ignis.* Rationem iam aliâs dedimus. Cum eñ peccata nec esse, multò minus puniri per se queant (nihil enim sunt) in iis, qui faciunt iniquitatem castigabuntur, in camino ignis ardentis seculis nullo æuo finiendis. Dum autem addit Saluator diabolum hæc Zixania superseminasse.

nera cõplectuntur.

Vers: 41.

In Medio Tritici, clarè demonstrat sermonem hîc esse nõ de infidelibus, sed de iis, qui crediderant, & per fidẽ semen Christi receperant. Videturq; esse explicatio illius membri præcedentis parabolæ, de semine quod cecidit inter spinas, & suffocatum est. Sicut enim ibi per spinas; ita hîc per *malæ sollicitudines, diuitiæ, & voluptates* intelliguntur. Cum ea tamen differentia, quòd ibi pręcipuè notentur qui vitiis obsiti, recipiunt Euangelium, hîc verò qui post receptum dant locum tentationibus diaboli, & vitia heresèsue complectuntur.

Eorũ q̃ sun vel fuerun in Ecclesia

Luc. 8. 14

Cæterum antequam ad doctrinas morales deueniamus, parabolam vel eius partem pręcipuam, vnde facilè reliqua colligi possunt; literaliter explicemus. Continuat igitur hac quasi ratione Christus Dominus sermonem suum: Quemadmodum inter homines accidere

Sẽsus literalis parabolę

dere solet, aliquem tantò in vicinum suum flagrare odio & inuidia: vt cum illi, in re grauiori, propalam non valeat nocere, noctu, in agro eius bono semine consito, superseminet Zizania, vnde inutiles, nociuæ, & sementem patrisfamilias, tum deturpantes, tum incommodis afficientes herbæ excrescunt: Ita vsu veniet in mea Ecclesia, in qua hostis meus capitalis diabolus, cùm mihiipsi nocere nequeat, sementi Euangelii, per totum terrarum orbem disperso, docere, & Zizania tum infidelitatis; tum omnis impietatis, tã per se, quàm per ministros suos, occultè, fraudulenterque disseminare studebit: dormientibus interim, quibus maxime à somno tali oculi sunt aperiendi. Indeq; orientur & excrescent homines *nequam*, scelerati; Deo odibiles, in Ecclesiam sponsam meam tum iniuriosi, tum illius deprauatores.

Doctrinæ morales.

Ex his colligimus. Inprimis malum & peccatum non ex Deo (vt in alia concione fusius docuimus) prouenire, vt impii volebant hæretici. Is eñ non nisi bonum semen seminat: sed duplici alio ex Capite: nempe ex malitia inuidiaq; dæmonis Zizania seminantis, & ex nostra socordia ac negligentia, quæ somnum noxium, oculis inducit mentis. Videre id licet nostris inprimis parentibus, qui semine optimo & vberrimo in ipsa creatione à Deo dotati & ditati, quamdiu solerter vigilarunt, nil mali passi sunt: At verò postquam Eua negligentius

Prima peccatũ nõ esse à Deo. sed ex nobis & dęmone.

Exẽplo sint primi parẽtes.

Gen. 3.

gentius ſalutem ſuam operari, ac curioſius & cum Sathana ſermones miſcere, & lignum vetitum intueri, hacq; ratione ſomnum oculis mentis ſuæ inducere cœpit; ecce vafer ſerpens adfuit, Zizania mendcaiorum diſſeminare orſus, eliciens conſenſum, obtinuit, & ſuo mendacio miſeros in præuaricationem præcepti diuini impulit: Euã quidẽ p ſeipſum, Adamũ verò per Euam. *Propterea per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*, teſte D. Paulo, graphicè nobis omnibus peccati cauſam deſcribente. Rom. 5. 12.

Quid præterea? Habemus hic primam & præcipuam peccati noſtri originem eſſe ex nobis: ideò & Apoſtolus originalis peccati cauſam Adamo adſcribit: & Chriſtus in parabola prius dormientis hominis, poſtmodùm ſeminantis diaboli mentionem facit. Non eſt igitur quod culpas noſtras vel in dæmonem, vel in alium coniiciamus, vt primi parentes noſtri inaniter & fruſtra fecerunt. Quod vtinam nos moueat, ne contrarium ſit nobis in vſu. Id enim fit tam frequenter, vt iam in prouerbium abierit, excuſantẽ ſe filium Adami nuncupare. Non ineptè id quidem, nec infructuosè in illis, qui caſum recolentes à vitio ſibi temperant; quod vt ab omnibus vobis fiat rogo & moneo.

Secũda Doctrina nos eſſe primã peccati cauſam.

Gen. 3.

Tertia Excuſantes ſe filios Adæ nũcupari.

Quis enim excuſationi locus eſſe poteſt, cum vigilare iuſſi dormimus? An non hoc fit, in quouis etiam minimo peccato? quãtò ma-

Quartus excuſationi null' loc'.

gi-

9. Vigilãtia quamstricte pcipiatur. gis in graui? Enimuerò num deest vel ipsa scriptura, quę nos ad vigilantiam exhortatur? At quid aliud filius Dei nobis inculcauit magis, quàm vigilantiam, tum parabolis patrisfamilias, fatuarum virginum seruorum, ianitoris, & aliis eiusdem generis: tum comminatione extremi iudicii? hinc illud *vigilate itaq́ʒ, omni tempore orantes.* Et alibi *vigilate ne cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autẽ vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Quam clausulam nescio an vnquam aliâs adiecerit, vt intelligas, quàm cordi sit illi nostra vigilantia. Et meritò sanè. Nam vt alia taceam, in Euangelio audis non prius accessisse dæmonem cũ Zizaniis suis, quàm dormirent homines. Hoc qui volet in seipso animaduertet facilè; hoc in quauis congregatione videre licet; hoc in ipso Ecclesiæ regimine conspicuum est: hũcq́ʒ præcipuum esse parabolæ istius sensum volunt multi, etiam ex antiquis. Dormientibus enim prælatis, & turpes hęreses in fidem, & grauia ac vniuersalia peccata, in mores inuehuntur subditorum: quibus postmodùm medendis cura difficilis adhibenda est.

Ma: 24. 43 Mat: 25. 13 Luc: 12. 37 Luc: 21. 36 Mar. 13. 35

Prælatis duplici nomine. Hæc considerent velim, quorum interest maximè, illi inquam quos *constituit Dominus super familiam suam,* qui non solùm conscientię suæ; sed etiam gregi sibi credito inuigilare debent, rationem seueram pro omnibus reddituri. Expressit hoc Apostolus Paulus, & ita expressit, vt non satis illi fuerit vigilantiæ meminis-

Luc: 12. 42 Heb: 13. 17

se, sed addidit exaggerationem. Verba ipsius sunt. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Discant igitur subditi reuereri & obedire prælatis: discant prælati, non inuigilare tantùm, sed summa cura & sollicitudine peruigilare in custodiendis & excolendis animabus suæ curæ commissis, memores se pro singulis rationem rddituros Deo: ne & sui, & aliorum, & ipsius Ecclesiæ (ex parte) interitus sint causæ. Quanta mala, ex vna præpositorum inuigilantia?

Neq; verò illis tantum, sed & nobis omnibus incumbit VIGILARE cùm corpore, tùm vero animo. Corpore quidem, vt somnus sit moderatus. Etenim naturali lumine teste, [diuturna quies vitiis alimenta ministrat] Caue ergò ne Ethnicus iste olim surgat in iudicio, & condemnet te: qnod de regina Austri & Niniuitis Iudæis futurum Christus est cominatus. Qui quidem IESVS adeò corporis vigilantiam commendauit, vt & à somno necessario, toties excitaret Apostolos, & tentationũ causam somno illorum adscriberet. Multò magis autem animi vigilantia est necessaria, sine qua vigilia corporis in vitio est. Quantò satiùs facerent lurcones nocturni dormiendo, quam ad commessationes, ebrietates, scurrilitates, turpiloquia, saltus lasciuos, & cæteras impudicitias vigilando?

7. Etiã corpore vigilãdũ omnib⁹. Cato. *Luc. 11. 31.* *Mat. 26. 40.* 8. Multò magis mente.

Mentis autem vigilantia in eo imprimis sita est, 9. Mẽtis vi-

gilia in trib' constitit. est, vt animo firmiter constituas tuo, quæuis
NOTA. aduersa, & mortem ipsam potiùs oppetere,
In constanti proposito quam diuinam bonitatem lethali peccato offendere, à qua cogitatione ne minimum quid remittas: quamprimũ enim remiseris, statim
In cauta circũspectione oriri incipiet somnus spiritalis. Deinde, ne postquã INIMICVS accesserit, des suggestionibus eius vllum assensum: sed contra fortiter manibus mentis tuæ eas vel declines, vel reiicias: declinabis autem, occasiones fugien-
Simile. do, reiicies verò principiis obstando. Sicut enim qui in duello certant, non solum excutiunt; sed etiam circumspectant acerrimè, quomodo ictus aduersarij, aut repellere fortiter, aut dextrè declinare possent: ita omninò in conflictu spiritali, spriritualiter nos gerere oportet. Postremò adhibẽda est ad vigilantiã
In iugi oratione. ORATIO. Hanc princeps Apostolorum Petrus nobis cõmendat dicens: *Estote itaq; prudẽ-*
1 Pet: 4. 7. *tes, & vigilate in orationibus*: De hac D. Paulus.
Col. 4. 2. *Orationi instate vigilantes in ea.* Hanc deniq; ipse
Ma: 26. 41 Christus inculcat, & Apostolis in horto, &
Luc: 21. 36 omnibus alibi, vt vidimus. Neq; verò obiter, & perfunctoriè, sed vigilare in oratione *omni tempore* iubet saluator. Et meritò quidem id dicunt omnes. Summæ etenim imprudentiæ est, dum nos hostis noster capitalis premit, aut somno se dare, aut opem eius non implorare, qui nos ex faucibus illius eripere valet. Neq; verò sis securus etiam si in parabola dicatur.

Et Abiit

Et Abiit: Redibit enim paulò post. Nunquid tu plus tibi polliceberis, quàm ipse Christus? de quo scribitur: *Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo, vsq; ad tempus?* Si ad tempus tantum̃odo discessit ab eo, quẽ superare impossibile illi fuit; tu tibi de securitate applaudes, quem & prostrauit multoties, & debilem ac titubantem conspicit quotidie? ne erres obsecro. Sed quæris. Cur ergò abiisse dicitur? Tum ideò, vt plenior sit parabola: tum vt fraudes eius agnoscas, qui miro artificio tàm se, quam doctrinam suam vult latere: quod facit, dum perfidiam sacramentis ornat: dum suos Euangelicos vocat; dum vitia virtutum nominibus palliat: dũ patrato scelere rẽ extenuat, dum aliis artibus tamdiu se occultat, donec eueniat quod sequitur.

Securitas fugienda.

Luc: 4.13.

Cur abiisse Sathan dicitur.

Cvm Avtem Crevisset Herba. Neq; id est satis. Sicut enim ex herba dum adhuc tenera est, nõ nisi à peritissimis frutex cognoscitur: ita difficulter ꝓditur fraus dæmonis pulchris cõciñata verbis, ꝓpterea additur.

Zizania cognoscuntur. 1. Ex herba difficulter.

Et Frvctvm Fecisset. Non enim cuiusuis est ex sermone statim intelligere, quæ sementis sit bona, quiue boni aut mali seminatores (nisi ipsi apertè se prodant) ideò expectandus est fructus operum. *A fructibus enim eorum cognoscetis eos inquit saluator.* Et in hæreticis quidem, de quibus ibi est sermo, nõ quiuis fructus, sed illi qui ex doctrina fluunt sunt considerandi: qui certè in nostri tempo-

2. Ex fructu orto ex doctrina.

Mat: 7.16.

ris hæreticis nimis sunt euidẽtes. Ex illa enim doctrina de sola fide iustificante, qui non pessimi fructus pullulant? Idemq; de aliis vitiis quæ hypocrisi sunt contecta sit iudicium. De quibus tandem verum erit, quod subditur.

§. Ex ipsa turpitudine

TVNC APPARVERVNT ET ZIZANIA. Nigredo enim ipsa, turpitudo, asperitas, amaritudo, hisque similes qualitates produnt

Obiectio.

ZIZANIA. Quid inquis audio? contrarium iis quæ experior? Quid dulcius voluptatibus carnis? Quid mollius deliciis & diuitiis? Quid pulchrum magis, quàm ab omnibus suspici & honorari? Honos autem nonne adulatione, profusione, ambitione, audacia quoq; & vindicta propria, hisq; similibus artibus, &

Ars dæmonis obseruatu digna.

acquiritur, & conseruatur? Hæc est ars dilectissimi mei, qua draco ille Apocalipticus, ab ipso mundi exordio vsus est, & præualuit; atque etiam nunc, proh dolor, in multis superior euadit. Nunquid non videtis id ipsum in Eua prima parente nostra? cuius quatuor sensus, visus, gustus odoratus, & tactus, de fructu ligni vetiti contrarium planè iudicabant, quod auditus à Deo acceperat, nempe mortẽ generaturum cibum illũ? Sequuta Eua quatuor sensus, neglecto quinto, in quantas se totumq; genus humanum congesserit ærumnas, nouimus, sentimusq; omnes. Nihilominus tam insipientes erimus, vt iisdem artibus nos à Sathana deludi patiamur? Dulces, pulchræq; sint licet voluptates, & alia quæ recensui-

censuimus, quæue recensere debuimus, sensibus nostris, internis & externis, imò ipsi quoque deprauatæ naturæ: at verò cum auditus noster Christi fide illustratus certum in iis nobis interitum minatur, par est equidē, vt illis neglectis, huic assensum præbeamus. Fiat obsecro, & per viscera misericordiæ Dei, vestramq; salutem vos obtestor antequā veniat eradicatio, de qua in parabola sequitur.

ACCEDENTES AVTEM SERVI PATRISFAMILIAS. Quid per hoc intelligatur non explicat Christus Dñus: ideo alii angelos, alii zelosos Catholicos intelligi volunt. Melius hos postremos. Sæpe enim zelarunt homines petieruntq; à Deo vt perirent impii é terra. Et quodammodo? Serui homines zelosi.

DIXERVNT EI; DOMINE NONNE BONVM SEMEN SEMINASTI IN AGRO TVO? Hoc enim norant: Nec mirum, quia in seminando adiuuant Deum: ideo ab Apostolo *Dei adiutores* vocantur. At mirum eos ignorasse, quòd rogant. 1. Cor. 3. 9.

VNDE ERGO HABET ZIZANIA? Ex qua difficultate facile nos expediremus, secūdum illam paræmias interpretandi regulam, vt quæ principali Christi instituto conueniunt assumamus, reliqua credentes propter pleniorem parabolam dici, relinquamus. Cæterum quis prohibet, in verbis sapientiæ patris, sapientiā & mysteria nos quærere? Quis nouit id non ideo dictum, vt cognoscamus, Cur interrogent vnde zizania.

 quam

quam ſit intellectu difficile, vnde ZIZANIA & malum procedat? Nam licet iam Catholicos id non lateat: latuit tamen olim & omnes Philoſophos, & quoſdam ex hæreticis; & verò etiam nunc latet, vt in alia concione demonſtrauimus. Eſt igitur quod diuinæ bonitati gratiæ referantur, qui nobis hoc reuelare voluit. Dicitur enim.

ET AIT ILLIS Seruis quidem paterfamilias, nobis verò Deus.

Inimic⁹ hō: diabolus.

INIMICVS HOMO HOC FECIT. Quis verò ſit iſte, interpretatur dicens, *Inimicus autem qui ſeminat ea*, id eſt ZIZANIA, *eſt Diabolus*

Verſ. 39.

igitur eſt auctor mali. Non quidem ita vt impii Manichæi volebant, qui illum pro Deo malo habebant, pugnante & ſæpe vincente Deum bonum: ſed auctor eſt mali, quia ipſe Lucifer, & in ſe ipſo ſeminauit malum ſuperbiæ, & in aliis apoſtaticis ſpiritibus ſuggerendo, perſuadendo eis rebellionem, ac inobedientiam. Hoc ipſum & olim fecit hominibus, tum exteriore ſpecie apparendo vt Euæ: tum interius ſuſurrando, vt Caino, & nunc præſtat dormientibus; hacq; ratione ſceleſtus multos in ſuam ire fecit ſententiam.

Quō ſit authormali.

Dicitur autem INIMICVS Diabolus, quia hoſtis eſt & Dei, & noſter: vocatur HOMO, quia humanitatem & amicitiam fraudulenter ſimulans, mentibus noſtris ſe inſinuat: odium autem olim crudeliter euomendum in pectore ſeruat. Pudeat, pigeatq; nos illius conſilia,

Cur ita vocetur.

consilia, vel nolle cognoscere, vel velle sequi. Sed videamus, dum hæc facimus, quo in periculo simus.

SERVI AVTEM DIXERVNT EI. Iam diximus per seruos Zelosos Christianos, intelligi. Qui promptum animum ad obsequendum & Zelosum ad vindicandam iniuriam domino suo illatam ostendentes aiunt.

VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA? Zizania videlicet; quæ exponens Christus inquit *Zizania autem filij sunt nequam* id est, diaboli filii sunt (est enim genitiuus in Græco) Turpe agnomẽ, & ignominiosum nimis presertim Christianis, nec infrequens in ore; & Apostolorum, & ipsius Christi Domini, vt nos à peccando absterreant. Dicuntur autem peccantes filii diaboli, quod similitudinem eius gerant: quòd ductum eius sequantur, quòd imitentur, quòd inuocent, quod instrumenta sint diaboli: Hinc illæ Christi & Apostolorum voces. *Qui facit peccatum ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat* (quem talis imitatur) Hæc Ioannes, Christus verò ad Iudæos: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat, ab initio, & in veritate non stetit.* Et explicans addit: *Quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum,* Quis eque ductum alterius sequitur, quàm is, qui desiderium ipsius implet? Quid verò magis simile diabolo, quam & veritatem nolle recipere, & homicidia aliaq; scelera

Mali dicti tur filij diaboli, quinq; de causis. NOTA

1. Io: 3. 8.

Ioa. 8. 44.

Ibid. ℣ 40

lera velle patrare? Deniq; sic D. Paulus alloquitur Elimam Magum (Magi autem est Sa-
Act:13.10. thanam inuocare) *Fili diaboli inimice omnis iustitiæ, nō desinis subuertere vias domini rectas.* Cur ita? Vtebatur quippe eius opera ad id diabo-
Examen. lus. Sicut & Iudæ ad tradendum IESVM. I-
Io: 6. 70. deò Iudas non solùm filius diaboli, sed *diabolus* nuncupatur à Christo. Habent in peccatis constituti normam & regulam è scriptura decerptam, iuxta quàm suas discutient conscientias, dabuntq; operam, vt & à tam infami nomine se vindicent, & tantum tyrannum dorso suo incubantem excutiant, & à periculo sese liberent. Nam quod sequitur in parabola.

Timendū esse impiis, pbat. ET AIT, Deus videlicèt per patremfamiliâs præsignatus.

1. NON, id est, nolite colligere Zizania: Hoc inquam non securitatem (vt quidam existimare potest) sed timorem incutit obstinatis, tùm quod prohibitio ista ad Ecclesiā totam in qua bonis mali semper miscebuntur, non
Rom.13.4 ad singulas personas sit referenda. His enim expresse dicit Apostolus. *Si malum feceris time* (magistratum) *non enim sine causa gladium portat,* sed ideò, vt te tanquam mala Zizania era-
2. dicet ex hac vita: Tum quòd etiamsi occulta essent delicta tua, vel talia in quæ magistratus non animaduertit; est nihilominuus quod timeas considerans Deum solùm te defendere, quem tu offendis: Deus enim prohibet ne

siue

siue à bono, siue à malo Angelo, siue etiam ab homine macteris; quod si fieret statim in infernum præcipitareris. Qua in re licet bonitas patientia, misericordia eius immensa declaretur, tu tamen caue, ne patientia in furorem vertatur, ideò contremisce, & fac vt timor dolorem pariat, dolor resipiscentiam, resipiscentia spem, spes autem non confundat. Quod vtinam fiat. Sequitur in parabola. Timor spē eliciat.

Ne Forte Colligentes Zizania Eradicetis Simvl Cvm Eis Et Triticvm. Dat rationem cur id prohibeat. Sensus est, Ne fortè volentes occidere, & perdere filios nequam, impios & sceleratos; perdatis pios ac bonos. Hæc quomodo sint intelligenda disseruimus in aliis concionibus. Iam duo verba notamus. Alterum Forte Non enim semper id fit, imò neq; frequenter: ideò non negligenda administratio iustitiæ, qua de re paulòpòst. Alterum Eradicetis. Demeti enim malum & potest, & debet ab iis, quorum interest: funditus eradicari non potest, propterea subditur: Scelera demeti debēt. eradicari nō possunt.

Sinite Vtraq; Crescere Vsq; Ad Messem. *Meßis consummatio seculi est*, Christo interprete. Quo tempore perfectè eradicabitur totum malū semen ex Ecclesia Dei, quòd nunc est impoßibile. Modum autem describit dicens. Eradicabuntur autē in extremo iudicio.

Et In Tempore Messis. Tempore

videlicèt extremi iudicii.

Per Angelos enim. DICAM MESSORIBVS *Messores Angeli sunt*, ait IESVS. Itaq; neq; nunc sed tunc, neq; per homines sed per Angelos hæc eradicatio fiet. Tunc enim dicetur Angelis.

1. Colligētur COLLIGITE PRIMVM ZIZANIA *Filios nequam* qui pleni sunt Zizaniis scelerum & peccatorum. Neq; id est satis. Nam subdit.

2. Alligabūtur. ET ALLIGATE EA IN FASCICVLOS. In hac vita n. sunt libertate à Deo donati & soluti, vnde culpa sua fiunt dissoluti: in illa autem alligabuntur vt non solùm non possint quod velint, sed insuper alligabuntur.

3. Cōburentur non tñ modo consueto. AD COMBVRENDVM. Neq; verò eo modo quo hic & homines & res aliæ comburuntur, & in fauillam rediguntur, vt non sint. amplius; sed ea ratione, quæ alibi exprimitur *Et ibunt hi*, (filii videlicèt nequam) *in supplicium æternum*. Æternum igitur durabit combustio, impiorum. Cum bonis verò quid fiet? Subiūgitur & concluditur parabola. *Matt: 25. 46.*

Boni verò reponētur in cælo. TRITICVM AVTEM CONGREGATE IN HORREVM MEVM. Ac si dicat: sicut bonus paterfamiliâs triticum congregare iubet in sua horrea: ita Deus Opti: Max: electos suos, homines videlicèt sibi & fideles, & morigeros, præcipiet locari in cælestibus domiciliis, vt ibi maneant & lætentur in perpetuum. Hæc quantum ad literam attigisse sit satis. Priora enim huius mandati diuini verba prima concione iam sunt explicata, posteriora

tiora ad vltimam pertinent.

Quare ad ea quæ promiſimus iã veniamus, & oſtendamus, tum æquitatem huius decreti Chriſti ſaluatoris: tum quibus nam eius exequutio ſit commiſſa: tum deniq; qua ratione inde in ſpem erga Deum viuam erigere nos debeamus. Aequitas ſanè vel ex eo ſatis liquet; quod à Deo id proceſſerit, apud quem omnia iuſta, omnia ſancta, omnia æquitatis ſunt pleniſſima, ſiue ſciamus ſiue ignoremus conſilia & rationes eius. Itaq; cum is pro infinita ſapientia & prudentia ſua cẽſuerit in area ſua necdum triturata oportere eſſe triticum, paleas, & Zizania ſimul, vſq; ad conſuñationem ſeculi; iuſtum eſt id ita fieri. Cuius rei dari poſſunt hæ quoq; cauſæ. nempe, ne aut libertas creaturæ rationali conceſſa, vel in minimo lędatur; aut mutabilitas naturæ humanæ minus appareat omnibus; aut locus peregrinationis & exilii loco patriæ hac in parte adæquetur, quod fieret, ſi quemadmodum in cæleſti, ita & in terreſtri Eccleſia ſoli tantum ſancti reperirentur.

CONCLVSIO tria docet. PRIMO æqtatẽ decreti Chriſti Dominiq̃ pater. 1. 2. 3. 4. 5.

Elucet verò etiam hoc in negotio iuſtitia diuina inde, quod non abſolutè & ſimpliter præcipiatur ne Zizania conburantur, id eſt, ne puniantur peccatores; ſed vel ne eradicentur funditus; cum id ſit impoſſibile: vel ne cum magno tritici detrimento caſtigentur, quod eſſet imprudentiæ. Ceſſantibus autem hiſce cauſis, tantùm abeſt id prohiberi, vt iubeatur

SECVNDO Magiſtratus ſecularis offm̃. Hi ñ. à puniẽdo abſtinebunt duplici modo.

 magi-

magiſtratus diligens eſſe in ſceleratis eradicã-dis proinde verba hæc dicta ſibi eſſe à Chriſto ſciant iudices. Illa quidem SINITE VTRAQVE CRESCERE in duobus illis, vel ſi qui ſunt iis ſimiles, caſibus. Hæc verò COLLIGITE PRIMVM ZIZANIA ET ALLIGATE EA IN FASCICVLOS AD COMBVRENDVM, quoties nulla dictarũ ſubeſt cauſarũ: tunc enim ſeuerè iudicibus & magiſtratibus præcipitur, vt ſceleratos puniant, vt in eos qui pleni ſunt Zizaniis, & gladio, & igne animaduertant. Notum eſt hoc in toto veteri teſtamento, vbi & leges variæ pænales, & iudices conſtituuntur. Neq; deſunt in nouo tũ præcepta, tum exempla. Quid eſt enim aliud illud dictum Chriſti. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt?* quam præceptio quædam, vt qui gladium propria auctoritate ſibi vſurpauerit, gladio à magiſtratu puniatur? vt rectè SS. Patres Græci & Latini colligunt. Idem D. Paulus docet expreſſè in loco paulò ante citato. Denique ſi propter mendacium D. Petrus Ananiam & Saphyram verbo interemit, quidni magiſtratui ſeculari, propter ingentia ſcelera cum verbó nequeat, gladio idẽ facere liceat? Licet ſanè, & expedit plurimũm propter hãc ipſam Chriſti Domini rationem. Si enim non ſunt eradicanda Zizania, ne triticum ſimul cum eis pereat, euidens certè eſt, auferenda eſſe quando ipſum triticum inficiunt & perdunt.

Extra quos puniẽdi ſũt ſontes.

patet id.

1. Ex veteri teſtamento.

2. Ex dicto Chriſti. *Ma: 26. 52*

Aug. tract 112. In Io: Cyril. li: 11 In Ioan: cap. 35.

Rõ· 13. 4

3. Ex D. Paulo.

4. Ex facto D. Petri. *Act. 5.*

5. Ratione Chriſti iñ Euangelio.

Quomo-

Quomodo autẽ id ſit faciẽdum, declarauit Chriſtus tribus verbis, triplex legitimi iudicis officium exprimens: quorum primum eſt Colligere, ſecundum Alligare, tertium Combvrere *Zizania: Hæc ſapientia patris ſapientiſſimè.* Quid verò dæmon? Fœtidiſſima & crudeliſſima hîc quoq; ſuperſeminauit Zizania. Videamus illa. *Primũ munus* eſt colligere. Colligere verò nemo poteſt, niſi prius inueſtiget & cognoſcat, quænam ſint vera Zizania. In cognoſcendis autem ſceleribus & peccatis, magni certè & graues à iudicibus cõmittuntur errores: tum negligentia, tum nimia (vt ita dicam) diligentia. Quot enim & quanta ſunt ſcelera, peccata, turpitudines toti penè viciniæ notæ; quæ tantùm abeſt colligi à magiſtratu, vt nec perquirãtur qdẽ? cũ ꝓpter negligẽtiã tum ꝓpter reſpectũ perſonarũ, toties in ſcriptura ꝓhibitũ, ob fauorem, amicitiã, cognationẽ, & eorum qui illa patrant potentiam: ipſa denique munera execranda. Contra verò alii in ſceleribus inueſtigandis & cognoſcẽdis plus æquò diligentes, perquirunt & occultiſſima quæq; & modis indebitis; Interrogãt tum eos, quos minimè deberent: tum de iis rebus, quæ ad cognitionem illorum non pertinent. De iis eñ quæ infamia notata non ſunt, ordinariè iudicibus ab interrogationibus ſuperſedendum eſt, multò minus autem quæ in ſecretò ſciuntur, paucis caſibus exceptis: minimè verò

Triplex offm. iudicis tribus Chriſti verbis notatum.

Primũ COLLIGERE.

Abuſus hic fiunt.

Tũ ex negligẽtia & reſpectu ꝑſonarum.

Tũ ex nimia diligẽtia & inueſtigatione.

omni-

omnium & nullo penitus in casu; eorum facienda mentio, quæ voluntaria confessione Sacerdoti manifestantur. Quæ hic (bone Deus) ordinis humani & diuini perturbatio? qui abusus? quæ iniustitiæ? quæ impietates & sacrilegia? Examinent iudices suas in vtroq; conscientias.

Secūdū ALLIGARE. Collectionem sequitur alligatio, in qua nō minus, sæpe etiam magis peccatur & grauius. Abusuum quinq; capita. Ita etenim peccant qui homines alterius iurisdictionis ad sua tribunalia trahunt: maximè 1. Pertractio verò si id faciunt Ecclesiasticis. Vtinam non 2. Suspicio. 3. Torturæ. fiat; peccant præterea, quando ob leuem suspitionem & coniecturam captiuant, affligūt, infamant proximos suos, peccant grauissimè & multis modis cum tormentis facilè subiiciunt: sæpè etiam innocenres, sæpissimè non seruata forma Iuris & æquitatis; Nempe non præmissis variis & solerter inuentis interrogationibus ad cognoscēdam veritatem aptis. 4. Diffamatio. Peccant dū adigunt, vt quis diffamet seipsum; multò magis vt diffamet alios; cum neutrum 5. Cōplices fieri debeat. Peccant, dum cogunt ad complices manifestandos, quod nonnisi in grauissimis casibus bonum Ecclesiæ, vel Reipub: concernentibus licet. O quam terribiles excessus, & crudeles innocentum torturæ, hinc prouenire solent? quæ vtinam iudicum aperiant oculos, ne ipsi propterea in multò maiora incidant aliquādo tormenta. Excusatio exēplo refutatur. At enim se aliter facere non posse asseuerant. Quis tam

ferox,

ferox, tam barbarus & imanis tyrranus talis legis auctor extitit? Vnde tanta inter homines, & quidem Christianos impietas? Sunt sanè florentissimæ Respub: quæ secus eo in genere se gerunt. Exempla vultis domestica? Noui ego hîc in Polonia Ciuitatem, in qua frequentius, quam in aliis scelesti puniuntur; & tamen rarò admodum, & vix vnquam etiam sontes torturis subiiciuntur. Non desunt enim aliæ inuestigandæ veritatis viæ. Cognita autem mortis sufficiente causa, quid est necesse progredi vlterius, præsertim in furtis, in quibus hic maximi fiunt abusus?

Postremum munus iudicum est comburere Zizania, id est mulctare etiã morte sontes. Sontes inquam, innocentem enim condemnare, summum nefas notatum à Daniele in duobus illis senioribus Babilonicis; quorum vnum sic alloquitur: *Inueterate dierum malorum nunc venerũt peccata tua, quæ operabaris prius iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios.* Vtinam inter Christianos nõ habeant imitatores! quorum alii ex respectu personarum dant veniam coruis, vexant columbas; alii ex auaritia liberant, quibus vitam donare nequeunt. Id enim nec supremo magistratui semper licet. Huc spectant, qui licèt iustè ex odio tamen, & vindicandi sese libidine condemnant reos. Quid illi, qui vna cum corpore animam simul perdunt proximi? qui nil pensi habent, vt qui morti sunt desti-

Tertium COMBVRERE sontes.

Dan:13.52.

Abusus hic quoque.

1. Innocentũ condemnatio.

2. Nocentiũ impunitio.

3. Odium.

4. Impietas.

destinati, & Sacramentis muniantur, & à Sacerdote ad locum supplicii deducantur? Procurant id quidem aliquæ nostrarum Ciuitatum, qua in re sicut laude sunt dignæ, ita optandum & satagendum vt alii omnes earum ductum sequantur.

TERTIVM in conclusione ẽ spei erectio præsertim in morte.

Denique exequutio huius decreti Christi Domini, non solùm iudicibus in Repub: non solùm Angelis in extremo iudicio, non solùm prælatis suo modo in Ecclesia, sed etiam omnibus nobis commissa est, tum in vita, tum in morte, ea ratione quam in prima concione explicuimus. Ne autem in morte sit infructuosa (qua infælicitate nil funestius excogitari potest) in vita frequenter in vsu est habenda, vt hac ratione spes viua sit, augeaturq; in nobis. Danda igitur est opera, vt continuo summa cum diligentia, nostra in nobis, colligamus Zizania. Nam idem omninò nobiscũ agitur, quod fit in Ecclesia. Sicut enim in Ecclesia nunquam desunt Zizania: ita etiam in sanctis hominibus, dum in hac vita manent, quantò magis in nobis peccatoribus nunquã deerit quod examinemus & colligamus. Addenda verò est etiam alligatio, illius imprimis rei, quæ maximè est soluta, liberi inquam arbitrii & voluntatis nostræ, quæ nec angustiis carcerum, nec vinclis compedum, nec vllis tormentis tyrannorum vnquam alligari potuit: sed nec Deus ipse vim ei infert, à nobis solis alligari ea potest, &, si Deo rebellis est, omninò

Valet ad id. 1. Frequẽs collectio p examen.

2. Alligatio voluntatis propriæ.

omninò debet, quod vt fiat oro, & obſecro. Addenda denique combuſtio verè contritionis & doloris. Ita. n̄. & decreto Chriſti ſatis faciemus, & habitum bonæ ſpei in nobis formabimus. Mirum equidem dictu, quanta ſit noſtra hac in parte ſocordia, omnes artes, etiam mechanicæ & ſordidæ magna & frequēti cum exercitatione addiſcuntur: ſola ars benè moriendi (quæ eadem eſt bonæ ſpei) ab omnibus penè negligitur, vel ad vltimum halitum differtur, cum ſummo diſpendio & periculo. Recténe? tute iudica.

3. Cōbuſtio p cōtritionē

4. Ars benè moriendi.

At, inquis, donum hoc eſt Dei, quod datur multis in ipſo vltimo agone: Datur ſanè, ſed illis, qui ſe prępararunt, dum eſſent vegeti. Benè. n̄. dicit D. Auguſtinus, non poſſe illum malè mori, qui benè vixit. Aliis verò pauciſſimis crede mihi: neſcio, an aliud exemplum in ſcriptura reperies, præter latronem, à dextris Chriſti pendentem. Contra verò vides & infinitos, qui tali ſpe exciderūt, & (quod mirandum magis) in eodem monte Caluariæ alterum latronem non ſolùm nō conuerſum, ſed etiam blaſphemantem Deum. Cur ergò hūc in exemplum tibi non trahis, vt des operam, ne idem tibi eueniat? Dabo aliud, multò etiam atrocius exemplum Regis Antiochi, qui non ſolùm non blaſphemabat, vt hic latro; ſed etiam pænitentiam, & ſpem in verò Deo habere videbatur; & tamen de eò ſcriptura loquitur: *Orabat* (oratio

Obiectionis ſolutio & exēpla.

NOTĀDA.

Latronis.

Antiochi. 2. *Mach.* 9. 13.

ratio autem ſpei euidens eſt argumentũ) *hic ſceleſtus dominum à quo non eſſet miſericordiam cõſecuturus.* Taceo his ſimilia exempla in Dialogis D. Gregorij, & alibi expreſſa. Vos quæſo mente ſagaci reuoluite illa, ne ſitis ex eorum numero, qui vel non poſſunt conuerti in agone, vel certè non facient. Sed potiùs iam iã vos ad benè moriendum, & ſpem veram in illa die habendam præparate.

Alia ſpei viuæ media & ſum̃a dictorum.

Hoc verò fiet, ſi primum quidem cauebimus tentare Deum. Tentat autem Deum qui poſtpoſitis mediis ab eo nobis relictis, neſcio quæ miracula in agone ſuo expectat. Deinde ſi ſedulò exequemur, quæ in hac audiuimus concione. Si inquam diligentem dabimus operam, vt ſemen bonum optimi patrisfamilias IESV non ſolùm fidem, ſed etiam condigna fidei opera operetur in nobis. Si nõ dormientes, ſed vigilantes erimus om̃s, ij verò qui præſunt duplici ratione. Sicut enim ſomnus ſpiritualis, primaria eſt cauſa peccatorum omnium: ita vigilantia; tum in diligenti ſui, ſuorumq; cura, ne committantur peccata, tum in oratione, origo eſt omnis boni. Si deniq; nec ſecuri erimus vnquam deuicto dæmone, quia redibit iterum: nec quatuor ſenſus noſtros mendaces, ſed auditum fide Chriſti illuſtratum ſequemur. Poſtremò adhibebimus, quæ vltimo loco dicta fuerunt, iugem & continuam Zizaniorum noſtrorum collectionẽ; ſeriam & ſtrictam volũtatis vagæ alligationẽ, & ignis

& ignis cōtritionis amorisq; diuini caminum ardentem. Huic enim ſpes vera & viua ita in nobis radicabitur, vt in extremis poſiti cum Iob dicere valeamus: *Etiam ſi occiderit me in ipſo ſperabo.* Hacq; ratione per ſpem ad rem perueniemus, vt videamus facie ad faciem Deum noſtrum, trinum & vnum in ſecula ſeculorum. AMEN. *Iob 13. 15.*

CONCIO QVARTA Charitas.

STATVS MVNDI, ET SPIRITVALIVM PERSON.

QVamuis primarium IESV Chriſti Domini noſtri inſtitutum in hac parabola fuiſſe credatur, ſtatum Eccleſiæ ſuæ vſque in conſumatione ſeculi bonis maliſq; permixtum nobis ob oculos ponere: qui tamen ſolerti & ſpiritali oculo dicta Domini IESV contemplabitur, facilè animaduertet, non ſolùm noui Teſtamenti, ſed etiam totius quæ ab ipſo orbis exordio fuit Eccleſiæ, in his duobus ſeminantibus, typum geri: alia deniq; hîc ſubeſſe myſteria, & magna charitatis ac beneuolentiæ diuinæ erga genus humanũ argumenta, probè videbit. Itaq; qui Euāgelium hoc penitius vult penetrare, omnes omnium temporum ſtatus, perſonas, momēta, viciſſitudines, ipſum deniq; creatorem, cum vniuerſa ſua rationali creatura, ante mē-

Parabola hæc, omnia cōplectitur tempora perſonas &c.

tis suæ oculos statuat necesse est: & demiretur, tum res omnes, tum ordinem illarum mirandum sanè. Ex qua quidem admiratione, cùm alios, tùm verò illum fructum referret, vt ad amãdũ tam munificum benefactorem cor extimulet & inflammet suum.

PROPOS: quadrimembris. Hoc ipsum vt nobis quoq; contingat; imprimis personas, actiones, & ordinem in parabola hac insinuatum considerabimus: deinde historiam huc spectantem orbis quasi vniuersi texemus, vel perstringemus potius: tum quonam modo, quæ in parabola notantur viris etiam spiritualibus, & religiosis cõpetant, demonstrabimus: ac deniq; ex dictis gratitudinem & amorem diuinum in nobis excitare conabimur. Tu ipse Christe IESV, ita hæc in cordibus excita nostris, vt charitas tua sancta, in æternum maneat in nobis.

I. MEMBRVM. Naturæ rationalis ꝓprietates cõtinet. Videor mihi videre in hac parabola, totius naturæ rationalis depictam imaginem. Népè Dei optimi Maximi potentiam immensã, misericordiam largam, prouidentiam infinitam, & iustitiam per omnia æquissimam. Angelorum iugem vigilãtiam, Zelum honoris Dei acerrimum, & ad exequenda mandata ipsius summam promptitudinem Dæmonum virulentam inuidiam & rancorem, vafram calliditatem, & truculentam tyrannidem. Hominum deniq; supinam socordiam, ex qua omnia eis proueniunt mala, Zelosam etiam in quibusdam vigilantiam, sed non se-

cundum ſcientiam, & dignas pro meritis pœnas & prȩmia. Ordo verò eſt iſte, Deus incipit, tum creando, tum ſemen bonum gratiæ, & ſanctarum inſpirationum ſeminando. Homo dormitat, diuina negligenter tractando. Sequitur Sathan, Zizania ſuperſeminando, & ſcelera ſuggerendo. Conſentit homo, peccat, fructuſq; profert peſſimos. Zelantur Angeli, & quidam pii, eradicareq; volunt impios. Sed prohibet, qui offenditur patiens, & miſericors Deus. Qui tandem iuſtitiæ memor ſuæ, ſeuerè punit malos, dat verò liberaliter bonis prȩmia. Habetis ſummam parabolæ, rem ipſam intueamur. Ordo inter hæc.

Incomprehenſibilis in conſiliis ſuis, perfectiſſimus, nullius indigus, ac proinde intra ſe ſibi ab æterno ſufficiens per omnia Deus, volens etiam extra ſe bonitatem & miſericordiam declarare ſuam, condidit quando ei libuit ex nihilo, primùm quidem Angelicam purè ſpiritualem, deinde merè corpoream, ac poſtremò ex vtraq; quaſi conflatã humanam naturam. Et verò priori prætermiſſa; in his, geſſit ſe vt locupletiſſimus ac ſapientiſſimus paterfamilias, qui mundo hoc viſibili vniuerſo, tanquam agro ampliſſimo conſtituto, non ſolum ſeminauit, in viſceribus quidem terræ metalla varia, in ſuperficie verò eius herbarũ plantarum, arborũ; in aquis piſcium; in àere volucrum; ſupra terram beſtiarum ac pecorũ infinitas ſpcies & genera; demumq; ipſum hominem: II. MEMB: Hiſtoriã orbis vniuerſi texit. Creatio triplex. Gubernatio Simile.

minem: ſed etiam omnibus hiſce conceſſit & ingenerauit vim & poteſtatem producendi ſibi ſimile; quod nullus vnquam paterfamilias facit vel facere potuit. Inſuper conſiderans dignitatem hominis, quem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, fecerat, non tantum omnem irrationalem creaturam ei ſubdidit; ſed etiam ſemen quoddam nõ in corpore, ſed in anima eius; in qua imaginem ipſius portabat, ſeminauit; ſemen ſanctum, ſemen diuinum, ſemẽ ſpirituale & cæleſte, cui non ad corpus craſſũ; ſed ad fidem, ſpem, Charitatem, obedientiam cæteraſque virtutes ſpirituales producendas vim indidit. Semen inquã gratiæ ſuæ diuinæ, quam innocentiæ originalis, & aliis donis dotiſque vberrimis affatim locupletauit, & ornauit.

Dignitas primi hominis
Gen: 1. 26.
In corpore.
In anima.

Hæc vidẽs & inuidens INIMICVS EIVS diabolus *dentibus ſuis fremens & tabeſcens*, dormitante & curioſè agente (vt in alia concione explicuimus) prima parẽte noſtra Eua, adeſt & ipſe & ſemini optimo SVPERSEMINAT peſſima ZIZANIA; mendaciorum, ſuperbiæ, inobedientiæ, arrogantiæ, hiſq; ſimilia, quæ ſuadet & perſuadet, decipitque incautam. Rem quonam modo geſta ſit noſtis, nec eſt quod iteretur. Atq; vtinam hîc finem ſuum ſortitũ fuiſſet hoc malũ, ſed prô dolor, ꝓgreditur & pullulat vlterius. Adã etẽ dũ coniuet & aſſenſum præbet vxori præuaricatrici præuaricatur ipſe quoq; diuinum præceptum, guſtat de

Diaboli inuidia.
Mat: 13. 39.
Eua dormitante.
Pſ: 111. 10.
Superſeminantur Zizania.
Adam cõdeſcendit.
1. Tim: 2. 14

fructu

fructu vetito, peccat, peccatique incurrit pænas, quas nouimus & experimur õnes. *Omnes enim morimur, & quasi aqua dilabimur in terram:* & quod peius est, *in iniquitatibus* concipimur, *& in peccatis* concipiunt nos matres nostræ. Sed ad primos parentes redeamus. Hi igitur *cum cognouissent se esse nudos* (ecce alia peccati pæna) *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*: impletumq; est quod audis, in parabola. TVNC APPARVERVNT ET ZIZANIA, quæ antea in corde, quasi in herba latebant. Apparuerunt autem omnibus, qui tunc aderant bonis & malis Angelis, ipsisque hominibus; propterea loca, in quæ se abderent, quærebant. Et quis nouit, vtrum Michäel cum bonis Angelis, post victoriam illã quam zelantes honorem Dei, reportarunt ex Lucifero & angelis eius, eosq; *rudentibus inferni detractos in tartarum præcipitarunt cruciandos*: eodem zelo contra homines peccantes commoti, nõ dixerint Deo, VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA (zizania videlicet) & idem illis faciamus, quod fecimus apostaticis spiritibus?

Pæna sequitur triplex. *2. Reg: 14. 14.* *Psal: 50. 7.* 1. 2. 3. *Gen: 3. 7.* *Apo: 12. 7.* Zelus angelorum. *2. Pet: 2. 4.*

Verùm enim verò im̃ensa diuina prouidẽtia, & misericordia, tantùm abest, vt id præciperet, quod Lucifero cum suis fieri mandarat; quin etiam prohibuit ne id facerent, sed permitterent vnà cum bono semine zizania CRESCERE VSQVE AD MESSEM, id est, tum vsq; in finem vitæ in singulis, tũ vsq; ad con-

Diuina misericordia in homines. 1. Qua prohibet angelos.

ad consumationem seculi in Ecclesia. O bonitas. O amor erga genus nostrum admirabilis. Quis tibi ô Deus noster vel hoc solo nomine dignas vnquam referet gratiarum actiones? Nemo equidem, Cum ergò pares non possimus, quas valemus, reddamus, cum habendo gratias: tum verò agendo, quod ei charum esse nouimus: præsertim cum non solum hæc, sed etiam alia generi humano tunc, & postea præstiterit beneficia; iterum semen suum seminando. Addidit enim statim promissionē illam, qua nulla maior de procreando semine è muliere, quod caput INIMICI huius, serpentis infernalis, conterere debuit. Adiecit demum & internas gratias, & externas admonitiones, per viros sanctos, quos identidem submittebat. Enos, Henoch, Nòè, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, & his similes multos, quos scriptura tacet, vsq; ad Mosem, per quos semen verbi sui seminabat Deus, cum in vniuerso mundo, tum peculiariter in populo & gente Iudaica. Magna equidem beneuolentiæ diuinæ argumenta, magno amore digna.

2. Qua promissis beat reos.

Gen: 3. 15.

3. Qua bonū semē denuo seminat.

Inimici cōtra malitia.

Sed & INIMICVS, suo quod semel malignè suscepit, non deest muneri. CVM enim DORMIRENT HOMINES, adfuit denuo & SVPERSEMINAVIT alia ZIZANIA. In Cain quidem fratricidium, In Lamech verò primum bigannam, postea duplex homicidium, In filiis Dei, luxuriam, vnde *omnis caro corru-*

Alia superseminantur zizania.

Gen: 4. 8.

Ibid. v. 19.

corruperat viam suam. In posteris maledicti Chanaan Idololatriam, quæ postmodũ in omnes gentes ita manauit, vt etiam populum Dei inuolueret. Quid inde? Stupendũ quid sanè. Non enim iam siue Angeli, siue homines DIXERVNT, VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA? Sed ipse Deus, primum quidem propter peccata carnis: *Delebo inquit, hominem, quem creaui &c. pænitet enim me fecisse eos*, perfecitq; hoc ipsum, perdens omnes aquis diluuij, præter octo personas: Deinde verò multò terribilius zizania Idololatriæ collecturus Deus, ait ad Moysen: *dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Nonnè stupetis, ipsũ velle facere, quod aliis prohibuerat? vererìq; quodammodo hominem? Neq; tamen etiam tũc misericordiæ oblitus subiungit, *faciamq; te in gentem magnam:* insuper placatus pcibus Moysis, ab hac destitit cogitatione. Quid Moyses? armatus zelo honoris eius, eadem die, mactari curauit ex Israel *triginta millia hominum.* An non miranda sunt ista?

Gen: 6. 12. *Gen: 9. 25.* Mirandus Dei zelus. *Gen: 6. 7.* *1Pet: 3. 20* *Ex: 32. 10.* Et duplex misericordia. Zelus Moysi *Ibid: v. 28.*

Sub idem tẽpus, paterfamilias hic sapientissimus & munificentissimus Deus misericors, alia quadam ratione SEMEN SVVM SEMINARE cæpit. Digito enim suo scribit legem in tabulis lapideis, quàm Moysi ad promulgandum tradit; cui etiam ostendit, tum modum fabricandi tabernaculum: tum varia iudiciorum & ceremoniarum genera, ad cultũ suum pertinentia; ac deniq; hæc omnia scri-

Iterũ iterũq; bonũ semẽ seminat De' modis variis *Exo: 31. 18.*

ptis consignare iubet, quorum antea nil fecerat. Postea verò adiungit etiam prophetas, & multos & excelentes nempe cuneos prophetarum. Eliam quoq;, Elisæum, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, & infinitos alios, quorum multi scriptis tradiderunt, quæ à Deo acceperant. Apposuit insuper Reges, Dauidem & Salamonem, donis tū prophetiæ, tum sapientiæ claros. Horum verò omnium id erat officii, vt semē diuinum spargerent, vt homines à somno spirituali excitarent, vt tum pœnis, tum præmiis propositis mouerent vniuersos, sibi vt ab INIMICI ZIZANIIS diligenter cauerent. Qui quidem INIMICVS diabolus è contrario excitauit ipse quoq; pòëtas, ariolos, Magos, pseudoprophetas, & his similes; per quos non solùm in aliis, sed etiam in hac ipsa gente Deo dicata, innumera SVPERSEMINAVIT ZIZANIA tum verbo, tum scripto.

Munia Prophetarum.

Sathanæ noua super seminatio.

Atq; tandem excrescentibus nimium ZIZANIIS, nouum quendam, & ipsis quoq; Angelis, Cherubinis, Seraphinisq; incomp̄hensibilem adinuenit modum disseminandi SEMEN SVVM; quem admirans Apostolus ait. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouißimè diebus istis, locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* Etenim pater æternus hoc ipsum coæternum & consubstantiale sibi verbum seminauit primumq; in vtero

Tandem seminat Deus verbū suum

Heb: 1. 1.

Tū in vtero virginis modo incōprehensibili.

vtero castissimæ virginis, vbi hoc *verbum, caro* *Io: 1. 14.*
factum est: deniq; idipsum verbũ homo factũ,
natum, educatum, adultum, ore suo sanctissimo: semen diuinissimum seminare, verbaq; Euangelii spargere cæpit: atq; adeò hãc quoq; protulit parabolam, cum rerum præteritarũ commemoratiuam: tum verò futurarũ præsagam. Quæ ñ. in ea designantur partim iam facta sunt; partim in dies singulos fiunt, partim in fine mundi perficientur. Facta est prima verbi huius disseminatio, p ipsum Christum IESVM dum in hoc esset mortali corpore, per Apostolos quoq;, per Christi Apostolorumq; discipulos, per Martyres, per pastores, per cõfessores, & Doctores primitiuæ Ecclesiæ. Fit nũc per eorum successores, perdurabitq; ad consummationem vsq; seculi, quando ea, quæ vltimo dicuntur loco, explebuntur.

Tũ p filium suum verba pferentem.

Tũ p Apost: & alior innumeros.

Scopus autem omnium horum seminantium, idem fuit, qui & sanctorum veteris testamenti, nempe homines, vt à somno spirituali excitarent; omnes monerent, cauerent, vt sibi à Zizaniis INIMICI, vtq; filios regni procrearent Deo. At verò modus, & media, longe sunt nunc, quam olim fuerunt excellentiora. Olim cecinit Dauid *notus in Iudæa Deus* iam verò impletur illud. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Id enim etiam nunc fieri videmus, in Mexico, in Pent, in Brasilia, India, Iapone, Chinis,

Horũ mũia eadem quæ olim.

At media nunc longè excellẽtiora 1. Quia ampliora.

Psa: 75. 2.
Psa: 18. 5.

Chinis, & infinitis locis aliis, vbi nunquam hoc semen verbi disseminatum fuit anteà.

2. Quia gratiam conferentia.

Olim præterea tum sacramenta, tum alia media ad disseminandum recipiendumq; hoc semen erant exigua, *infirma, & egena*; nunc & copiosa, & perutilia: vt pote gratiam diuinâ ex ipso operé operato (quod dicitur) conferentia.

Gal: 4. 9.

3 Quia amorem spirantia.

Olim deniq; minis & timore omnia perficiebantur, nunc amore & charitate plena sunt vniuersa. Est igitur cur Christo IESV Domino nostro agamus gratias maximas, & illi pro summo erga nos amore nostrum qualemcunq; reddamus.

Redamandus Deus.

Inimici etiam nūc noua vt antiqua zizania

Neq; verò quia tot, & talia habemus diuinæ beneuolentiæ signa, & monumēta, ideò otiosi erimus. Absit id longè à nobis: INIMICVS enim HOMO *Diabolus*, non negligit etiam nunc sua superseminare ZIZANIA somno oppressis cùm omnibus, tùm verò iis, quibus & sui, & aliorum causa inuigilandum esset. Imò verò, quantò maiora dona nobis à Deo data animaduertit, tantò ipse quoque cingitur magis, & virus exerit suum. Hinc schismata, & hæreses innumeræ: hinc etiam inter Christianos, à quibus maximè exulare deberent facinora ingentia: hinc quorumuis Zizaniorum acerui infiniti. De quibus quia tribus aliis concionibus multa locuti sumus, nunc ad alia occultiora, & subtiliora, quæ spirituales & Deo dicatas personas afficere possunt, sermonem nostrum conuertemus:

& qnomodo istis quoq; hęc quadret parabola, Christo benè iuuante, declarabimus.

Quemadmodum fatendum est, quod experientia docet, esse in ipsa etiam Christi Ecclesia loca quædam, in quibus diabolus Zizania copiosè seminare consueuit: ita dubitandum non est, nullam reperiri congregationẽ, nullum hominum statum, locum nullum tam abditum aut inaccessum, ad quem Sathan cũ suis non penetret Zizaniis. Certum quidem est, in locis inhonestis, in domibus strigarum, Magorum, & quorundam Mathematicorum, in tabernis etiam potatoriis, aleatoriis, vsurariis, hisq; similibus; dæmonem, plena quod dicitur manu, sua spargere Zizania, quibus etiam suo modo adnumerari possunt domus publicanorum, palatia epulantium, conuenticula militum, subsellia eorum iudicum, qui munera diligunt, tabernæ quoque mercatorum lucris plus æquò inhiantium. Eiusmodi enim terra, mala Zizania auidè, sed malè suscipit, peius fouet, pessimè verò auget, veneficia, luxuriam, ebrietatem, fraudes, rapinas, iniustitias, periuria, ceterasq; impietates ac scelera.

III. MEMBRVM Spiritualib. parabolam applicat.

Loca in qbus zizania plena manu seruntur.

Quæ pericula vt effugiant alii, abdunt se in Cænobia, in Monasteria, in religiosas Societates, alii loca deserta incolunt, alii speluncas & cauernas terræ penetrant. Et rectè id quidem illi, qui vocantem Deum sequentes, occasiones peccatorum fugiunt: at minus rectè, si

Vbiq; tamẽ qdam reperiuntur.

ctè, si autumant hac secessione, se ab omni ten-
Hoc docet Euangeliũ. tatione, & eorum, qui seminant Zizania, impugnatione, fore liberos. Nunquid enĩ per agrum vniuersus orbis non intelligitur? sanè, ipso Christo interprete. Si ergò extra mundum es, securus eris: at si hîc vnâ nobiscum agis, quî tibi securitatem polliceris, cum in Euangelio audis, in eodem agro, in quo bonus paterfamilias seminauit bonũ semẽ, malũ dæ-
Hoc D. Ioannes. monẽ superseminesse Zizania? Sed & dilectus
1. Io: 5. 19. Christi Apostolus clamat: *Mundus totus in maligno positus est*: totũ igitur implet suis Zizaniis diabolus. Ne ergò sine cura simus, ne euasisse nos pericula arbitremur, sed tantò fortius agamus, quantò magis spirituales sumus, &
Hoc Deus & Prophetę. fraudes Sathanæ nosse debemus; qui teste
Iob 40. 14. Deo, *habet fiduciam, quod influat Iordanis in os e-*
Hab. 1. 16 *ius*: & teste Propheta, *cibus eius electus est*. Vigilãdũ itaq; est nobis, & sagaciter omnes sinus
Quid agẽdũ insultuum eius peruestigandi. Quam ad rem valebit plurimum diligens parabolæ, & circumstantiarum eius per antitheta consideratio: vt inde bonitatem & amorem erga nos Christi IESV; hinc malitiam ac odium Sathanæ agnoscentes, & veternum nostrum excutiamus, & quantum in nobis est, odium pro odio Dęmoni, amorem verò pro amore Christo reddamus. Et de loco quidem in quo hæc sparguntur semina, iam diximus.

Qui sunt seminantes. Iam verò statuite ante oculos mentis vestræ duos, qui ad seminandum egrediuntur: quorum

quorum alter est *Candidus & rubicundus, electus ex millibus*, ideoq; pulcherrimus, honestissimus, mansuetissimus, humillimus, decorus facie, Cæsarie venerandus, corpore toto speciosus nimis, vt de illo Dauid cecinerat: alter verò est *draco* ille *magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas*, à Christo verò in parabola INIMICVS HOMO nuncupatur, spurcus, fædus, capillo hispidus, capite cornutus, aduncis naribus, manibus leonem, pedibus draconem referens, aspectu tam horrifico, vt cum suo modo apparet, nemo eum, absq; mortis periculo intueri posset, ni à Deo corroboraretur. Hoc à quodam pio viro visibiliter cum eo luctante intellexi. Et quamuis vterq; dicatur homo; Christus quidem, qa verè homo est. Sathan autem, quia nonnunquam & humanitatem, & figuram hominis simulat; adduntur tamen epitheta: illi quidem patrisfamilias, propter curam paternam suorum: huic verò inimici, propter odium, quo ardet contra genus humanum. Nos videamus, cui ex his duobus terram nostram ad serendum tradere debeamus.

Cãt: 5. 10. *Ps: 44. 3.* *Apo: 12. 9*

Quid vərò seminant? Prior seminat BONVM SEMEN triticumq; optimum, nimirum amorē Dei: posterior pessima ZIZANIA amorem suî. Illius *semen est verbum Dei*, vnde fides, spes charitas, humilitas, patientia, cæteræq; excrescunt virtutes. In personis verò religiosis, seminat insuper castitatem, pau-

Quid nam seminent. *Luc: 8. 12.* Præsertim in religiosis.

pertatem,

pertatem, & ad nutum superioris obedientiam, aliaq; grana selectissima, lucidissima, sapidisima. vnde filii Dei, filiiq; regni cælestis, oriuntur. Contra verò Sathan seminat verbum mendax, & impium, vnde hæreses, desperationes, præsumptiones, & infinita emanãt scelera, cum in aliis, tum vero in personis, quæ olim spirituales fuerunt, quos si quando in suam nassam pepulerit & pertraxerit, ita eos pessimis implet Zizaniis, vt & antesignanos omnium scelerum & coadiutores suos efficiat. Viderat id olim in typo Ieremias, quãdo Ficus intuebatur, *& ficus bonas, bonas valdè, & malas, malas valde*. Ficubus istis figurari viros spirituales, maximè religiosos, constans est sanctorum sententia. Horum eñ pleriq; in pietate, alii tamen etiam in nequitia excellere solent valdè. Illorum plena sunt historiarum sanctarum volumina: horum nec antiqua (vt Sergii institutoris Machometismi) nec recentia desunt exempla Lutheri, Oecolampadii, Buceri, Ochini, & similium; qui præter horrendas, ac innumeras tum hæreses, tum in Deum Sanctosq; eius blasphemias in mores induxerunt verbis, factisq; suis periuria, votifragia, bigamias, adulteria, incæstus, sacrilegia, tã in bonis, quàm in personis Deo dicatis, rebellionem quoq; primum quidem spirituali, postea verò etiam seculari magistratui: indeq; homicidia, & parricidia. Quibus quid aut tetrius, aut fædius excogitari potest?

Qui vel optimi vel pessimi.

Ier: 24. 7.

Pessimorũ religiosorũ pessimi fructus.

Cæterum

Cæterùm cum ad spirituales personas hæc nostra maximè dirigatur oratio, omissis aliis, de quibus prioribus concionibus egimus; istis duo inprimis cauenda, vnum verò procurandum censeo. Fugienda est: tum (vt dixi) securitas nimia: tum noxia desperatio ex scandalo procedens. Hæc inuadere solet nonnullos, qui ea, quæ recensuimus, vel videntes, vel audientes ita scandalizantur, vt à perfectiori statu, ad quem à Deo vocantur, cum dispendio animæ suæ abstrahi se permittant: illa verò vecordes, & negligentes reddit alios, arbitrantes, aut euasisse se omnia pericula, quia seculum reliquerunt, aut securos se esse, quia semel vel iterum Dæmonem vicerunt. At secus se res habet, Quamuis n. in Euãgelio dicatur de Diabolo. ET ABIIT, reuertetur tamen iterum, & millies, vt etiam ad ipsum Christum reuersus creditur. Itaq; vsque ad vltimum halitum minimè fidendum est viribus nostris, sed fugiendæ occasiones, sicut vir ille sanctus (de quo D. Gregorius) Vrsicius Præsbyter, fugiebat. Hic enim in extremis positus, cum vxorem suam, quam propter Christum reliquerat, & à qua tanquam ab hoste per annos quadraginta sibi cauebat, lectulo astantem sensisset, exclamauit. Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Et paulò pòst visis Apostolis, Deo animam reddidit. Hunc igitur imitemur, & tertium, quod proposuimus, diligenter procuremus

Religiosi, duo cauebunt.

Tum scandalũ indeq; despatiouẽ.

Tũ vecordẽ negligentiã.

Vsq; in finẽ vitæ.

Luc. 4. 13.

Greg. Dial. lib. 4. c. 11.

Exemplum mirandum vrsicij.

remus (diligenter enim nobis comendatur à Christo & Apostolis, vt in alia concione vidimus) nempe VIGILANTIAM.

Adhibebūt autem.

VIGILANTIAM.

VIGILANTIA autem ad multa est necessaria. Primùm quidem, ad cognoscendum scopum, quem Sathan sibi præfigit in seminandis crassis illis Zizaniis inter religiosos; & media quibus ad id vtitur. Scopus eius est, vt illos primo quidem Apostatas à sancto instituto, postea verò instrumenta sua efficiat. Media duo notantur à Sapiente; Superbia & sensualitas. Ait enim: *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.* Apostatat autem à Deo, qui religionem eius deserit, tàm datam omnibus, quā electam à quibusdam per votorum emissionem. Et iterum inquit: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes..* Quid clarius, & scriptura hæc præcauente, & experientia id in Luthero, & eius asseclis monstrante? Omninò nihil.

1. Vt agnoscant scopū Sathanæ.

2. Media.

Ecc: 10.14

Eccl: 19.2.

Sed & modum expressit sapiens, quo istis tētationibus vtitur Sathanas. Is em̄. inprimis superbiæ motus excitat, in iis præsertim qui ingenii memoriæ, eruditionis, maximè verò eloquentiæ laude excellunt: facitq; vt magna sibi de se polliceantur, & nihil non sibi deberi autument. Deinde sub prætextu conseruandæ valetudinis superflua in victu, potuq; persuadet: tum verò plus æquo, aliis *vinum*, aliis cibum in ore dulcescere facit, eorumq, appetitum inordinatum ciere consueuit, ac tandē in Ce-

3. Modū quē seruat.

in Cerere & Baccho bene exercitatis, Venerem & *mulieres* immittit, quæ miſeros religioſos apoſtatare faciunt. En tibi Lutheri apo- 4. Vt exempla intueantur.
ſtatarum noſtri tẽporis principis viuam imaginem; ſicut tum hiſtoriæ, tum qui eum benè norunt, mihi teſtati ſunt.

Videat igitur religioſus diligentiſſimè, ne ſiue in animo ſuo honori & gloriæ, ſiue in corpore peculiarium commoditatum quicquam ſibi indulgeat. Quam ad rem valet plurimũ: tum abiectè & humiliter de ſe, ſuisq; rebus ſentire: tum victu, potuq, communi eſſe cō- 5. Vt remedia adhibeant.
tentum. Hæc eſt viuentibus in religione vtiliſſima regula, & efficaciſſimum remedium contra omnes eiuſmodi tentationes. Ete- NOTA
nim qui plus ſibi, quam aliis tribui volunt, ii in murmurationes, impatientias, *animoſita-* 2. Cor: 12. 20.
tes, in ſocordiam quoque, otium, *detractiones, ſuſurrationes*, & iudicia ſæpè temeraria, ſemper autem iniqua, tum contra alios, tum vel maximè ſuperiores incidunt. Quæ quidem vitia ab Apoſtolo reprehenſa, in aliis quidem grauia, in religioſis verò ſunt grauiſſima, tũ ſuapte natura, tum quod portam ad apoſtaſiam aperiant. Nam, vt inquit Chriſtus Dominus: CVM DORMIRENT HOMINES, tali videlicet, & huic ſimili ſomno oppreſſi: VENIT INIMICVS Diabolus, & ea, quæ retulimus Zizania ſuperſeminat, quæ tandem peſſimam rebellionem, & apoſtaſiam procreant.

Hæc de craſſis illis Zizaniis: ſunt verò alia 6. Vt intelligãt ſubtilora Zizania.

 ſubtiliora

subtiliora, quæ religiosus, & vigilanti oculo discernere, & diligenti cura propulsare debet. Solent enim dæmones, tentationum mille artifices, cum vident hæc aperta & putida nimis eis non succedere; subtiliora adinuenire: tum ad vexandam & inquietandam piã conscientiam: tum ad obducendas tenebras, vt (quod & Dauid monuit) *agitent in obscuro rectos corde*. Primi generis sunt tentationes fidei, quæ duplices esse solent. Item tentationes blasphemiæ scrupulositatis, desperationis, & eiusmodi; quibus viros nonnunquam etiam sanctos inuadere, & molestare consueuit diabolus. In alio verò genere reponitur, quando sub prętextu virtutis vitium suadet, quando ita mentem perturbat, vt ignores an sit tentatio, an verò inspiratio diuina, quando his similibus vtitur actibus. De quibus omnibus disserendi tempus non datur. Faciunt hoc viri spirituales, & nos iuxta, occasionem agere de iis in particulari aliquando poterimus: nunc verò de eo, in quo potior vigilantiæ pars consistit, pauca dicamus.

Quæ sunt duplicia.

Psal: 10.2.

7. Vt trapesitis vtantur.

Præstantissima VIGILANTIÆ ratio, cui incumbere debent personæ spirituales maximè, sita est, in habendis in promptu, & celeriter adhibendis remediis contra omnes dæmonum cum suis ZIZANIIS insultus. Qua in parte, qui in religione & approbata & florente viuunt, cæteris longè sunt fæliciores. Habent enim tum media ad id plurima;

8. Vt agnoscat fælicitatem suã præ aliis quam NOTA.

rima; tum trapeſitas (vt Caſſiani verbo vtar) peritiſſimos, qui aurum ab ære, tentationes ab inſpirationibus diuinis ſecernere optimè norunt: quod iis, qui arbitratu ſuo ſoli ſibi viuunt, per difficile & periculoſum eſt *Væ ſoli; quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe*, ait ſcriptura. Nec verò caret tantum ſubleuante ſe cum ceciderit; ſed etiam caret inſtruente ſe, ne prolabatur, quæ altera nec minor priore eſt miſeria. Haud enim facile eſt cognoſcere *altitudines Sathanæ*, & tectas ſubtiliſſimasque tentationes eius. Ab vtroq; verò iſto væ liberat dominus eos, qui in tali piorum cætu degunt, & à ſuperioribus regi ſe permittunt, eorumq; ductũ ſequuntur cum in aliis omnibus; quæ cũ peccato mortali claro coniuncta non ſunt: tum verò in hiſce. Tales enim à recto tramite aberrare non poſſunt: etiamſi (quod mirandum ſanè) ipſi ſuperiores in ſuo errent iudicio. Nam etiamſi quid prudentiæ in iubente decedat: ſupplet id tamen in ſubdito animus promptè obediendi. Imò multũ in merito ſuperat; cum propriæ voluntatis reſignatione, nullum ſit in homine Deo magis acceptum ſacrificium. O eximia eorum, qui in religione degunt fælicitas, ô diuinum beneficium excellentiſſimum; quod vtinam ita omnes religioſi agnoſcant, vti vniuerſis & ſingulis perutile eſt, ac neceſſarium. Indeq; ad amorem dulciſſimi benefactoris ſui IESV inflammentur.

Caſſ. Collat. 1. Cap. 20.

Eccl. 4. 10.

Apo. 2. 24.

Errãte ſuperiore ſubditos ſecus.

VIGILANTIA SVPERIORIBVS pernecessaria.

Quoniam verò eorum, qui talibus præsunt, fecimus mentionem, ipsis quoq; ex Euangelio danda est instructio; quæ tantò est illis magis necessaria, quantò plus ad vigilandum obligantur. CVM ñ. DORMIRENT HOMINES (ait IESVS, Sancti verò patres per homines maximè prælatos intelligunt) VENIT INIMICVS ET SVPERSEMINAVIT ZIZANIA. Inuigilabunt igitur primum prælati, ne veniat inimicus; sed quia id in priuatis, si ipsi dormitant, & sunt negligentes, perdifficile, imò impossibile est; in communi saltem danda est opera, ne disciplina religiosa soluatur. Cùm enim statuta & consuetudines religiosorum laxantur, tunc diabolo aduentanti magna porta panditur. Multò autem magis est illis inuigilandum, si venerit inimicus, ne superseminet ZIZANIA. Venit dæmon, cum disciplina aliquantulum laxatur: superseminat verò Zizania, quando sanctis statutis & ordinationibus contrariæ inducuntur consuetudines. Maximùm equidem malum, dissolutionisq;, ac interitus religionũ & causa & signum euidens, proinde summopere cauendum: Hæc in communi sint dicta.

Inuigilãdũ autem.
1. Ne superueniat inimicus saltẽ cõmunitati
2. Magis, ne superseminet Zizania

In particularibus verò personis id inprimis obseruandum est superiori, vt si prohibere non potest, quin veniat ad illos inimicus; studeat, saltem vt non seminentur, sed superseminentur in iis Zizania: aliâs culpa non carebit;

3. Maxime ne simpliciter seminet.

bit; à qua liber fuit, qui dixit: *Scitis qualiter vnum quemq; vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.* Idem prælatus suis subditis faciet, tum omnes simul, tum vnumquemq; eorum (præsertim quem indigere videt) tanquam pater filium monendo, & deprecando, vt ab insidiis inimici sibi caueat: vt consolationes diuinas suscipiat: vt vocatione, qua à Deo vocatus est, dignè ambulet, ne forte (quod absit) è regno & gloria sibi parata excidat. Tali enim exhortationi, si Sathan sua superseminauerit Zizania, superior criminis reus non erit, etiamsi alter pereat, Deo id per Ezechielem sic attestante. *Si annuntiãte te ad impium, vt à viis suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur, porrò tu animã tuam liberasti.* 1.Teß.2.11 Eze: 33.9.

4. Ne pigritet superior.

Quod si nihilominus pullulare Zizania, & fructum scandalo plenum edere viderit superior, dabit quantum in se est operam, vt ea colligantur & demetãtur. Neq; verò id prohibet Christus in parabola: sed prudentiam, duoq; extrema fugere docet: alterùm eam de qua hucusq; egimus dormitationem & negligentiam; alterum præsumptionem, ne putet quis se diligentia sua posse omnia omninò Zizania eradicare, & è medio tollere. Contra primum valet illud. VIS IMUS ET COLLIGIMUS EA? promptum videlicet & vigilan-

gilantem animum gerere ad tollenda scandala, quamprimùm ea in publicum prodiisse animaduerterit. Contra aliud verò valet prohibitio Christi, ne præsumat quis omnia ad amussim resecare & eradicare se posse. Quin imò memor illius dicti sapientis, *qui vehementer emungit, elicit sanguinem*, minora dissimulet, ne maiora sequantur scandala. Fateor equidem opus esse magna prudentia, vt hæc duo sibi qausi cōtraria cōiungantur: ideò cum eā à seipso nemo habere queat, ad orationem est confugiendum. Hac enim coniunctus cum Deo superior, & suæ diffidens prudentiæ, quod propriis non potest viribus, Dei adiutorio obtinebit. Adhibita nihilominus patientia, & longaminitate, quam hic docet Christus, cum homines plenos Zizaniis, quos statim perdere poterat aliquandiu tolerat.

5. Ne nimiū emungat.

Pro: 30. 33

6. Vt prudētiam à Deo impetret.

7. vt sit patiens & longanimis.

Neq; vero sufficit vigilantia superiorū: debet enim vnusquisq; sibiipsi quoq; diligenter attendere & inuigilare. Et primùm quidem dispiciendo an diabolus superseminauerit in nobis zizania; cuius rei, cum alia quæ iam recensuimus, tum illud est signū euidens, quando exercitia spiritualia, quæ ab initio conuersionis nobis dulcescebant, iam displicere incipiunt. Tunc resumendus est animus & quasi denuo inchoandum, prout nos D. Antonius, & omnes Patres spirituales, imò ipsa scriptura aliâs citata, monent. Neq; verò est procrastinandum remedium, sed principiis est obstandum.

Alia VIGILANTIA pro omnib⁹ documenta.

1. Vidēdū an deficias.

2 Resumēd⁹ animus.

3. Nil procrastinādum in internis.

dum. Nec oportet cunctando quærere VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA. cum sciamus maximè id Christum velle. Prohibitio enim hæc non priuatos, respectu vitiorum, quæ in se vident, & quæ eradicare tenentur, sed alios, & Ecclesiam modis explicatis tangit. Potest tamen aliquando hęc interrogatio adaptari priuatis, nempe in carnis suæ exteriori maceratione, quam quidem non pro libitu, sed iuxta consilium spiritualis doctoris suscipere quisque debet, ne sine discretione currendo in vitium labatur: interiori autē eradicationi, quantū quis valet tantum studeat. Nunquam equidem ad eam perfectionē perueniet quisquam, quin aliquid zizaniorum & imperfectionum in eo permaneat. 4. In externis consilio vtendum.

Hæc consideratio duplici hominum generi valdè prodest: tum negligentibus, qui vno vel altero vitio vtrumq; suppresso securos se esse arbitrantur: tum scrupulosis, qui dū vident aliquas in se imperfectiones, desperabūdi de profectu animum abiiciunt; euenitque (quod vidimus) vt alii quidem olim *excolantes culicem, postea camelum glutiant:* alii verò propter inanis gloriolæ titillationem à piis operibus abstineant. Omnibus datur hic pulchrum & vtile remedium. Potest enim hęc Christi Dñi prędictio, de Zizaniis permansuris VSQ; AD MESSEM, id est, vsq; ad consummationem seculi, vt ipse interpretatur, intelligi. (in sensu spirituali) de seculo & 5. Minimè desperādū. *Ma: 23. 24* 6. Sed pgrediendum. *Ma: 13. 39*

lo & vita vnius cuiusq; nostrum, quæ quamdiu perdurauerit, nunquam deerunt Zizania aliqua & imperfectiones, quæ colligantur, & extirpentur; ideò neq; negligenter est agendum, ne dormientibus nobis INIMICVS superueniat; neq; animus deponendus, ne desperantes eradicemus simul TRITICVM virtutum, quas iam collegeramus.

7. Leuiora Zizania nō vilipēdēda.

Sed & illud curandum sanè est diligenter, ne flocci faciamus leuiora Zizania, seu peccata, quæ venialia vocantur: tum quòd sic dormitantibus nobis detur inimico facilior transitus, ad deteriora in nobis disseminanda; tum quòd proprietates, quæ zizaniis tribuuntur, quamuis precipuè peccatis mortiferis (quibus sunt applicandæ) aliqua tamen ratione his quoq; competant, presertim illis, quæ vltrò siue suscipiuntur, siue negliguntur. Sicut enim Zizania multum terræ occupant: ita peccata, & tēporis (quo nil preciosus) multum perdunt, & rebus terrenis nos illigant. Auferunt Zizania succum, qui tritico debetur; auferunt & vitia, mortalia quidem ipsam charitatem, venialia verò feruorem eius, vnde tepor & frigiditas noxia oriuntur. Grauant caput comesta zizania. Grauant intellectum & conscientiam patrata peccata. Inebriant quoq; sumpta Zizania, nec permittūt mentem, linguam, pedes suo fungi officio: Omnia hæc spiritualiter (vel carnaliter potius) præstant commissa peccata. Meditari em̄ diuina,

Septē Zizaniorū ꝓprietates peccatis aptantur.

1. 2. 3. 4.

diuina, aut non ſinunt, aut ſine ſenſu animi fructuſq; cogitare nos ea faciunt: linguam ad detractiones, murmurationes, oblocutiones, & quæuis vaniloquia laxant: opera verò noſtra inepta, & omni merito vacua reddunt. Præterea ſomnum inducunt; Zizania quidem corporalem, peccata verò ſpiritualem. Similiter viſum debilitant; illa corporis, hæc animi, vt dicant *malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*, lethaliter quidem peccantes, primùm id omittunt; venialiter verò aliqua ratione, maiori vel minori, pro qualitate delicti. Deniq; vt Zizania capitis, ita peccata inconſtantis voluntatis vertiginem cauſant, imò nonnunquam etiam in corpore noſtro, (Deo ſic permittente, & Sathana procurante) efficiunt vt caput doleat, vt vertigo oriri, vt actiones (animi pſertim agitatione peragendæ) impoſsibiles nobis eſſe videantur. Multa ſanè, nec leuia, ex leuibus (vt putamus) vitiis, mala.

5.
6.
Iſ. 5. 20.
7.

Quare vt hos, hiſq; ſimiles zizaniorũ ſpiritualium effectus effugiamus, cauſa & origo illorum è medio tollenda: gratitudo verò & amor diuinus cum ab omnibus, tum verò à perſonis religioſis procuranda erunt. Is amor & gratia diuina, ſi per peccatum mortiferum amiſſa ſunt, ſacramentis reparanda erunt, qua de re egimus in aliis concionibus: ſin verò per venialia (de quibus hic noſter præcipuè eſt ſermo) feruor charitatis iminutus, mediis in

IIII. MEMBRVM Peccata auferre gratitudinẽ ac charitatẽ pcurare docet.

parabola parabolicè notatis restaurãdus erit.
Pec. ven: qũo auferenda. Colligenda scilicet inprimis talia quoq; zizania diligenti & exacta sui cognitione, alliganda ne serpat vlterius, particulari conscientiæ examinatione, comburenda iugi attritione & continua mortificatione. Hæc verò amore & zelo honoris diuini potius, quam metu pœnarum perficienda erunt.

CHARITAS DEI. Quem quidem amorem Dei, charitatemq; excitabimus in nobis, recordatione beneficiorum eius: augebimus tum vigilantia, tum oratione, tum gratitudine: perficiemus autẽ patientia, & lõganimitate. Videamus hæc ex dictis & ex Euãgelio fineq; sermoni imponamus.

Excitatur memoria bñficiorũ. Bñficiorũ quę Christus IESVS Dñus noster prę aliis cõferre cõsueuit iis, q in religione viuunt, magna hîc ẽ cõgeries. Hîc etẽ diuina eius benignitas, & liberalitas, non solùm bonum semen mandatorum suorum; sed etiam optimum consiliorum in cordibus nostris seminare voluit. Vnde enim hoc nobis desiderium nisi ab illo? Hîc sæpius noua creat gaudia. Hîc gubernatio eius, & custodia, tum per ipsum, tũ per Angelos excellentior. Hîc media ad salutem plura, & vsus sacramentorum frequentior. Hîc præterea statutis, regulis, cohortationibus, disciplina religiosa, aliisque modis variis, nos excitat dñs à somno, ne dormitione nostra locum demus diabolo. Hîc infinitas occasiones, & ad peccandum illecebras, partim aufert, partim minuit. Hic si

Quorũ hic sunt nouẽ capita.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

INIMICVS siue palam, siue occultè cum suis ZIZANIIS superseminandis proruperit, reliquit nobis trapesitas eximios, qui subtilissima etiam tentationum genera, & cognoscant, & remedia ad ea superanda præscribant. Hîc non deest zelus & vigilantia superiorum, qui exorta zizania cõprimere norunt. Hinc deniq; & plura, & potiora grana tritici referuntur in horrea Domini. Quot & quanta (Deus bone) ad excitandam in nobis charitatem argumenta, & inuitamenta? 8. 9.

Augebimus verò in nobis charitatem Dei, tum gratitudine, tum oratione tum vigilãtia nostra propria, quam ad rem in religione innumera habemus & media, & incitamenta; fructus verò præstantissimos. Vigilantiâ cognoscemus fraudes dæmonis: Oratione animũ & robur ad eas depellendas assequemur: Gratitudine verò ad vberiora dona nobis tribuenda, Deum incitabimus. Vigilantiâ, principiis tentationum obsistemus, mediis ad id destinatis rectè vtemur: & tam securitatem, quàm desperationem cauebimus: finem verò ita intuebimur, vt vsq; ad finem vitæ pugnare non desistamus. Oratione verò vigilantiam acuemus, Et gratitudine perficiemus. Vigilantiâ deniq; omne malum à nobis profligabimus: oratione autem omne bonum à datore omnis boni, impetrabimus. Gratitudine verò augmentũ gratiæ & charitatis, quæ omne complectitur bonum merebimur.

Augetur vigilãtia oratione & gratitudine.

Perficitur

Postre-

patientia & longaminitate. Postremò perficietur (quantum in hac peregrinatione perfici potest) in nobis hæc ipsa
Iac. 1. 4. Charitas, patientia, & longanimitate Deo accepta. Cùm enim *patientia opus perfectum habeant*, teste D. Iacobo, is demum se profecisse, vel etiam perfectum esse in charitate arbitretur, cui patientia placet; cui longanimitas in diuturnis arridet tribulationibus; quiq; non libenter solùm, sed etiam alacriter aduersa
Simile. quæq; nouit pro Christi nõine tolerare. Quæ omnia in hac parabola à Christo Domino vnico TRITICI verbo notantur. Sicut enim triticum hoc materiale & terrenum, non nisi per multas afflictiones, pericula, verbera, in horrea Dominorũ suorum infertur: ita TRITICVM spirituale (quod sumus nos) non alter quàm per plurimas tentationes, tribula-
Fælicitas. tiones, aduersitates, & pressuras patienter toleratas, ab Angelis Dei, reponitur in HORREVM Domini Sabbaoth. Vbi non erit qui superseminet quicquã siue mali, siue aduersi; vbi zizania erunt nulla, inimici timor nullus: nihil deniq; quod eradicatione indigeat reperietur ampliùs. Erit verò secura tranquillitas, & tranquilla securitas, prospera fælicitas, &
Ma. 13. 43 fælix prosperitas. Ibi enim teste, & interprete huius parabolę Christo Domino. *Iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorum.* Fulgebunt, inquã, & ardebunt in cęlesti patria. Fulgebunt splẽdore gloriæ, & visione beata: ardebunt imẽnsa & indefessa charitate. Ad hanc igitur gloriã capes-

capessendam festinemus dilectissimi. Extirpemus quæ in nobis sunt zizania, diligenti vigilantia & mortificatine: excitemus mentem nostram ad gratitudinem, beneficiorũ Christi IESV iugi recordatione; inflammemus cor nostrum charitate diuina, continua oratione & patientia. Hac enim ratione, In regno patris nostri, *id quod in præsenti est momẽtaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operaboritur in nobis.* 2.Cor.4.17 Præstante eodẽ Domino nostro IESV CHRISTO cui cum Deo Patre & almo Spiritu Sancto, sit laus, honor amor, & gratiarum actio per æterna secula seculorum, AMEN.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matth 13.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier, abscondit in farina

farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

PARTITIO.

TRes ſunt Euangelii partes: priores duæ totidē Chriſti complectuntur parabolas; quarum illa eſt de grano ſinapis: hæc de fermento. Vltima verò pars, Chriſtum Dominum in parabolis cum plebe egiſſe docet, & cauſam aſſignat. Ex his poſtrema timori, media fidei, prima charitati, omnes verò ſimul ſumptæ, ſpei ſeruient.

OBSVRDESCENTIA. EXCÆCATIO. INDVRATIO.

CONCIO PRIMA.
Timor.

Hæc omnia locutus eſt IESVS *in parabolis ad turbas, &c.*

Tres cauſæ locutionis Chriſti per parabolas. 1. Hodierna q̄ explicatur

CVr Chriſtus IESVS ſapientia Patris IN PARBOLIS AD TVRBAS locutus fuerit, ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS, tres, vt video, Sacri Euangeliſtæ aſſignant cauſas, quarum tamen hæc, quæ in hodierno inuenitur Euangelio, euentum potiùs quàm cauſam denotat rei. Non enim ideò Chriſtus Dominus in parabolis loquebatur, vt prophetia IMPLERETVR: ſed

ſed potius ideò prædictum id fuit; quia IESVM IN PARABOLIS AD TVRBAS locuturum Propheta præuiderat. Alteram Marcus ſic propoſuit: *Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* Tertiam verò noſter Matthæus, in hoc ipſo Capite his expreſſit verbis. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes nõ audiunt, neque intelligunt.* Quam ad rem comprobandam adfert auctoritatem Iſaiæ Prophetæ. Hæc verò ratio tanti eſt momenti, vt non ſolùm ab omnibus Euangeliſtis, ſed etiam à D. Paulo, tàm in Actis Apoſtolorum, quàm in Epiſtola repetatur: Digna igitur eſt, vt diligenter excutiatur, quæ tanta cum diligentia inculcata fuit. Quod nos eò libentiùs faciemus, quò id timori ſancto excitando magis eſt conueniens, qui ex conſideratione rerum terribilium oriri conſueuit.

2. *Mar: 4. 33*
3. Fũdamentũ cõcionis. *Mat: 13. 13*
Iſ: 6. 9.
Mar: 4. 12
Luc: 8. 10.
Io. 12. 40.
Act. 28. 26
Ro: 11. 8.

Conſiderabimus itaque, quæ & quot ſint terribilia in themate notata; qui ſint illis obnoxii: vnde proueniant; quæue principalis eorum cauſa: qui effectus, ac demum quæ remedia. Da Chriſte IESV Seruator noſter, vt hæc altiora quidem, ſed tamen vtilia valdè contemplantes, non per ſuperbiam opprimamur à gloria, ſed per timorem & humilitatem prouocemur ad pœnitentiam.

PROP: DE EXCÆCATIONE & cæteris malis quinque agenda.

Dicturi die hodierna de malis omniũ, quæ in mũdo ſunt, eſſéue poſſunt diriſſima, de peccatis grauiſſimis, quæ non modò peccata; ſed etiam

I. MEMBR: Tria omniũ terribiliſsima eſſe docet.

etiam causæ, & effectus, pænæq; sunt peccatorum; de statu hominum, quo in terra magis deplorandus nullus est: obseruantur in animo meo, prima illa thematis propositi verba. HÆC OMNIA LOCVTVS EST IESVS IN PARABOLIS AD TVRBAS. ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS. Vereor enim plurimum, ne idem mihi, licèt inuito, obueniat: ne, inquam, iis, qui tales sunt, videar in parabolis loqui, quamuis tectum in medium proferre instituerim nihil. Noui etenim benè in pænis, quæ hos miseros afficiunt censeri; aut non posse, aut nolle potiùs intelligere, quæ ad salutem eorum, pertinent, quæ quidem pæna, est sanè atrocissima, quæ iustò Dei iudicio peccato huic debetur, vel peccatis potiùs. Tria eñ ex scriptura colliguntur, nempe EXCÆCATIO, INDVRATIO, & OBSVRDESCENTIA. Et verò hoc postremum, etiamsi tam clarè non inueniatur in scriptura, vt priora: re tamen ipsa non minus est euidens, quàm alia: tam apud Prophetam, quàm apud Euangelistas. Noster sic habet ex Isaia: *Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt.* Paulò quidem aliter quàm est in Isaia; sed & sensus est idem, & in diuersitate mysterium. Illud hîc adnotasse sit satis. Neque imperantis (vt in Propheta alicui videri posset) neque præcipientis;

Is: 6. 9. *Ma.: 13. 14* Isaias & Euãgelista qũo intelligẽdi.

cipientis; sed futura prædicentis, & pœnas minitantis, vocem esse Dei: vt minæ metum incutiant, metus dolorem efficiat, dolor excitet pœnitentiam, pœnitentia verò à IESV salutem obtineat. Hæc est benignissimi Saluatoris nostri catena salutaris; quam vtinam qui in peccatis sunt, & intelligere velint seriò, & tanquam torquem preciosissimum studeant collo imponere suo. O quàm præclarè cum illis ageretur? Catena salutaris.

Verùm nos cœpta prosequamur. Itaq; in eo, quod protulimus scripturæ testimonio, tria illa notari, non est qui non videat. Quid enim per cor incrassatum, quàm INDVRATIO, quid per oculos clausos, quam EXCÆCATIO, quid per auditum grauem àliud, quàm OBSVRDESCENTIA exprimitur? Quamuis verò tria hæc pro eadem animi obstinatione plerumq; sumantur, esse tñ inter ea differentiam; & ordo verborum, & res ipsa loqui videtur. Quemadmodum eñ ad actiones nostras tam internas, quàm externas etiam mechanicas tria requiruntur, nempe vt sciamus, vt possimus, vt velimus opus illud aggredi & perficere: ita ad salutem animæ adipiscendam oportet, vt verbum Dei audiamus, vt piam affectionem & fidem dictis adhibeamus, vt per charitatem opus exequamur. Quorum quicquid deerit, sicut ibi ne mechanicum quidem; ita hîc diuinum opus in nobis non exurget vnquam. Multo verò minùs, si tria hæc

Inter obsurdescentiam excæcationem, & indurationem conuenientia. & Discrepātia

Tria ad quāuis actionē requirūtur, Totidē ad salutem.

desiderentur: minimè verò omnium opus perficietur, si quis ipsa etiam potentia, cognoscendi, volendi, videndiq; careat. Atque ita sese res hîc habet. Illi enim qui in hunc infælicem statum sese præcipitarunt, ita OBSVRDVERVNT, vt nec intelligant, nec verò audiant diuina: ita EXCÆCATI sunt, vt nec verum cognoscere, nec manifesta pericula animaduertere, nec quicquam quod eis prodesse possit videre queant: ita INDVRVERVNT, vt neq; internis neque externis arietibus perfringi, & impelli ad bonum possint. Quis hæc in vno Pharaone non videt omnia; O funestum genus hominum. O malum, quo maius nullum!

Omnia hæc in obstinatis desunt.

Hinc quoque & alia colligere nobis licet. Principio quidem, meritò duobus illis tertium additum esse; cùm id & res ipsa & scriptura exigat. Pro eo enim quod illa inquit, *grauiter audierunt*, vel *audientes non audiunt*, nos vt & vno verbo & conformi aliis duobus vtamur OBSVRDESCENTIAM posuimus.

Cur OBSVRDESCENTIA ponatur.

Hęc verò, vt & reliqua, dupliciter intelligitur. Aut pro iis qui non curant intelligere, imò nec audire quidem volunt, & ad cor admittere diuina, possunt tamen aut pro illis qui id facere nequeunt, vtraq; acceptio in scriptura est visitata, & in concionibus prior frequentior: sed posterior genuinus est horum locorum sensus. Non est enim satis, vt quis propriè OBSVRDVISSE, excæcatus aut induratus esse dicatur,

Dupliciter hæc intelligi NOTA.

Vide Belar de amißi: gratiæ li. 2. Cap: 1. & 3.

dicatur, vt non audiat, non intelligat, non videat, non operetur bona: sed inuoluunt hæc præterea, vt talis tam sit peruerso animo prędıtus, vt moraliter nec videre, nec intelligere, nec opus salutiferum in animum suum inducere possit: nec manente eo statu, inducere poterit vnquam. Id enim verba illa: tum Prophetæ *ne fortè videant, &c. & conuertantur* (quasi dicat, conuerti enim non possunt) tum Euangelistæ: *Propterea non poterant credere*: tum Sapientis: *Considera opera Dei, quod nemo poßit corrigere, quem ille despexerit*: docere videntur. Vnde verò id proueniat paulò pòst videbimus. *Is: 6. 10.* *Io: 12. 39.* *Eccl: 7. 14*

Nunc verò, quod in principio insinuauimus, hìc breuitèr declaremus: quomodo videlicet hæc non solùm sint peccata, sed etiam & causa, & pæna peccatorum. Pulchrè & profundè, vt solet, hac de re disserit D. Augustinus, cum alibi tum verò scribens contra Iulianum. Quem nos imitantes, quod ipse de excæcatione dixit, nos obsurdescentię applicemus. Hæc enim & est peccatum, quo ad salutem necessaria audiri recusantur; & est pæna peccati, qua homo nullam suæ salutis curam gerens [digna animaduersione punitur, & est causa peccati,] cum multa peccata per hanc affectatam ignorantiam committantur. Idem dic de duobus aliis. Hæc tria, & peccata & causam & pęnam peccati esse. *D. Augustinus li. 5. contra Iulia: Cap: 3.*

Fit autem OBSVRDESCENTIA, quando quis affectu prauo, aut fidem veram aspernatur, aut doctrinam salutarem etiam auribus OBSVRDESCENTIÆ 6. modi NOTA.

ribus corporis audire renuit, aut si audit obedire ei contemnit, (quo nomine Iudæi sæpè à Christo Domino arguuntur) aut illustrationes. inspiratitionesq; diuinas pertinaciter à se repellit, aut visitationes, quas illi tam per aduersa, quàm per prospera immitit, non agnoscit; aut denique omnes diuinas gratias, & auxilia, quæ ei liberaliter tribuit, vel iocis eludit, vel in malum conuertit.

II. MEMBRVM. Exẽpla talium scilicet.

Qui verò sint fuerintue his vitiis obnoxii; vt res est scitu omnium difficillima, & soli tantùm Deo cognita: ita vehementer cauendum est hac in parte peruersum iudicium? De quibus nobis ex scriptura constat, hos pro talibus habere nobis licet, & intueri miserabilem illorum statum, ne nos præcipites in eundem agamur. Excutiamus aliquot eorum exempla. Et primus quidem occurrit *Cain* fratricida, caput omnium reproborum: in quo nonne dictorum apertam videmus effigiem? Dat illi Deus media ad salutem sufficientia, imò excellentissima: addit & alia etiam extraordinaria. Videns enim illum odio fraterno æstuantem; monet tanquam pientissimus pater, sibi vt ab illo affectu pessimo temperet, in eius id potestatem situm esse docet, addit & minas, & alia. Sic enim ille: *Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatũ tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quàm sapienter in ipso mundi exordio occurrit Deus animo illi mendaci quem

Gen: 4.
1. Est Cain In quo hæc tria ordine suo monstrantur.
NOTA.

Dei summa bonitas & prouidẽtia.

quem eiusmodi habere solent, nempè se alter facere non posse? O bonitas, ô prouidentia diuina, sis benedicta in secula. Sed frustra, hæc fiunt omnia. Obsurdescit (hic fons est omnium malorum) Cain ad vocem Domini quam neq; audire vult, neq; ei dignatur quicquam respondere. Excæcatur magis magisq́ odio fraterno, & inuidia propria: educit fraudulenter Abel in agrum: insurgit in eum, & interimit. Quid Deus? iterũ iterũq; admonet eũ iam facti, ad pænitentiam prouocans. At surdo canitur fabula. Corde indurescit, labiis mentitur, nescire se vbi esset frater suus corã Deo asserens, ac tandem in desperationem agitur, aliud nihil impius timet fratricida, quã ne occidatur, ac tandem fugit à facie Domini. Quanta stultitia? imò multæ, nolle pænitere, putare aliquid ignorare Deum, velle profugere ab eo, qui vbiq; est, neglectis æternis & cælestibus, momẽtanea & terrena curare, animam suam interimere, Deum blasphemare dicendo, maiorem esse suam iniquitatem, quã Dei misericordiam. O vtinam qui Caimo similes sunt, hæc intueri velint. Effigies obstinatorum.

Talis postea erat Esau, talis Pharao Rex, de quibus multa Moyses. Talis Saul primus Rex Iudæorum, de quo Deus ad Samuelem: *vsq; quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?* Qui postea seipsum interemit, scelestus sui homicida. Talis primus Rex solius Israelis Ieroboã Talis Antiochus crudelis in Iudæos tyrannos. Tales qui-

2. Esau. 3. Pharao. 4. Saul. 1. *Reg* 16. 1. 1. *Re*: 31. 4. 5. Ieroboam 6. Antioch:

les quicunque sunt alij, quos scriptura veteris testamenti recenset. Quos neq; pœnæ graues, vt in Pharaone patet, neq; beneficia amplissima, vt in Ieroboam apparet, cui Deus Regnũ Israëlis gratuitò contulit; neq; miracula infinita, quæ vterq; vidit, Pharao à Moyse facta, Ieroboam verò, vna hora tria habuit, & duo in se ipso expertus est, Altare scissum, & cineres effusos intuitus est, manum verò suam extensam aruisse, & iterum restitutã esse sensit. Et quid illi profuerunt ista? Nihil omninò. Tanta vis est obstinationis; quam caueant, qui miracula efflagitant.

Signa taliũ notanda.

3 Re. 11. 19

3. Reg: 13.

Quid porrò dicemus de nouo testamento? Ibi verò hæc etiam clariùs & contestatiùs habentur: tum de Pharisæis obstinatis vniuersim: tum de Iuda proditore peculiariter. De illis, nunquid non audis in Euangelio, quòd OMNIA LOCVTVS EST IESVS IN PARABOLIS EIS? nempe quia omnia videbantur Pharisæis parabolicè dicta. Causam iã dedimus & declarauimus. Huc spectãt illa Christi verba: *Quodo vos potestis credere?* Et illa: *Et in peccato vestro moriemini.* Obsurduerant enim, ne credere possent: indurauerant, ne conuerti valerent. Cum proditore verò quid potuit facere benignissimus Saluator quod non fecit? iam amicum eum vocat, iam manifestat, se non latere quid moliatur, iam minatur deniq; *diabolum* appellat: tum vt ipse sibi displiceret, tum vt obstinationem eius & statum diabolo persimilem notaret. De istis

7. Pharisæi.
8. Iudas.

Io: 5. 44.
Ioã: 8. 21.
Mæ: 26. 50
Ioã: 6. 70.

De istis igitur & his similibus constat nobis tales fuisse: sed non tam facile constat, vnde hæc prouenerint in eis, nũ à Deo, an ab ipsismet, an aliunde. Omnibus enim istis causam excæcationis & indurationis videntur adscribere sacra volumina. De Deo protulimus iam aliqua in medium: quibus illa adde, tum Moysis, quod sæpè repetit. *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* tum Isaiæ: *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrum?* tum Euangelistæ: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit corda eorum:* tum Apostoli: *Quem vult indurat,* & his similia. De ipsismet impiis clarè dicit Sapiens: *Errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum.* Et Ieremias: *Indurauerunt facies suas supra petram.* Atq; iterum: *Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam* (quàm exactè describit obsurdescentiam.) *Sed indurauerunt ceruicem suam?* Deniq; munera excæcare testatur tum Moyses, tum Sapiens. Quibus ergò ex his causam tantorum malorum adscribemus? Omnibus inquam, vixq; videtur vlla in eo esse dubitatio, clarè id attestante scriptura. Est autem difficultas, quibus id fiat modis, & maximè, quæ sit prima & præcipua causa & origo illorum. Et verò postpositis ineptiis Hæreticorum, & salua fide Catholica, si piè & diligenter ipsammet intuebimur scripturam, agnoscemus spero veritatem. Nam quod ad munera, & his similia attinet, perspicuum est illa non aliter dici siue excæcare, siue

III. MEMBRVM. Prouenire ista demonstrat.

Tũ à Deo.

Ge: 9. 12. 28
Is: 63. 17.

Io: 12. 40.

Tum ab hominib.

Ro 9. 18.
Sap. 2. 21.
Ier. 5. 3.
Ier. 7. 26.

Deu. 16. 19
Eccl: 20. 31
Tũ aliundè. Sed diuersimodè.

(Status quæstionis.)

Aliũde occasionaliter.

indurare, quàm quòd impiis dant occasionem excæcationis & indurationis. Tota itaq; difficultas est de Deo & de homine, quis illorum primas in his partes teneat. Nec puto quenquam Catholicorum ambigere posse, præcipuam indurationis, ideòq; perditionis causam ab impiis stare. Expreßè enim Deus per Prophetam ait: *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Deus enim Optimus Maximus, & potest omnes saluos facere, quia maximus, & vult, quia optimus est. Ideò *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ideò *viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Ideò *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ideò quicunq; vel non saluantur, vel ad agnitionem veritatis nō veniunt, sibi imputent non Deo.

Ab impiis principaliter ꝓbatur.
Ose: 13. 9.
1. Ex Osea.
Ioan: 1. 9.
Eze. 33. 11
1. Ti. 2. 4.

At inquis, dicitur etiam excæcare & indurare Deus, Dicitur sanè. Sed videndū est, qua id ratione, quouè ordine fiat. Non enim ab excæcatione incipit Deus, sed à bono & gratia, qua illuminat, excitat, vocat, monet, auxilium tribuit non semel, sed & iterum, & tertiò, & frequenter. Nunquid id in Cain, Pharaone, Iudæis, euidens non est? Hoc ipsum facit quotidie singulis: numerum ipse nouit, qui variè varios visitat. Quicunq; ergò diuinis incitamentis obtemperauerit, benè cum eo agetur: qui verò non acquieuerit, sed obsurduerit, ad centum mille, & nonnunquam etiā plura

Occupatio.
2. Ab exemplis Cain. &c.

plura monita pij patris, cadet in OBSVRDESCENTIAM (cuius species paulò ante recensuimus) quæ ab ipso solo procedit, & est prima causa, & reliquorum omnium, & perditionis. *Perditio* enim *tua Israel* ait Dñus omnipotens. Quod & Ieremias loco citato expressè docet, causam indurationis ceruicum assignans, quia *non audierunt, nec inclinauerunt aurẽ suam*, & Isaias cum Matthæo idem insinuant, cum in capite collocant verba illa: *Auditu audietis, & non intelligetis.* Audiebant enim (exempli causa) Iudæi verba Christi Domini frequenter, & tamen non audiebant, quia intelligere ea nolebant, quæ alij intelligebant. Propterea præ omnibus in illis locũ habuit, quod in hodierno audis Euangelio: ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS. Omnia enim eis parabolicè dicta videbantur, etiam per se clara, quale erat illud maximi omnium momenti, Christum fuisse & Messiam & Deũ, quod tam benè intelligebant, vt ipsi Domino id exprobrarent, neq; tamen credere voluerunt. Quare? Quia OBSVRDVERANT. Surditatem verò alia duo sequuta sunt.

3. Quia prima causa OBSVRDESCENTIA; q̃ ex nobis. *Ier. 7. 26.* 4. Ex Ieremia. 5. Ex Isaia & Euãgel. *Ma: 13. 14.* 6. Ab Exẽplo Iudęorũ. NOTA. *Io: 10. 38.*

Hæc verò duo, nempe excæcatio & induratio, partim à Deo, partim ab hominibus, & nunc procedunt, & tunc proueniebant. *Excæcauit enim eos malitia eorum*, ait scriptura. Quæ malitia Iudæos excæcauit? Multiplex. Prima fuit ambitio, de qua ipse saluator. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis?*

Excæcatio & induratio qua ab impiis qua à Deo. *Sap: 2. 12.* *Io: 5. 44.* Peccata quę Iudęorũ excæcarãt.

 Vides

Vides quam expresse impossibilitatem credendi ambitioni attribuit Altera auaritia, quam cũ Christus reprehenderet in eis, *deridebant illum.* Tertia hypocrisis, sæpè à Dõino notata. Quarta inuidia, quæ tanta erat, vt nec ipsum latuerit Pilatum. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum:* Deniq; peccata alia grauissima & iniquitates, ita oculos mentis illorum excæcarunt, *vt vidẽtes* tot miracula, supra omnem naturæ ordinem exhibita, quæ in stuporem vertebant etiam Gentiles: illi tamen non viderent vim eorum, nec reciperent Chistum pro tali, qualem se esse miraculis illis euidenter probabat, sed induruerant corda & facies eorum, prout de vtroq; testatur scriptura.

Lu. 16. 14. *Ma. 27. 18.* Signũ excæcationis eorum. Induratio duplex.

Iam videant, in quod baratrum sese præcipitent, qui illos imitantur Christiani, qui & iis quos enumerauimus, & aliis flagitiis ac sceleribus, vt hæresibus, blasphemiis, luxuriis, odiis, hisq; similibus, & corda, & facies indurant suas. Corda quidem, vt nec quicquam de salute pensi habeant, nec motus diuinos etiam validos, quibus eorum corda tangit, vel minimum curent: Faciem verò ita indurant, vt *frontem mulieris meretricis* faciant sibi, nec velint erubescere: imò velint de ipsis etiam vitiis gloriari. O Christiani non Christiani, sed vmbra fanatica Christianitatis, quid cogitatis, cùm talia patratis? cur furorem Dei contra vos excitatis, tantò ardentiorem, quantò vestra ingratitudo maior est, ingratitudine Iudæorum?

Christiani Iudæorum imitatores. Indurant & corda. Et facies suas. *Ier: 3. 3.* Quantũ id mali.

orum? Nunquid illam manibus etiam ipsis (vt ita dicā) in vobis non palpatis? Nunquid non aspicitis quomodo Deus, & ipse Christus IESVS, alias mitissimus, excæcet & induret vos ipse quoque? non quidem impellendo ad peccandum (vt impii Hæretici docent) verū tum permittendo tàm Sathanæ, quàm vobis, agere pro libito: tum non concedendo noua auxilia, & visitationes, ex quorum defectu vos non consurgetis amplius. Quod equidem facit iustissimo iudicio suo, & scriptura, & ipso lumine naturali testibus.

Deus quomodo induret.

NOTA.

Iustissimè.

Quid enim iustiùs, quàm vbi *auditus non est non effundêre sermonem*? Hoc docet ratio, hoc scriptura totidem verbis: hoc ipse Christus, cùm prohibet mittere margaritas ante porcos. Quid decentiùs, quàm vt is, qui sibi in contemptum heri sui, eruit oculos ab eodē hero in profundas intrudatur tenebras, ne etiam si posset, vnquam ampliùs aspicere lumen valeat? Quid conuenientiùs quam qui induruit, indurescat adhuc? *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*? Ita verò se hîc res habet. Omnes et enim tales vltro citroq; OBSVRDVERVNT: ita vt ab ipsis etiam concionibus quàm longissimè abesse velint, quòd si casu aliquo illis adfuerint, OMNIA IN PARABOLIS dicta sibi esse videntur. Nam vel non intelligunt ea, vel (quod peius est) non intellecta aut carpunt, aut non sibi dicta esse autumant, sed vicino, quem etiam malè iudicant, interim

1. *Eccl: 32. 6*
Mat. 7. 6.

2.

3. *Apo: 22. 11*

Origo omnis mali OBSVRDES.

interim seipsos negligentes: quo quid esse potest insipientius? Addunt & iocos, risus, subsannationes, quibus quæ ad salutem pertinēt, eludunt vniuersa. Interim de die in diem, de vitio in vitium ruunt, atq; ita in eis volutantur, ita se illis immergunt; vt insensibiles, etiam in euidentissimis & grauissimis permaneant sceleribus, imò de illis quoq; impudentissimè glorientur. O infælicitas! ô calamitas! qua in mundo nec cogitari quidem potest terrior?

IV. MEMBRVM Effectus cōtinet. Iste itaq; est primus excæcationis & indurationis effectus pessimus, quo quis media ad salutem necessaria refugit. Alter haud minor, beneficiis & miraculis diuinis non solùm non moueri ad pænitentiam, sed etiam indurari magis ad obstinationem. Clarū id est in Pharaone, aliquoties in eodem capite. Addamus tertium, qui est non tantùm indurari miraculis, non modo respuere media salutifera; verumetiam peius angue caneq; odisse, imò & persequi eos, qui docent & suggerunt quæ ad salutem pertinent: amare verò eos & delectari in iis, qui loquuntur *placentia*, his aures, his oculos, his manus, operasq; ad exequendum, quæ docent exhibere: quod quò magis exercent, eò plùs insurdescunt, excæcantur, indurantur, vt ipsismet iudicibus conuersio illorū videatur impossibilis. Hinc desperatio, quæ duplex est in scriptura: altera nota omnibus, quæ ad restim vergit. Quam incurrerunt & in ve-

1. Respuere omnia media ad salutē
Exo: 9.
2. Bñficiis insolescere.
3. Odisse monētes: amare adulātes.
Is: 30. 10.
4. Desperatio duplex,
2. Reg. 17. 23.

in veteri Testamento Achitophel, & in nouo Iudas Iscariotes: altera minùs cognita, sed nõ minoris ruinæ causa, imò multò plures interimens, illos videlicet, *qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immũditiæ omnis in auaritiam*: Hæc Apostolus. Tu adde reliqua, ambitiones, homicidia, furta, commessationes, ebrietates, blasphemias, maledicentias, & alia generis eiusdem. Talium enim *stultorum infinitus est numerus*, qui cum remedia quærere deberent, è contrario quærunt, & summopere consectantur illa, quæ eorum augent morbos, & planè incurabiles reddunt.

Mat: 27. 4
Eph. 4. 19
Eccl: 1. 15

Quomodo enim curabitur, qui deseritur ab vniuersis, spoliatusq; & armis & omnibus, in medio atrocissimorum, & potentissimorũ hostium constituitur nudus? Pulchrè id expressit scriptura loquẽs de Iudæis post vituli adorationem: *Videns*, inquit, *Moyses populum quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron, propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.* Quid? nudúsne & absq; vestibus erat populus ille? Nudus certè non corporaliter sed spiritualiter, quia spoliatus omnibus virtutibus per Idololatriam illam fædam fuit: Multò igitur magis, nudi sunt isti, de quibus nunc agimus; quos omni decore & ornatu spoliarunt nequitiæ eorum, spoliauerunt naturalibus præsidiis passiones inordinatæ, quibus habenas laxauerunt: spoliarunt armis inter-

5. Nuditas inter hostes.
NOTA.
Exo: 32. 25

internis habitus pessimi, quos tam validos cõtraxerunt, vt scelera in naturam illis transisse videantur. Idq́; *propter ignominiam sordis.* Si n. ignominiosum est, & sordidum omne quod contra Deum, & contra decorum committitur: quantò infame & spurcum erit magis, mancipium fieri vitiorum, & in iis excæcari & indurari? Si Iudæi nudi inter hostes constiterant, propter solum idololatriæ scelus paulò ante inchoatum; quàm nudi stabũt inter eos, qui varia complexi scelerum genera plurimis in illis hærent annis?

6. Deseri ab Angelis quo patet.

Verè nudi, & omni quasi non solùm interno, sed etiam externo auxilo & præsidio destituti sunt eiusmodi. Describuntur enim ab Angelis, à Sanctis, & beatis, à gloriosissima Virgine matre Dei, ab ipso Christo, & Deo: tradũtur verò in manus dæmonum quãdoq́; adhuc viui. Quid funestius tali homine? Num desunt exempla? Proponamus pauca ex multis, ad terrorem eorum salutarem. De Angelis tales deserentibus illud Prophetæ intelligunt sancti. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Quæ Babylon, id est; confusio, maior, quàm in eo homine, in quo nihil est ordinatum? Vide huius rei effigiem apud Bedam grauem & vetustum autorem; in quodam impio & obstinato: pio cuidam Anglorum Regi caro, quem cum Rex frequenter, & maxime in infirmitate positũ, ad resipiscentiam hortaretur seriò, ipse verò,

E scriptura.

Ier: 51. 9.

Exemplo.

Beda de gestis Anglic: lib: 5. ca: 14

vt tales

vt tales assolent, ob prætextus quosdam in diem differret pænitentiam, eò tandem res deuenit, vt visibiliter, & à bonis angelis desereretur, & dæmonibus traderetur, qui infixis in eius viscera hinc & inde clauis, tamdiu percutiebant, donec desperabundam & non valentem pænitere (vt ipse Regi referebat) animã in manus crudelissimorum efflaret dæmonũ. Hæc de Angelis impios derelinquentibus.

De Beatissima matre Dei, & Sanctis, non solùm deserentibus, sed etiam induratos accusantibus, terribile extat exemplum apud multos Historicos de Vdone quodam Magdēburgensi Archiepiscopo; qui quænam à matre Dei non acceperat beneficia? ingenium acre illi impetrauit, Archiepiscopatum ei procurauit, doctrinas salutares dedit, cumq; homo ingratissimus libidini se totus tradidisset, monita frequentia illis verbis [cessa à ludo, quia lusisti satis Vdo] addidit. Verùm cum is admonita obsurdescens induratus in vitiis permaneret, Dei iussu ad templum cui præfuit noctu delatus fuit, ibiq; à S. Mauritio, & aliis illius sacræ ædis patronis accusatus, à Christo Domino pro tribunali cum matre sedente cõdemnatus, à quodam, Deo iubente, capite trũcatus, à dæmonibus deniq; in infernum raptatus, ibiq; crudelissimis affectus est suppliciis; prout tum pius quidam Canonicus, tum impius Vdonis intimus, qui tragædiæ interfuerũt, retulere; quod & res ipsa postea docuit.

7. Accusari à Sãctis & ipsa matre Dei.

Tritemius Nauclerus non Fulgo fus. &c.

Exemplũ terribile Vdonis.

Hæc

Hæc OBSVRDESCENTIÆ & indurationi debebatur pæna. Digna ſanè longa hiſtoria, quæ ab omnibus, inprimis verò à prælatis legatur. Inde enim & qui ſimili morbo laborant metum ſalutarem haurire, & omnes quæ à nobis dicta ſunt intelligere commodiùs poterant.

8. Deſeri ab ipſo Deo, vt Sed & ab ipſo Chriſto ac Deo eiuſmodi induratos deſeri, ac dæmonibus tradi, ita vt verè pænitere non poſſint ampliùs, & exempla iam in medium prolata, & alia quamplurima docent. Addamus Duo ex ſcriptura: & totidem ex Magno Gregorio, quàm breuiſſimè. In ſcriptura horribile eſt illud de

Antiochus. 2. Mach. 9. 13. Antiocho tyranno: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, á quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*,

Vt Eſau. licet multa pænitentię ſigna dediſſe videatur. De Eſau verò ſic Apoſtolus. *Nō inuenit* inquit *pænitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Quis hæc audiens nō perhorreſcat?

Heb. 12. 17. D. Gregorius verò in vno loco duo exempla

Greg. lib. 4. Dial. c. 38. recenſet. Alterum de Criſorio quodam viro

9. Tradi viuū dæmonibus prædiuite: alterum de monacho hypocrita: quorum ille inducias in agone petens, eas nō obtinuit: hîc verò diabolo in forma draconis apparenti traditus, clamans, nec pænitens, ab eo enecatus eſt, vt & alii ſuperiùs cita-

Exempla D. Gregorii & aliorum. ti. Hæc verò omnia, vt ibidem ſanctus vniuerſalis Eccleſiæ paſtor notat & monet, ad noſtram doctrinam permiſſa, acta, ſcriptaque ſunt: quæ conſiderent quęſo cum omnes: tum ve-

tum verò quos fabula tangit. Illi, inquam, quibus aut proprium iudicium aures clausit, ne audire velint, bene de rebus iudicantes, vt clauserat misero illi seni Hieroni apud Cassianum, qui cum quinquaginta annis in Eremo asperrimè vixisset, tandem delusus à Cacodæmone in puteum se præcipitem dedit; & quod multò peius fuit, inde extractus, senioribus illusionem hanc fuisse diaboli clamitantibus, credere noluit. Aut auaritia oculos excæcauit, quod in iudicibus munera diligentibus frequens est, ipsa etiam scriptura teste: aut luxuria, liguritio, deliciæ, proteruia, hæreses, corda indurarunt, vt ea ad bonum ne mouere quidem possint; sicq; absque resipiscentia & pænitētia miserè æternum pereant.

Fōtes horū malorum. *Cass. Colat. 2. Cap: 5.* Presumptio vt Hieron. Auaritia vt in iudicib'. Luxuria &c. *Eccl. 20. 31*

An quotidiana desunt exempla? vtinam vel sint rariora eorum, quos ebrietas suffocat, quos luxuria corrodit, quos ira opprimit, quos scurrilitas iocantes efflare animam facit, quos stultus honor, veraq; ignominia culpas donare aliis non permittit, quos, hæc & similia peccata adeò obsurdescere etiam in ipso agone faciunt; vt viros spirituales, curā eorum gerētes, aut venire ad se non permittant, aut venientes fastidiant, reiiciant, exturbent, miseram interim vitam miserrimo fine claudentes. Audiui iussisse quendam prædiuitem auarum positum in extremis adferri sibi vas ingens ligneum plenum ducatis aure-

Exēpla quotidiana. NOTA. Auari.

is, quos allatos manu vtraq; cũ suspiriis versans & reuersans, infælicem animam euomuit: alter vindictam inimico parans, ipse statim corruit, obiit, periit: alter iocando, & mortem quasi aliquid subsistens subsanando, in eodem quasi instanti morti pœnas luit: alter ad meretricem portam effringere volens, ab eo qui intus erat, gladio transuerberatus, statim corruit, & occubuit.

Iracundi.

Subsanãtis.

Luxuriosi.

Dies me deficeret similia & quotidiaua recensendo. Vnum addo in gratiam hæreticorum, vt resipiscant à laqueis diaboli. Eos eñ à malo dæmone dupliciter capi video: quosdam quidem in intellectu; alios verò in affectu. Illorum mentem ratiunculis excæcat: horum cor fomentis indurat. In illis Lutherani & Caluiniani, in his Anabaptistæ cẽsendi sunt. Horum è numero fuit quidam Romæ (cuius & antea mẽtionem feci) in Inquisitione; quo cum posteaquam aliquot diebus egissemus, tandem in illa prorupit verba. Mirum est. inquit, me etiamsi videam ea, quæ vos dicitis, vera esse, intellectúmque meum penitus conuincere, cor tamẽ me nullo modo ad credendum inflectere posse, licet id obnixè à Deo etiam cum lachrymis petam. Quid? iniustus vel immisericors est Deus, q volentem saluare nollit? Absit, habebat eñ obstaculum, quod fassus olim fuerat: se videlicet cum iuramẽto pollicitum fuisse dæmoni (quem tamen pro tali non agnoscebat) nunquam

Hæretici.

NOTA. Duplices hęreticos,

Exẽplũ terribile.

nunquam se ab hac fide (perfidia potiùs) recessurum: cui promisso renuntiare noluit, frustra id nobis ab eo exigentibus: licèt fateretur puerum quem viderat, quiq; ipsum mirificè & confirmabat,& cõsolabatur nigerrimũ fuisse. Tanta vis est obstinationis. Neq; id nouum in Entusiastis.

Atq; vtinam vel inter Catholicos tale quid sit inauditum. Verum quàm multi sunt incãtatores & incantatrices (si modò tales Catholicorum nomine digni sunt) veneficæ et malefici, qui se vltrò dæmoni dedicant,& quam pauci qui ex eius dominio se explicant? Quid dicam de Astrologiis iudiciariis? Certè neque pauci ex illis pacta cum dæmone, alii quidẽ implicita, alii verò etiam explicita habere sciuntur, neq; ab excæcatione, & induratione liberi sunt pronuntiandi omnes. Quid enim excæcatum induratumq; magis, quã Catholicum se esse profiteri; neq; tamen sanctorum Patrum & Doctorum totius orbis vnanimi consensui locum dare; neq; summorum totius Catholicæ Ecclesiæ pastorum decretis ac determinationi stare velle? quorum & antiqua sunt non pauca, & recens edictum Sixti V. tam clarum, vt nulla siue tergiuersatione in dubium vocari, siue altercatione dissolui queat. Sed nunquid ipse Deus per prophetas non testatur, & falsa esse eorum præsagia, & si vera essent, pro Diis illos haberi oportere? *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & scie-*

Incãtatorũ

Astrologorũ iudiciariorum.

Is. 47. 12.
Ier. 10. 2.

Is. 41. 23.

mus, quia Dij estis vos, ait Deus omnipotens, per Esaiam prophetam, Videant igitur isti, quid Deo, cuius officium sibi vsurpant, quid sanctis patribus; quorum scripta contemnũt, quid Christi vicariis, quibus obedientes esse nolunt, in die illa tremendi iudicii responsuri sint. Nos cæpta prosequamur.

OBIECTIO bipartita. Dicet etem̃ fortassè non nemo, si ita homo à Deo deseritur, vt viuus in manus dæmonũ tradatur, nõ solùm secũdũ corpus, vt Iob, sed

Iob 2. 6. etiã secũdũ animã, vt exẽpla ꝓlata testantur; maximè verò vt pænitere non possit ãplius, prout scriptura de Antiocho, & Esau loqui videtur; Igitur & Deus causa erit perditionis impiorũ, & nos q̃ taliũ nobis cõscii sumus, in desperationem prolabi necesse erit. Absit ab homine Christiano vtrumq́;, & hoc de se cogitare: & illud de Deo sentire. Ad obiecta

Rom: 9. 20 verò quamuis exclamare cum Apostolo possem: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* tamen

Nõ ex Deo interitus noster. mitius agam, & ad dicta te reuocabo. Non enim Deus, sed tu ipse culpandus eris, si

2. Reg: 14. 14. quid tale (quod absit) tibi euenerit. *Deus* enim *non vult perire animam, sed retractat cogitãs ne penitus pereat, qui abiectus est*: tu tuipse abiici vis, qui conuerti non vis. Data sunt tibi exempla tum de obsurdescentia, quæ totius mali prima origo est: tum de excæcatione eius, qui sibi eruit oculos. Addo tertium, ad maiorem, & rei ipsius & diuinæ iustitiæ declarationem. Non enim Deus est immisericors,

cors, ſed qui talia cogitant, impudenter ſunt ſceleſti. Quis enim ſceleſtum & impudentiſſimum non iudicaret illum, qui cùm vltrò & malitiosè in deſpectum alterius, in cænoſam & profundiſſimam ſe iniecisſet foueam, ibiq; conſtitutus, ſcalas, funes, & alia inſtrumenta, per quæ inde exire poſſet, & quæ illi miſericorditer ſubmitteret is, quē ipſe offendit, non ſolùm repudiaret, ſed etiam laceraret & diſrumperet? nihilominus tamen culpam interitus ſui, in illum coniiceret, qui & talia ei præſtaret beneficia, & inſuper hortaretur, rogaret, obteſtaretur vt ſe inde extricare velit? Hæc omnia amanter præſtat Deus: illud ſceleſtè perficit obſtinatus, qui in cænum peccatorum ſe iniicit culpa ſua, qui præcepta diuina contemnit, culpa ſua; qui monita quæ illi dat pius pater nec audire vult quidem, culpa ſua, qui auxilia ſufficientia ad emergendum quæ illi centies Deus porrigit; reiicit, diſcerpit, cōcultat, culpa ſua: q deniq; p ſum̄um nefas culpā ſuam in autorē omnis boni coniicit. Quis ferat tantā nequitiā & impudentiam?

(Simile NOTA.)

ſed ex nobis cuius. Quinq; cauſæ aſsignantur.

Quod verò ad deſperationem attinet, hāc iniquè præſeferunt (vt cætera omnia) quicunque ſunt tales. Non enim hæc ideò dicuntur, vt deſperes: ſed vt timore ſancto concuſſus ad cor redeas, & ſpe reſpires. At non poſſum inquis pænitere. Tibi verò vnde id cōſtat? quod nulli hominum, ſine reuelatione (quæ hac in parte rariſſima ē) cognitū eſt, cū in vniuerſali;

V. MEMBR. Remedia cōtinet vt non deſperetur.

1. Quia ignoratur an ſint in mūdo q non poſsint pænitere.

2. Magis nescitur qs sit talis. tum verò in particulari? Etenim primum quidem ignotum est, an qui pænitere non queant in mundo reperiantur, cum vtrinq; sint & autores graues, & scripturę loca perdifficilia. Deinde multò magis latet, quisnam sit ex eorum numero. Id enim nec ipsos etiam Angelos nosse arbitror. Non desperandum igitur quod suadet Sathan, sed pænitendũ est, quod vult Christus & Ecclesia.

3. Timendũ tñ. ideò cessandum à peccatis. Cessandumq; est imprimis à peccatis, ne si fortè tales in mũdo reperiantur tu hac tua impænitentia, & multitudine ac grauitate peccatorum, te in tam miserabilem iniicias statum.

4. Ne sis causa interitus tui & familiæ tuæ. Perpende præterea, ne non solùm tui, sed etiam familiæ, imò & gentis tuæ totius sis causa interitus. Id enim euenire aliquando testantur verba illa: tum Dei ad Abrahamum: *Nec dum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus:* quando verò impletæ fuerunt eradicati sunt: tum Christi Domini ad Iudæos: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Et Apostoli de iisdem, *vt impleant peccata sua semper, peruenit enim ira Dei super eos, vsq; in finem.* Quare ne per te mensura hæc impleatur perhorresce, horror verò resipiscentiam, resipiscentia pænitentiam, pænitentia viuam spem, spes salutem obtineat.

Gen. 15. 16

Mat: 23. 32

1. Tess: 2. 16

5. Considerare multa debere præcedere. Addes autem & alia quæ te iuuare possunt media & remedia. Tale est; considerare multa, & multa nimis præcedere debere, antequã eò res deueniat, vt quis ex induratorum sit numero.

numero. Quod etiam ex ipſo Euangelio hodierno haud obſcurè colligitur. Quis enim ignorat, quàm multa dixerit, feceritq́; Chriſtus Dominus in gratiam Iudæorũ antequam eueniret, quod hîc audis? HÆC OMNIA LOCVTVS EST IESVS IN PARABOLIS AD TVRBAS (maximè verò ad Phariſæos, qui in turba erant.) ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS. Id eſt, antequam (vt ex Eſaia, & Matthæo interpretatum audiſtis) illis viderentur omnia parabolicè dicta, etiam illa, quæ clariſſimè dicebantur; quod fuit excæcationis ſignum euidẽs: multa ſanè & ferè infinita præuenerunt. Quæ necdum in te expleta eſſe ſperare debes, & per ſpem ad pænitentiam conuerti. Quam ad rem valebit plurimùm amputare & tollere ex te cauſas, quas tantorum malorum & in Cain, Pharaone ac aliis fuiſſe vidiſti, & in te eſſe facile animaduertere potes. Caput illorũ eſt (vt demonſtrauimus) OBSVRDESCENTIA; de qua paulò pòſt.

Alterum ſunt blaſphemiæ, quas omnes iſti euomunt, qui vel maiorem eſſe ſuam iniquitatem, quam Dei miſericordiam cum Cain aſſerunt; vel culpã ſuã malã, in bonum dñum impiè conferunt. Audituri ni reſipiſcant, illud ſeuerè dictum: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Verè bonus, qui & infinitas effundit gratias, etiam in obſtinatos, &, ſi fortè aliquando ab his ceſſat (hoc verò eſt vt

6. A blaſphemiis abſtinendum.

Ma: 20. 15

NOTA. Quid ſit excæcatio ex parte Dei.

dixi excæcare, ac præterea permittere vt pro libito agat, tam Sathan, quàm peccator, nec quicquam in excæcatione vel induratione, ex parte Dei reperitur amplius) id propterea facit, quia illi omnia quæ dat ad resipiscendum media, non respuunt solùm, & auersantur, sed etiam iis impiè abutuntur. Equidem ipsi etiam Ethnici vnica ratione duce facilè iudicarent tales omnibus his beneficiis esse indignissimos. Ideò ipsi Idololatræ iudices istorum blasphemantium erunt, & *condemnabunt eos*, sicut Niniuitæ, & Regina Sabæ Iudæos, teste Christo condemnabunt. Tertiò, tolles è medio temerarium iudicium, quod fit dupliciter. Vno modò quando iudicamus alios esse ex numero obstinatorum. Magnum malum, quo etiam qui in eremo vixerunt aliquando laborarunt, ideòq; à Deo hoc nomine reprehensi fuere: altero modo fit, quando nosmetipsos esse ex induratorum genere censemus. Vtrumq; est periculosum & pernitiosum valdè, ideò extirpãdum. Hoc quidem ne in desperationem incidamus: illud verò ne à Christo Domino grauiter puniamur. Os eẽ ipsius locutum est. *Nolite iudicare, vt non iudicemini:* quod dictum IESV hîc vel maximè locum habet. Quartò cauendum vehementer, ne nimium rebus huius mundi simus dediti, neglectis cælestibus, prout fecit Cain, qui neglecta pænitentia, ad quam illum Deus hortabatur, sollicitus fuit ne occideretur. O quã hoc

Mat: 12. 41

7. Cauendũ valde duplex iudicium.

Mat: 7. 1.

8. Sollicitudo puersa profligãda.

Gen. 4. 14

hoc est familiare talibus. O quàm nociuum & fons omnis mali. Vtinam non serò sapiant, qui nunc ita desipiunt.

Contra duplex verò illud desperationis barathrum, in promptu habenda sunt exempla eorum, qui ex magnis latronibus, ad magnã frugẽ rediêre. Talis fuit Moyses ille, olim dux latronum, dein inter Monachos sanctitate clarus. Talis Albanus, prius furiosus parricida: postea post pænitentiam miraculorum patrator. Tales alii. Neque fæminæ in hoc genere defuerunt, vt Magdalena in Euangelio, vt Tais & Pelagia in Vitis Patrum, vt aliæ. Non permittent igitur viri se à mulieribus superari: tantummodò pænitentiam non differant, ne impænitentes in peccatis suis moriantur. At ingentia sunt, inquis, peccata mea. Certè neque horum, harúmue quas enumeraui parua erant: nec minora Manasse Regis Iudæorum, qui Idololatriæ omnis generis, qualem nec ipsi exercuerant Amorrhæi, teste scriptura; addidit maxima alia scelera: *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manassès, multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os.* Nihilominus hic qui in tantis peccatis perseuerauit multis annis, *postquam orauit Dominum Deum suum, & egit pænitentiam valdè,* non remissionem peccatorum tantùm, sed regnum etiam à Deo benignissimo obtinuit. Hunc igitur & alios ante oculos habeant, quos postquã Sathan in profundum peccatorum impulit, contemnere

9 Exẽpla habẽda cõtra desperatio. nem.

Hist: Tripart. lib: 8 cap: 1. Pet: de Natalibus.

Luc. 7. 37.

Obiectio soluitur.

Exẽplo Regis Manassę

4. Reg: 21. 2. Par. 33.

Pro: 18. 3.

 diuina,

diuina, & amplecti desperationem suadet.

10. Media via gradiendũ inter iustitiã & misericordiam diuinam.

Præterea, ea quæ de misericordia & iustitia diuina diximus, iugiter considerent. Misericordiam quidem, quę *omnes homines vult saluos fieri*, teste vno; quæ neminem vult *perire* teste altero Apostolorum Principe, quæ omnia adhibet media & remedia per se, & per suos, vt peccator conuertatur & viuat. Nunquid id in Cain, Vdone, & aliis exemplis nõ vidisti? quæ deniq; boni semper, mali nunquam autor est. In bono eñ Deus, in malo homo semper incipit. Has igitur misericordias Domini considerent peccatores, ne desperent. Sed & iustitias meditentur, tum vt benè de Deo semper sentiant: tum ne pænitentiam differant. Ante omnia autem securim ad radicem apponant velim. Radix autem (vt sæpè diximus) excæcationis, indurationis, & omnis mali est OBSVRDESCENTIA, quæ illis in Euaugelio hodierno notatur verbis: HÆC OMNIA LOCVTVS EST IESVS IN PARABOLIS. ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS. Audite & cognoscite infælicissimum genus hominum. Quòd verò est istud? Non aliud quam cui IESVS in parabolis, mundus verò sine parabolis loquitur. Tales erant olim Pharisæi: tales nunc sunt omnes obstinati. Cur enim illi Messiam non receperunt? Quia in Christum credere noluerunt. Cur id? Quia verba Christi non intellexerũt. Cur verò ea nõ intellexerunt? Quia quid sibi

1. Ti. 2. 4.
2. Pet. 3. 9.

NOTA.

11. Radix ãputãda OBSVRDESCENTIA.

vellent

vellent eius parabolæ, interrogare noluerunt. Cur ergò non interrogarunt? Quia indecorum illis visum est, hominis qui nec literas didicerat (id enim ei exprobrant) nec habebat vbi caput reclinaret, magisterio vti. Id verò mundus & mundana superbia eos edocebat, cui obtẽperabant, ad diuina verò Christi dicta obsurdescebant. Quos vtinam non imitentur, qui Christiano censentur nomine: atque vtinam saltem sint pauciores. Hos igitur moneo, hortor, rogo, & per Christũ Dominum ac ipsorum salutem obtestor, vt fontem hunc & originem totius mali, OBSVRDESCENTIAM inquam, ex animis & mentibus suis curent depellere quàm maximè: diuina audiant amanter, sacris concionibus adsint frequenter: doceri arguiq; velint libenter: quæ contra peccatores dici audiuerint, non aliis (vt fieri solet) sed sibi applicent diligenter: ac deniq;, si quid non intellexerint, cum syncero veritatem agnoscendi, vitamq; emendãdi proposito, solerter & humiliter interrogẽt. Ausim affirmare, si id Pharisæi fecissent, benignissimum præceptorem Iesum, suarum parabolarum interpretationẽ; illis non denegaturũ fuisse. Quare quod Iudæi agere neglexerunt, tu ô Christiane facias, ne cum ingratis tu ipse magis ingratus, qui & plura ac clariora mysteria didicisti, & maiora beneficia accepisti, grauius etiam quàm illi puniaris: sed cum verè pænitentibus conuertaris, vt & hic gra-

Ioã. 7. 15.
Luc. 9. 58

tiam

tiam & illic gloriam obtinere valeas, præstante Domino nostro IESV Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. AMEN.

SENSVS LITARALIS NORMA.

CONCIO SECVNDA Fides.

Simile est regnum cælorum fermento, &c.

De sẽsu scripturæ cur agendum.

1. QVandoquidem circa hodiernum Euãgelium, maximè verò circa parabolam fermenti, offert se occasio agendi de
2. interpretatione scripturæ sacræ, minimè eam prætermittedam esse censui: cùm ad pleniorem huius Euangelii intellectionem: tùm verò ob examen & excussionem quorũdam principiorum, & regularum, quibus antesignani Hæreticorum, & sequaces suos excæcant, & seipsos intricant; vt in hac etiam parte verũ
1. Tim. 1.6 sit, quod de illis Apostolus inquit: *Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, nõ intelligentes, neque quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.* Luce profectò meridiana id est clarius, cùm in aliis, tũ verò in nostris partibus.
3. Est verò hocipsum scitu etiam pernecessariũ; cùm ex recta scripturę interpretatione agnitio veritatis; hinc verò salus nostra depẽdeat.

Prop. Quadripartita.

Quare inprimis proponemus axiomata quædam & regulas scripturæ interpretandæ, ab Hæreticis partim confictas, partim ex Patribus

tribus desumptas, sed malè intellectas: easq; norma, tum Euangelii hodierni, tum rationis perpendemus. Agemus deinde de vario sensu scripturæ, maximè verò de literali. Præterea, quæ sint obseruanda in explicanda sacra scriptura, ne detur errori locus, docebimus: ac denique quomodo & hinc, & ex Euengelio, vera in terris Christi Ecclesia cognosci possit demonstrabimus. Da Christe IESV ita id perficiamus, vt in agnita veritate rectè ambulantes, eò vbi nulla opus est interpretatione, peruenire fæliciter valeamus.

I. PARS. Axiomata hæreticorũ continet.

Cardinem fidei nostræ esse sacram scripturam asserunt Hæretici; neque nos abnuimus dum modò & rectè id intelligatur: & particula SOLA, qua suos sæpenumero mirè dementant, non addatur. At vtrumq; illis est difficile, ne dicam impossibile: hoc, quia fallaces; illud, quia excæcati sunt. Hinc illa eorum axiomata. Primũ, solam scripturam sufficere, nec quicquam requiri amplius. Id verò (antequam ad vlteriora procedamus) ipsi scripturæ est contrarium, quæ multa alia requirit: nempe Pastores, quos audire iubet: *traditiones* quas *tenere* præcipit: Prophetas, quos probare suadet; consuetudines quibus vt se tueantur fideles mandat Apostolus; & alia generis eiusdem vt hinc, erroneũ esse hoc Axioma illorũ (pręcisè sumptũ) facilè euincatur. Multò magis verò absurdum est alterum, nempe Sacram scripturam per se esse facilem.

1. Scripturã esse cardinẽ fidei. Explicatur id. 2. Scripturã solam sufficere. Refutatur.

Luc: 10.16. *2. Tess: 2. 15* *1. Cor: 14. 29.* *1. Cor: 11.16*

TERTIVM AXIOMA: Scripturã esse facilem.

Do:1. Advent: Côc:2.

facilem. Demonstrauimus id integra concione, & aliâs non rarò. Certè hoc ipsum quod p manibus habemus Euangeliũ demẽtię illos arguit totum. Demus aliquot argumenta: reliqua in alia concione referemus. Etenim quid quæso GRANO SINAPIS cum REGNO COELORVM, nisi metaphoricè intelligatur? Omnis verò metaphora difficilis est, aliâs metaphora non esset. Idem dic de fermẽto: Multò magis autem de eo, quòd dicitur Christus Dominus IN PARABOLIS locutus, & SINE PARABOLIS dixisse nihil. Quid? parabolæné carent difficultate? Quomodo verò sine parabolis nihil locutus dicitur? Denique rationes additæ, & in prima Concione expressæ, quas non habent difficultates?

Absurditas eius demõstratur.

QVARTVM Scripturã esse clarã docibibus Dei. Respõdetur

At verò dicunt facilia hæc esse iis, qui sunt *docibiles Dei, vt scriptura testatur*. Testatur sanè, & digito quod dicitur extento monstrat. Hæreticos tales non esse. Quomodo em̃ illi docibiles sunt, qui Doctores haberi volũt? quomodo auditores erunt, qui Sacrę scripturæ interpretes, etiam illorum mulierculæ, etiam ex infima plebe quiq; se esse iactitant? Quid ineptius? quid scripturæ magis cõtrarium? Quid dicam de inconstantia illorum in rebus fidei? Hæc sola certè euidenter prodit, illos docibiles Dei non esse. Lepidum quid nuper audiui. Racouiæ vbi nidus est Anabaptistarum, fidem esse menstruam. Quid ita? Cogunt cõuenticula

Lepida historia.

uenticula mẽsibus singulis; in quibus de proposita quęstione ad fidem pertinente dicunt suas sententias congregati; ac tandem concludunt; credendum aliquid tam diu donec aliud determinetur, quod fit nonnuquam sequẽti coitione. Non dubito procedere id ex verbis illis Apostoli pessimè intellectis. *quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat, potestis em̃ omnes per singulos prophetare,* &c. quæ Anabaptistæ semper in ore habent; qua de re aliâs, Deo dante, disseremus. nunc satis sit demonstrasse, quàm sit, & eorum qui se docibiles Dei maximè vocant, gloriatio vana; & mens humana sine rectore vaga. Puto enim hæresim hanc ex eorum esse numero, qnam retulisse, confutasse est: nec dubito omnes, qui Christianos se vocant (præter stolidos Anabaptistas) idẽ mecum sentire. Non enim menstrua est fides Christi in verbo Dei fũdata; sed talis qualem ipse veritatis autor describit dicens: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* 1. Cor: 14. 30. Luc: 21.

Quæ cũ ita se habeãt, quæro iam ab aduersariis: Sit ne necessaria scripturæ Sacræ interpretatio, nec ne? Si necessariam esse aiunt, negent per se esse facilem: facilia enim dicuntur, quæ expositione non indigent. Si negãt scripturam indigere declaratione, cur ipsi etiam Anabaptistæ conueniunt ad eam explicãdam? cur alii tam ingentia & pene iam infinita edunt in scripturam volumina? Cur placita sua non obseruant? Hoccine est esse Dilemmate arguitur vanitas hæreticorum.

Euan-

Responsa & alia Hæreticorũ axiomata.

QVINTVM Velle se iuxta scripturã iudicari.

Euangelicum, sibi non constare? At enĩ nos (inquiunt) scripturam per solam scripturam interpretamur. Ipsa enim scriptura iudex est omnium controuersiarum, quæ quod vno in loco obscurè, in alio clarè enunciat. Quapropter secundum scripturam nos iudicari non solùm patimur, sed etiã rogamus. Hæc sunt dicta hæreticorum, quæ memini me apud Caluinianos legere: indeq; colligere; eos more solito hypocritas agere. Exemplo id euidenti propter simpliciores demonstremus. Nec alio, quàm quatuor illis domini Iesu verbis; HOC EST CORPVS MEVM, iuxta quæ & ego, & mecum omnes quotquot sũt Catholici; omnes etiam Greci & Russi; Schismatici omnes; deniq, Lutherani, myriades hominum infinitæ, iudicamus, in Eucharistia esse verũ corpus eius, qui hæc verba primus protulit, Christi IESV, Acquiescentnè, Caluiniani huic nostræ sententiæ? O vtinam acquiescãt, resipiscant, & viuant. Sed vereor ne hisce contrariis subscribant, iis videlicet, qui pro verbo Christi, Hoc reponunt suum verbum panis, pro EST ponunt, non est, sed vel designat, vel figurat, vel quid simile; pro CORPVS MEVM, non corpus IESV sed virtutem, succum, energiam, corporis eius intelligunt. Cur quæso his acquiescunt? an idcirco, quia hæc expositio conuenit cum scriptura, nostra verò dissentit ab ea? Nihil minus, cùm hæc ne verbum quidem integrũ in verbis

Redarguitur

Exemplo.

NOTANDO.

Mat:26.26
Mar:14:22

in verbis Christi relinquat; nostra verò & tres Euangelistas, & D. Paulum pro se habeat: & omnia verba vt iacent, accipiat. Mendacium igitur est Hypocrisi tectũ, quod scribunt. Non enim hæretici secundum scripturam iudicari: (vt simulatè apud plebem iactant) sed ipsi de scriptura iudicare volunt. *Luc: 22.19* *1.Cor:11.24*

Quod verò ad axiomata illa, siue regulas interpretandi scripturam, quas hæretici adferunt, attinet, video in paucis verbis tres notatas: quarum prima, vt ab illis profertur, & inepta ac fraudulenta est, & vniuersalis non est: altera falsa; tertia absurda. Ineptè & veteratoriè dicitur (in quo maximè gloriantur) scripturam per scripturam esse explicandam, cum non de hoc, quod omnes nouimus, sit nostra controuersia: sed an reperiatur aliquis, vel aliqui in mundo, qui id absq; errore prę-stare possint? ad quam quæstionem nunquam directè respondent. Fraudulenter enim hoc axiomate volunt, scripturam cùm plebis tum verò suo capiti submittere: vt quæ illis videtur recta scripturæ per scripturam interpretatio, ea sit authentica, licèt sit absurdissima. Deniq; vniuersalis non est, quia sæpe id haberi non potest, vt statim videbimus. Altera regula, qua asserunt, quod in vno loco obscurè dicitur, in alio clarè haberi, falsa est. Vt interim taceam fraudem illorum, qui non obscura per faciliora plerumq; interpretantur

SEXTVM Scripturã p̃ scripturã esse interpretandam.

Fraudes deteguntur.

SEPTIMV̄ Axioma.

Falsum & fraudulẽtũ.

ſed contra facilia obſcuris inuoluunt, vt ſic incautos decipiant. Tertia abſurda eſt, vt aliâs demonſtrauimus. Neq; enim vlla vnquam tam ſtulta inuenta eſt Reſpub. (qualem ipſi Chriſti Rempub. ſeu Eccleſiam fingunt) quæ à lege non à iudicè iudicari vellet. Quanta Babylon & confuſio eſt apud iſtos homines, qui contra totam nouam & veterem legem, legẽ cum iudice miſcent?

OCTAVV̄ Scriptura iudicat.

Abſurdiſſimum.

Quid? quod ipſius Euangelii verba, abſurditatem horum axiomatum quibus illi ſuam cauſam fulciunt, clarè euincant? Quæro enĩ ab his, quid per FERMENTVM hic intelligatur? Scripturam, inquiunt, ſeu verbum Dei intelligi Qua alia ſcriptura teſte? Tacent. Vbi quæſo FERMENTVM pro verbo Dei clarè reperitur in Bibliis? Nullibi ſanè. Falſum igitur eſt, quod in vno loco obſcurè dicitur in alio expreſſe haberi. Fallax & Achilles illorum nempe ſcripturam nõ niſi per ſcripturam exponendam eſſe. Nam vltra id, quod iam diximus, quod hic quoq; locum habet, eſt & aliud notatu digniſſimum; FERMENTVM metaphoricè acceptum, nuſquam aliâs in tota ſcriptura in bonam partem ſumi, ſed præter ſuam naturalem ſignificationem (cuius in veteri teſtamento frequens eſt mentio) vitium ſemper deſignat. Ita Chriſtus Dominus per *fermentum doctrinam phariſæorum* intelligit. Apoſtolus verò dum vetus fermentum, expurgare iubet, pro omni genere impietatis fermentum.

ExEuãgelio demõſtratur abſurditas eorum axiomatum.

Septimi.

Sexti.

Ma. 16. 11.

1. Cor. 5. 6.

mentum capit, ideò subdit: *neq; in fermento malitiæ*. Quomodo ergò hoc fermentum bonum per aliam scripturam expones, cùm fermentum nil boni in tota scriptura significet? Falsum igitur est, hoc alterum hæreticorum axioma. Postremum verò longè falsissimum. Si enim ego in parabola hodierna FERMENTVM vitium interpretabor, qua scriptura iudicè me condemnabis? Imò verò, nonne ego te qui verbum Dei, per fermentum intelligis, D. Pauli, & ipsius Christi testimonio arguam? Octaui.

At inquis ex antecedentibus & consequentibus intelligitur, FERMENTVM hìc in bonam partem sumi oportere. Cedo quæ sunt ista antecedentia & consequentia expressè id docentia? Ego neq; interpretationem Christi Domini video, quam in aliis parabolis cõspicio, neq; quicquam aliud. Hæc dixerim, non quòd reiiciam postremam hanc scripturæ interpretãdæ regulam (de qua paulò pòst plura dicemus) quę à SS. Patribus & Doctoribus comendatur. Sed vt tria demonstrem pernecessaria. Primum, eos hanc regulam minimè in vsu habere. Secundum vti eos alia planè veteratoria arte. (audite fucum & obstupescite) Cùm enim de verbo aliquo scripturæ inter nos, & illos controuertitur: de antecedentibus & consequentibus parum pensi est illis; quin imò sæpè quantùm possũt ea refugiunt, ne conuincantur. Quid verò faci-

NONVM axioma Antecedentia considerãda Verum, sed tria puersa.

1. Quia eo nõ vtũtur.

2. Quia fraudẽ hic mirã exercent.

NOTA.

faciunt? Id videlicèt; quærunt, & inuestigant sagacitèr, vbi nam in tota scriptura tale verbum saltem insinuare videatur eam expositionem, quæ illis fauere possit: eo verò inuento, quos triumphos coram suis non agunt? quàm Trasonicè de interpretatione scripturæ per scripturam gloriantur? etiamsi illa expositio nihil ad rem, sed mera sit impostura. Exemplorum infinitus est numerus. Ita Lutherani TRADIDI pro præcepi, apud Apostolum interpretantur. Ita Sacramentarii, EST pro significat, in verbis Christi sumunt. Quod si ita agi oporteret, posset quis
1 Cor: 11. 23 (absit verbo blasphemia) & Paulum prodi-
Ma: 26. 25 torem constituere, cùm tradidit loco prodi-
1. Pet: 5. 8. dit in scriptura positum reperiatur, & Diabolum in Christum vel contra transformare,
Apo: 5. 5. cum leo vtrumq; apud Apostolos significet.
5. Quia Sophistas agũt Deniq; quod circa sextum axioma dictum est hîc quoq; locùm habet. More enim suo mutant statum causæ hæretici. Quærimus enim de iudice qui siue secundum hanc regulam, siue alio modo, per assistentiam Spiritus Sancti possit nobis absq; vllo errore dicere, quænam sit propria, quæ verò adulterina scripturæ alicuius interpretatio. Hunc nos in Romana Ecclesia esse agnoscimus & benignissimo seruatori Christo IESV eo quoq; nomine quas
Dominica 2. Aduent. Concio 2. possumus maximas gratias agimus. Verùm quia hac de re aliâs copiosius egimus, ad alia transeamus.

Itaq;

Itaq; quæro denuo, verba illa in hodierno Euangelio APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM, etcætera, cuius nam sint apud Dauidem, vnde desumpta fuerũt? Asaph inquis. Id enim titulus domonstrat. Quomodo ergò ab Euangelista Christo domino tribuuntur, si non Christi sed Asaphi sunt? Quam hîc scripturam per aliam interpretaberis? Interrogatio hæc tangit præcipuam, quæ est in interpretatione scripturæ difficultatem, nempe de vario scripturæ sensu. Quam excutere non videtur quidem huius loci propter simplices; at verò est propter doctiores (quorum hic nõ paruus est numerus) Quod enim Apostolus de se dicit. *Sapientibus & insipientibus debitor sum*, id etiam nobis competit in his præsertim oris, vbi & fideles instruendi sunt, & infideles conuincendi, qui licèt sæpè ipsi ignorent quid dicant, vel *de quibus affirmant* dicunt tamen & facessunt negotium, sicut in aliis, ita in inuestigando sensu scripturæ sacræ. Itaq; velim ex illis intelligere, an præter historicum (quem solùm iactant) admittẽdus sit alius quispiam sensus in interpretatione Sacræ scripturæ? Si alium necessarium esse censebunt, neq; sibi ipsis constabũt, cùm id vt plurimùm negent; neq; axiomata sua defendere valebunt. Nam si scriptura diuersos in se continet sensus, quomodo per se facilis dicetur? quomodo erit iudex omnium controuersiarum, si non constat in quo sensu

II. PARS. De vario scripturę sẽsu tractat.

Ps. 77. 2.

Rõ: 1. 14.

1 Tim: 1. 7.

Status controuersię.

Vrgẽtur dilemmate hæretici.

est intelligenda? & an non secundum diuersos modos, sensus diuersos admittat? quomodo deniq; vna per aliam exponenda erit, cùm variæ scripturæ, varia & plura significēt? Sin verò negant alium præter historicum recipiendum esse, erroris conuincentur à D. Mathęo qui quod in sensu historicò de Asaph in psalmo dicitur, hoc ipse in Euāgelio Christo Domino applicat. Quo sensu? Non historico, quia hic vnus tantùm est; non alio, quia is secundum illos non reperitur.

Responsio diluitur.

Respondebunt fortassè, reperiri sensus alios, nempe mysticos, spirituales, Tropologicos, hisq; similes, quos omnis antiquitas agnoscit. Vobis verò hæreticis quid cum antiquitate? qui totam antiquitatem proscinditis? Verùm hæc missa faciamus, & duo dicamus. Alterum, & suscipere nos sensus istos tanquam in scriptura fundatos; & venerari tanquā à SS. Patribus traditos; & iis tanquā vtilissimis, pro loci, temporis, ac personarum necessitate vti, nunc tamen ne æquo longiores simus, de iis nihil agemus. Alterum dico, refugium hoc nullum esse; cùm constet inter nos; ex his sensibus (nisi aliunde robur accipiant) firmum pro rebus fidei argumentum capi non posse; ideò ad talem interpretationem scripturæ, de qua nunc agimus, nihil pertinere. Itaq; aliud respondeant hæretici necessum est: præsertim cùm & alia eiusmodi haud pauca in scriptura reperiantur exempla.

De sensu spirituali nō agemus.

Iterū vrgentur hęretici.

Alia exēpla de vario sensu literali vnius loci.

pla. Celebre est illud quod Moyses de agno 1.
paschali inquit, *nec os illius confringetis*, D. Io- NOTA.
annem asserere in Christo impletum esse, qñ *Exo:12.46*
crura ipsius in cruce confracta non fuerunt. *Num: 9. 12* *Ioã:19.36*
Pari ratione quod in psalmo dicitur: *Filius me-* 2.
us es tu ego hodie genui te. id Paulus duobus, imò *Psal: 2. 7.*
si bene cõsideremus tribus interpretatur mo- *Heb: 1. 5.*
dis, Primò de æterna eius generatione; Secũ-
dò de humanitate, cùm enim inde deducat *Heb: 5. 5.*
sacerdotium ipsius; Christus verò non nisi
iuxta assumptam naturam fuerit, est, eritque
ad consummationem sæculi sacerdos, secun-
dum ordinem Melchisedech, humanam eius
inde naturam probat. Tertio ex eodem loco *Act: 13.33*
confirmat resurrectionem Christi à mortuis.
Quo sensu? Num mystico? At hic firmus nõ
est. Num historico? Sed hic vnicus tantùm
est. Ego certè nõ video quid hæretici respõ-
dere possint, qui hæc duo coniungunt: alte-
rum in solida scripturę interpretatione solùm
sensum historicum locum habere; alterum,
hunc vnicum tantùm esse.

Nos verò Catholici, quid adhæc dicemus? Distinctio inter sẽsum historicũ & literalem.
Video Doctores recentiores passim admitte-
re vnius loci plures sensus literales; & ita ad-
mittere, vt quidam arbitrẽtur id forte esse de
fide, quibus libenter subscribo, addita distin-
ctione, inter sensum historicum (quem solũ
Hæretici vrgent, magis fugientes minus Lati-
num verbum, quàm minus Catholicam fidẽ)
& literalem. Hac enim ratione & diuersa tam Tres inde vtilitates.

Doctorum, quàm Sanctorum Patrum ea de re ſcripta facilè intelligentur; & argutiæ Hæreticorum euaneſcent, & diſſoluetur quæſtio aliâs difficilis. Differentiæ autem inter eos hæ dari poſſunt. Prima, ſenſum hiſtoricum tantùm vnum eſſe; literales verò poſſe eſſe plures. Altera: Hiſtoricum eſſe quem ſcriptor Eccleſiaſticus, vel ſolùm, vel præcipuè (poterat n. per reuelationem & alios noſſe) præ oculis habuit: literalem verò illum, quem non ſolùm intendebat (alias enim ſpirituales omnes eſſent literales) ſed etiam verbis ſiue propriis, ſiue metpahoricis exprimebat is, q ſcriptoris linguam aut calamum dirigebat. Hic verò cũ non ſit alius, quam ipſe Spiritus ſanctus, multa verbis iiſdem ſignificari voluit, quæ poſtea quando, & cui placuit, manifeſtauit. Prout in iam citatis locis, & noſtro Euãgeliſte & Ioãni, & Paulo Apoſtolo reuelauit, ideq; nũc Eccleſię ſuę pro libito & neceſſitate præſtat. Neque refert quicquã, ſintné pii, vel impii quorũ linguam; aut calamum dirigit Spiritus ſanctus, dummodò aut promiſſis ſuis ſatisfaciat, aut Eccleſiæ (quam docet & gubernat) prouideat Deus. Eximiũ ſanè videtur mihi dari huius rei exempſum in Caipha peſſimo Pontifice, cuius decretum longè alium ſenſum habuit in mente ipſius, quàm habuit in intentione Spiritus ſancti, qui ei tanquam Summo Pontifici aſſiſtendo, & prophetare, & talia verba proferre illum fecit, quæ varium paterentur ſenſum.

Differentiæ verò.
1.
2.
NOTA. Quid cõpleƈtatur ſẽſus literalis.
NOTA. Itẽ cõſolationẽ Catholicorũ maximam.
Ioã: 11. 49

sum. Hæc verò est maxima nostra consolatio & firmitudo, qui membra Ecclesiæ Catholicæ existentes, nouimus quidquid ab vniuersalibus eius Pastoribus, in rebus fidei morumq; tanquam ex Cathedra decernitur, verum sensum habere, etsi fortè accidere posset, eum ab illo qui verba profert non penetrari. Intelliget enim ea rectè cuius maximè interest Ecclesia; sicut verba Caiphæ intelligit. Deniq; sensus Historicus superat literalem in claritate, sed dignitate longè ab eo superatur. Ideò hic principalis (tanquam præcipuè à Spiritu sancto intentus) vocandus est. Notat id D. Augustinus: notant & alii, estq; res notatu apprimè necessaria, pro intellectione scripturæ. Et clara meo iudicio, tum in parabolis, in quibus historicum dixerim, qui verbis parabolæ exprimitur: literalem verò, qui iis designatur & principaliter intenditur: tum illo testimonio: *Os non comminuetis ex eo*. Horum enim verborum maximè literalem & præcipuum sensum esse, quem Euangelista proposuit nil omninò dubito. (cùm id quoque voces sonent) minus verò principalem, quem Moyses expressit, licet is & Historicus sit, & clarior: ille verò ad comestionem agni nihil penitus pertineat. Itaq; illis iisdem verbis, *nec os illius confringetis* præcipitur, tùm Iudæis, ne os agni Paschalis comminuãt: tum verò Gentibus, ne id in Christo vllo modo faciant, ideòq; vtriq; abstinuerunt.

3. Differẽtia

Io: 19. 36.

Exo: 12. 46

Ex Euangelio hæc declarantur.

Psal: 72. a

Hoc ipsum discrimen videre licet in eo, quod ex Euangelio protulimus Scripturæ testimonio. Verba etenim illa APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM, si primam illorum originem & historiam spectes, Asaph, vel Dauidis potiùs sunt; commemorantis beneficia præstita Iudæis: si verò præcipuum eorum sensum literalem cõsideres, Christi Domini erunt; vt D. *Matthæus* interpretatur, & res ipsa loquitur. Sic enim incipit: *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei, aperiam in parabolis os meum*, &c. Quæ omnia Christo IESV Domino nostro, qui verus est legislator, qui omnes populos, nationes, & linguas in manu habet, qui plurimas protulit parabolas, magis competere, quàm Dauidi, qui non parabolas, sed historias ibi recenset, non est qui non videat. Atq; ita difficultati propositæ, tum de diuersitate sensuũ scripturæ, tum de loco citato, fiet satis.

NOTA.

Duo hic extrema fugiẽda esse.

Cæterùm antequàm ad vlteriora procedamus, monendi mihi videntur illi præsertim, qui alios docere debent, vt in expositione scripturę duo fugiant extrema; nempe ne aut mystico scrupulosè, aut historico sensui nimium adstringantur. Vtrumq; enim in vitio esse arbitror. Illud quidem, tum quòd præcipua scripturæ interpretatio negligatur, tum quòd Hæreticis calumniandi Ecclesiam occasio detur: hoc verò tum quòd in eo Rabbinis, & his similibus nimium tribuatur: tum quòd argu-

menta

menta Catholica eneruentur. Contra abuſus loquor, qui etiã in Catholicos hac in parte irrepere ſolent. Bonum eſt, imò optimum, vt pro Concionibus in ſenſibus ſpiritualibus & moralibus cautè, prudenter, & deuotè abũdẽt verbi Dei prædicatores: ſed minus rectũ aut ſenſum literalem negligere, (qui aliorum fundamentum eſſe debet) aut in controuerſiis omnia ad myſticos ſenſus reuocare velle. Similiter laudabile eſt, in ſcripturæ interpretatione ſenſum Hiſtoricum, maximè verò literalem diligenter inueſtigare: at malum inimicis Chriſti & Eccleſiæ plus æquo credere; peius verò eos, qui id non faciunt, inſectari; peſſimum autem argumenta Catholica contra Iudæos & Hæreticos, maximè verò contra nouos Arianos, & Samoſetanos enarrare: in quod vitium tales facilè & ſæpe incurrunt; præſertim in Pſalmis: vbi ſicut ſenſus eſt occultior, ita error eſt facilior, & periculoſior. Si enim (exempli cauſa) Pſalmum quem Catholici & Sancti Patres de Chriſto dictum volunt, ego Rabbinos ſecutus, de Dauide. vel de quopiam altero accepero, quomodo contra infideles firmum inde deducam argumentum? Nunquid non ſtatim reſpondebit mihi, cùm inter nos conſtet de Dauide ibi ſermonem eſſe, quid mihi Chriſtum ingeris?

Senſu ſpirituali q̃mo vtendum.

Abuſus & Rabbini cauendi.

At (inquis) hoc vult litera ſecundum Hæbraicos fõtes. Tu autem vnde id noſti? Quaſi verò difficile ſit, tum apices apud Hæbreos mutare,

Obiectio ſoluitur. Mira Rabbini cuiuſdã impudẽtia.

mutare, aliamq; radicem inuenire: tum res difficiles ad varios torquere sensus. Rabbi Salomon ex præcipuis Christianorum inimicis, fatetur maiores Iudæorum Psalmum secundum de Messia intellexisse: Sed ego (ait) in despectum Hæreticorum (ita Christianos vocat) illum de Dauide interpretabor, quod & facit, iuxta historiam, quæ 2. Reg: 5. describitur. Eant nunc eiusmodi Catholici, & omissis lucidissimis Sanctorũ interpretationibus, fætidos inimicorum Christi fontes sectentur; qui & in historico sensu sępe, & in literali quasi semper turpiter tum ex odio, tum ex insciția hallucinantur. Literalis autem sensus, vt est pręcipuus, ita maximè vrgeri debet; vt verò est occultior, ita sum̃a diligentia persequẽdus erit, non ex apicibus Hebræorum, sed ex solidis Catholicorum fundamentis.

III. PARS Qui sit literalis sensus inuestigat. Quare inuestigandi indagandiq; sunt nobis modi, & regulæ; per quas ad propriam & germanam scripturæ interpretationem, & sensus literalis cognitioñe peruenire valeamus. Sensus autem proprii ac legitimi literales (plures enim esse vnius loci demonstrauimus) sunt illi, quos descripsimus; nempe quos Spiritus sanctus primus Sacræ scripturæ autor verbis illis siue clarè, siue obscurè significare voluit.

Rõ: 11. 34. Quã id scitu difficilè. At quis cognouit sensum Domini quærit Apostolus? Respondebunt Ministri Hæreticorũ,

Impudẽtia Hæreticorũ. omnes etiam mulierculas quam primùm fidẽ nostram susceperint id nosse. Cæterùm à nobis

bis absit tam blasphema responsio. Scimus enim Apostolum hanc impudentiam iam olim coarguisse dicendo: *Nunquid omnes interpretantur?* pro magno id absurdo reputando, sicut verè est absurdissimum. Nobis igitur indagandi sunt, qui id priuilegii à Domino acceperint, vt scripturam sacram interpretentur, & sensum Spiritus sancti agnoscant. Hi verò duplices sunt, alii quidem qui absq; errore id faciunt: alii verò qui probabiliter hoc præstant. In primo genere primum locum obtinent, qui ipsam scripturam nobis tradiderunt, vedelicet, Christus Dñus, Apostoli, & Euangelistæ; qui quotiescunq; aliam scripturã sunt interpretati, expositionem illam pro literali agnoscimus, veneramur, vrgemus. Etiamsi allegoriæ fiat mentio. Nam quod olim veteribus fuit in allegoria dictum, hoc nunc apud nos literalem sensum habet; ac proinde duos filios Abrahæ, duo denotasse testamenta certa à nobis fide creditur, quia Paulus id nobis explicuit. Eiusmodi sunt & alia non pauca in epistola ad Hebræos. Huic primæ regulæ scripturam exponendi puto nec ipsos Hæreticos refragaturos, nisi impudẽtes velint esse nimis.

1 Cor. 12. 30

Duplices interpretes. NOTA.

PRIMI generis sunt infallabiles. Eiusmodi vero sunt. 1. Christ. & Apostoli.

Gal. 4. 24

Cæterũ qñ id deest non deest tñ Dei suauis dispositio, quæ nobis de alio, literalẽ scripturæ sensum absque vllo errore cognoscendi modo, & via prouidit. Id verò fit per Ecclesiam per quam sicut alia secreta, ita hoc quoque suis manifestat Christus Dñus: ideò

2. Spõsa eius Ecclesia.

Eccle-

Ma: 18. 17 Ecclesiam audire iubet: ideò qui id facere re-
Ma: 28. 20 cusant anathemate ferit, ideo cum hac se vsq;
Io: 14. 26. ad consummationem sęculi permansurum pollicetur: ideò Spiritum sanctum Doctorem & Rectorem illi adfuturum pronunciat. Quicquid igitur Ecclesia hac in parte dixerit & determinauerit, id pro literali & pro legitimo sensu recipi oportet. Si hanc regulam nō probant Hæretici, profectò suam ipsi perfidiam probant, produntq;: si recipiunt, nominent quæso, per quem, vel per quos nobis Ecclesia loquatur, diuinaq; pandat mysteria, & veram scripturę interpretationem. Quos quoniam illi nominare nec volunt, nec possunt, & propterea nolunt, quia non possunt; nos recenseamus: & ex illis modis, quos alibi ex D. Paulo attulimus, tres eligamus. Itaque loquitur nobis Ecclesia per Pastores legitimè in Concilio œcumenico congregatos; loquitur & per Patrem Patrum, ac Pastorem Pastorum, per Romanum inquam eundemq; totius Catholicæ Ecclesię Pontificem summum. Quare quidquid isti Ecclesiam Christi repręsentantes, nobis hac in parte dixerint id pro legitima expositione agnoscimus, habemus, & credimus.

Eph: 4. 11. *Dominica 4. Aduen: Concio 2.*
3. Concilia œcumenica
4. Pastores vniuersales.

Demus singulis hæresum nostri temporis classibus singula saltim exempla. Hac igitur ratione contra antiquos & nouos Arianos credimus verba illa: *Ego & Pater vnum sumus* iuxta proprium, legitimum & literalem sensum de vnitate eiusdem naturæ, essentiæ, omnipotentiæ,

Exēpla cōtra Arrianos.
Io: 10. 30.

tentiæ, sapientiæ & aliorum diuinorum attributorum intelligenda esse. Similiter contra Caluinianos & alios Sacramētarios credimus verba illa Christi Domini, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: literaliter ac propriè vti sonant accipienda esse: proinde post legitimam illorum prolationem esse in Eucharistia hic in terris verũ corpus & sanguinem Christi IESV Domini nostri. Pari ratione contra Lutheranos, & quosuis alios perfidos, credimus itidem verba illa: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*: intelligenda esse de vera & reali peccatorum remissione aut retentione, quæ fit per Sacerdotes noui Testamenti, iurisdictionem habentes. Has itaq; & alias generis eiusdem interpretationes à Conciliis, & Summis Pontificibus cõtra Hæreticos traditas, tanquam veras ac literales à Spiritu Sancto intentas, & reuerenter suscipimus, & firmiter credimus, & iis omnes infideles arguimus, incusamus, conuincimus.

Contra Sacramētarios

Mat. 26. 26

Contra Lutheran. &c.

Io: 20. 23.

Postremus ex propositis verum sensum literalem indagandi modus est, considerare omnium ætatum, temporum, locorum, ac nationum Doctores & Pastores. Qui si vniuersi, vel penè omnes in eundem sensum alicuius scripturæ conspirauerint, signum euidens est talem interpretationem ab illo esse perfectam, qui fidelium & mentes illuminat, & corda congregat in vnum. Isti itaq; modi certam & infallibilem Scripturæ sacræ interpretationem

5. Doctores concordes.

Nec obest impietas.

nem nobis reddunt. Hi enim omnes, quos hucusq; recensuimus, a Deo & Christo IESV id priuilegii acceperũt, ne nos hac in parte decipere queant, etiamsi sint vt Caîphas scelestissimi. Non enim ipsis, sed per ipsos, Ecclesiæ sponsæ suæ hanc gratiam tribuit, qui & per asinam Prophetam instruere, & per Caipham prophetare nouit.

Nu: 22. 28. 2. Pet. 2. 16 Io: 11. 51.

SECVNDI generis interpretationis Regulæ.

Quod si nihil eorum quæ diximus, hisúe similiũ in expositione scripturæ sanctę teneamus: tunc ad alia recurrendum est media, quę scripturæ interpretationem, & si talem non reddant, cui refragari non liceat, eam tamen efficiũt, quæ & ad reddendũ quietum pium animum, & ad conuincendum inquietum caput, abundè sufficere possint. Demus hic quoque aliquot regulas. Quarum prima sit, videre in quam expositionem inclinent pii & sancti viri, etiamsi non omnes (id em̃ ad primum genus pertineret) multi tamen, præsertim humiles. Cùm enim fides nostra, quæ ex verbo Dei rectè intellecto in nobis generatur, non in ratione, sed in diuina auctoritate fundetur, illa interpretatio, quæ à sanctis & Deo caris hominibus, quibus cum Spiritus sanctus loquitur proficiscitur, maximè probabilis censenda erit. *Spiritu* enim *sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, Principe Apostolorum, teste. Dices, infallibilis igitur ideoq; primi generis erit illorum interpretatio. Fieret sanè, si nobis constaret tales illos esse, quales

1. Sanctitas.

Dom: 2. Aduent. Conc: 2.

2. Pet: 1. 21

quales ibi D. Petrus deſcribit. Verùm cùm ignoremus quinam id doni à Deo acceperint (aliud eñ eſt donum interpretationis ſcripturæ, aliud ſanctitatis) inter maximè probabiles reponendæ erunt illorum explicationes, de quibus alia ſcriptura inquit: *Cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Quod certè ipſa nos docet experientia etiam in Sancta ruſticitate (vt verbo D. Hier: vtar) imò & in ſanctis fæminis, quarum expoſitiones ſcripturæ admirabiles ſunt nonnunquam, rarius tamen. *Pro: 3. 32.*

At verò frequẽter in docta & ſãcta ſimplicitate id reperitur. Tales erãt Baſilius, Chriſoſtomus, vterq; Gregori9, Græci: Hieronymus, Auguſtinus, Thomas Aquinas, & alii Latini. Qui licèt in omni genere doctrinæ valde excelluerunt, tam ſimplices tamen & recti fuerunt, vt iudicium & doctrinam ſuam iudicio Eccleſiæ humiliter in omnibus ſubmitterent, quod hæreticis factũ eſt impoſſibile. Illorum itaq; expoſitiones magni, vt par eſt, à nobis faciendæ & diligenter ponderandæ erunt. *2. Pietas cũ doctrina.*

Alteram regulam tradunt cùm alii SS. patres, tum verò D. Auguſt. cum alibi, tum verò in Pſalmis cùm verbo, tum verò re ipſa nos docens, vt ſimus [ſolertiſſimi indagatores] cui perſonæ, verba ſcripturæ, quæ præ manibus habemus, maximè conueniant. Si enim perſonam de qua ſermo eſſe videtur excedãt, tunc aut Chriſto, aut ſponſæ eius Eccleſiæ tribuenda erunt. Hoc facit ipſe Chriſtus do- *3. Perſona de qua agitur conſideranda.* *NOTA.* *Praxis. In ipſo Chriſto.*

Ma. 22. 44 minus probans verba illa: *Dixit dominus domi-*
Ps: 109. 2. *no meo sede à dextris meis*, non alii, quàm sibi,
Act: 2. 27. qui non solùm homo sed & Deus erat, com-
Ps: 15. 10. petere posse. Hoc princeps Apostolorum
In Apostolis Petrus, docens verba illa psalmi; *Quoniam nō derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, de resurrectione Christi Domini intelligi oportere, Dauidisq; personam id omninò excedere re ipsà comprobauit. Atq; id eò mirandum est magis, quòd psalmi illius sit inscriptio, *Ipsi Dauid*: Considerent hæc quæso, qui voculis titulorū nimium sunt addicti. Hoc ipsum SS. patres sæpè factitarunt, sit exemplo ex multis psalmus ille, cui nomen appositum est, *in Salomonem*: quem iuxta literam non de Salomone (licèt secundum sensum historicum Salomoni quædam conueniant) sed de Christo capi debere probant duæ columnæ Ecclesiæ euidentibus argumentis, sex sufficiant. Etenim Salomon neq; *permansit cum sole & ante lunam in generatione & generatione*: neq; *iustitia & pax* ipsius durarunt *donec auferatur luna*: neq; *dominatio eius* fuit *vsq; ad terminos orbis terrarū*: neq; *adorarunt eum omnes Reges terræ*: neq; *omnes gentes seruiuerunt ei*: neq; Salomon *ab iniquitate redemit animas* hominum; quinimò ipse iniquus fuit, Sed hæc omnia in Christo IESV perfectissimè & literalissimè expleta sunt, & quotidie in conuersione nouarum gentium & populorum adimplentur.

In Patribus.

Psal: 71.

Hieron: & August: in hunc Psal:

Itaq;

Itaq; nos Christum, Apostolos, & SS. Patres secuti, & regulas interpretandi scripturas ab iis nobis traditas obseruando, hoc quod in præsenti habetur Euangelio, VT IMPLEATVR QVOD DICTVM EST PER PROPHETAM DICENTEM, APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM &c. in ipso etiam psalmo de Christo domino literaliter intelligenda esse asseruimus. Si enim non is sensus literalis esset, neq; firmum foret argumentum contra infideles Iudæos neq; adeò propriè diceretur VT IMPLEATVR. Tunc enim propriè hæc prophetia impleta est, cū Christus Dominus parabolas texere cæpit. Quãuis negandum non sit quæ duos primos versus consequuntur Dauidi competere, secundum sensum historicum. Nec verò noua est, præsertim in psalmis, personarum mutatio. Vbi illud quoq; notandum est: Iudæos, & qui illos imitantur hæreticos, vt Catholicorum eludant argumenta, sæpè ex prophetia (quæ ad sensum literalem spectat) historiam facere. Hac ratione caput illud quinquagesimum tertium Isaiæ, historiam quandam esse aiunt, cùm sit euidentissima de passione Christi IESV prophetia, iuxta sensum literalem. Videant igitur Catholici, vt datam regulam diligenter obseruent, ne nimium historiæ inhærendo, acuant infideles contra Ecclesiam. Nimium inquam, idq; iterum iterumq; repeto, ne quis dicat me fontes vel negligere, vel contem-

In Euãge'io hodierno.

Psal. 77. 1.

NOTA. Fraudẽ pfidorum &

Differẽtiã inter sensus

contemnere velle. Absit id à me, cùm sciam & quanti fecerint eos Patres sancti, & quàm id sit necessarium. Nam & in apicibus Hebręis, & in articulis Græcis, multa sæpè latent mysteria, quę neq; nos oblata occasione notare negligimus: sed suademus, vt sicut alibi, ita hîc quoq; virtutum mater moderatio seruetur, quæ docet, non quidem ob abusus res bonas è medio tollere (quod hæreticorum proprium est) sed abusibus res bonas spoliare; quod fiet Christo iuuante, si ea quæ dicũtur solerter obseruauerimus.

Neq; verò nostri est instituti, omnes scripturæ interpretandæ regulas texere: (id ñ ad scholarũ nõ ad Ecclesiarũ spectat cathedras) sed eos tãtũ instruere, q̃ cõcertationes hæreticorũ effugere nequeũt, vt sciant quomodo & se, & alios simpliciores contra insultus aduersariorum defendere valeant. Itaq; omissis particularibus canonibus, qui centeni à quibusdam numerantur, vniuersalibus aliquot contenti erimus, neq; ad dicta plura duobus addemus, neq; alios prosequemur, præter eos, quos hæretici patribus surripuerunt, qui vt à Sanctis traduntur, boni sunt; vt verò ab impiis contorquentur, peruersi. Quare canon ille de scriptura per scripturam interpretanda à D. Augustino positus & expositus, optimus erit: Si inuestigauerimus alia loca, quæ idem argumentum tractant; aut eandem historiam recensent: Si repertis quam plurimis eiusmodi scri-

Vide Alfõsum Salmer: in plegomenis.

Aug: lib. 2 de doctr: Christiana Cap. 8. &c. 10: 3.

4. Regula interp̃randi scripturã p

di ſcripturæ teſtimoniis, difficiliora per facili- ora, obſcuriora per clariora, à paucis tradita, per ea quæ ab omnibus recepta ſunt, inter- pretati fuerimus: Si deniq; à propria vocum ſignificatione nunquam receſſerimus, niſi vel auctoritate ſumma, vel extrema quaſi com- pulſi neceſſitate. Hæc enim omnia, præter vi- ros Sanctiſſimos & doctiſſimos, ipſum lumen naturale nos docet. Quorum contrariũ cùm in hæreticis videamus, quid ni eos euidentiſſi- mæ impoſturæ arguamus? Primum iam ſu- perius oſtendimus, & in ſcriptis illorũ paſſim factitatum videmus. Secundum ſimiliter: ſæ- pe enim illi faciliora p obſcuriora exponũt, vel inuolunnt potius, vt veritas agnoſci ne- queat. Demus ſingulis eorum ſupremis claſſi- bus ſingula ſaltem exempla. Ita Anabaptiſtæ dictum Thomæ Apoſtoli: *Dominus meus & Deus meus* exponunt per illud Dei ad Moſen *Conſtitui te Deum Pharaonis*: cùm hic aperta ſit metaphora, ideoq; obſcuritas: illic verba cla- riſſima. Ita Caluiniani verba IESV *Hoc eſt cor- pus meum*, explicant, vel inuoluunt potius per illa Apoſtoli. *Panis quem frangimus, nonne parti- cipatio corporis domini eſt?* Quàm id frequens in ore ipſorum? quàm verò Sophiſticum? No- bis quæſtio eſt, an in Euchariſtia ſit hic in ter- ris verùm corpus Chriſti domini: illi verò no- bis panem & participationem ingerunt. Quæ maior ignoratio elenchi, quã cùm ſtatus cau- ſæ mutatur? Conueniamus de primo, poſtea ad alia

aliã. Tres habet coditioness.

NOTA.

Contrariũ faciunt hæretici.

Exẽpla omniũ triũ capitum.

Io. 20. 29.

Exod: 7. 1.

Ma: 26. 26

1 Cor: 10. 16

ad alia trãſitum faciemus Deniq; tum iidem; tum Lutherani, illud Apoſtoli Cælibatũ laudantis, & ſeipſum in exemplum proponentis, ac dicentis: *Volo autem omnes vos eſſe ſicut me ipſum*: interpretantur per illud eiusdem. *Etiã rogo & te germane compar*, indeq; probant Paulũ vxorem habuiſſe. Quid ineptius virum in fæminam trasformare? Quid verò illo loco clarius? quid hoc obſcurius?

1. Cor. 7. 7
Phil: 4. 3.

Adnectimus poſtremò vniuerſalẽ illũ Canonem, quo à Sanctis patribus edocemur, in interpretanda ſcriptura, tum quæ antecedunt, quæue ſubſequuntur ſtudioſè conſideranda: tum rei, loci, temporis, perſonarum aliasque omnes circumſtantias diligenter ponderandas eſſe. Deniq; & pręomnibus monẽt nos Sãcti, vt non ſcripturam noſtro ſenſui accommodemus, ſed intellectum noſtrum ſenſui ſcripturæ humiliter ſubmittamus. Qua in re quam frequenter & quàm impudenter errent hæretici, cùm propalam ſit omnibus, nõ eſt quod in iis diutius immoremur.

5. Regula, vt ãtecedẽtia & cõſeq: ppẽdamus.
D. Hier: in ca: 10. Ma.
Hil. lib: 9. de Trinit.
Aug: ſæpè.

Accedimus itaq; ad id, quod vltimo loco tractandum ſuſcepimus: & tum ex dictis, tum ex Euangelio, quod præ manibus habemus, ſuccinctè per antitheſin demonſtramus; vbinam ſit vera, vbi verò falſa & ementita Chriſti domini in terris Eccleſia ac religio. Vera eſt, vbi *omnia ſecundum ordinem fiunt*, prout in Catholica fieri, tota hac patuit concione. Erronea verò eſt, vbi confuſa omnia. Quid verò con-

IIII. PARS Ex dictis & Euangelio colligit vbi ſit Eccleſia Chriſti.
1. *Cor: 14. 40.*
1. Signum ordo.

rò confuſum magis quàm confuſæ plebi ſcripturæ interpretandæ poteſtatem & iudicium tribuere? Vera eſt, quæ *lumen* quod *ſignatum eſt ſuper nos*, lumen inquam naturale, & ducem ſequitur rationē, quod apud nos fieri nō paucis probatū eſt argumentis: Erronea verò eſt, quæ iis cōtraria ē penitus. Quid verò rationi magis contrarium, quàm miſcere legem cum iudice? & vtrumque idem eſſe aſſerere? quàm Rempublicam Chriſti abſq; vllo iudice, ac proinde ſpeluncam latronum efficere? quàm plebi inſipientiſſimæ, ſcripturæ interpretationem, quæ maxima indiget ſapientia, permittere? quàm facilia per obſcura exponere velle? & alia quæ vidimus ſanè abſurdiſſima. Vera eſt, quæ ſibi conſtat: erronea quæ à ſe ipſa tum verbis, tum factis diſſidet. Tales ſunt hæretici, qui facilem eſſe ſcripturam iam aiunt, iam negant, qui modò nullum, modò omnes ſcripturæ interpretes agnoſcunt: qui ſcripturam ſolam ſibi ſufficere verbis aſſerunt, factis inficiantur: dum infinita & ingentia edunt in libros Sacræ ſcripturæ volumina, dū canones in ſuis conuenticulis varios ſibi formant, dum pro locorum & ſectarum varietate, diuerſas obſeruant ceremonias; dum aliis modis innumeris ſuam ipſi produnt inconſtantiam.

2. Naturæ lumen. *Pſal: 4. 7.*

3. Eſt cōſtātia.

Vera Chriſti congregatio eſt, quæ vt in aliis, ita in explicatione ſcripturæ ducem ſequitur Spiritum Sanctum, qui Eccleſiam regit, qui

4. Rectorē habere ſpiritū Sanctum. 1. *Cor: 10.* 1

qui per eam nobis loquitur, quā nos audimus, & ad eius interpretationem captiuamus intellectum nostrum; nec scripturā nostro sensui, sed hunc scripturæ interpretibusq; ipsius accommodamus. Erronea verò est, quæ contraria his omnibus præstat. Nullum interpretem scripturæ cui credere velit agnoscit, omnibus iudicium suum præfert; sint decem vniuersalia concilia, centum sūmi Pontifices, mille Patres & Doctores, abiicit, ridet, conculcat, quoties cum ipsius non conueniunt opinione. O cæcitas horrenda! o Superbia intolerabilis! Qua etiam freti, scripturam ad suum sensum, modo quem exposuimus trahunt.

5. Docibilē esse Dei. *Ioā: 6. 46. Isa. 66. 2.* Vera est, quæ veros habet *docibiles Dei*: hi verò sunt humiles & Deum timentes. *Ad quem autem respiciam* (ait dominus) *nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Eiusmodi sunt omnes Catholici, quod ad res fidei attinet. Contrarium verò euidens est in illis, qui se ab iis segregarunt, vt res ipsa loquitur.

6. Veritas & synceritas. Vera Christi congregatio est quæ veritatem & synceritatem amat: Erronea, quæ mendaciis & Hypocrisi delectatur. Quid mendacius? quàm dicere, omnia quæ in scriptura sunt in vno loco obscura, in alio clara reperiri? Quid magis simulatum, quàm Euangelicum se esse iactare, & Euangelio non credere? Itē omnium iudicio se submittere verbis, re verò ipsa nullius iudicio etiam secundū scripturam

facto

facto acquiescere? Rursus, sub pallio interpretandi scripturam, per scripturam, proprio subdere capiti ipsam scripturam, cui quisquis placet, is est verus scripturæ sensus, hæc est legitima scripturæ per scripturam interpretatio. Nil hac hypocrisi perniciosius, qua pro verbo Dei, verbum venditur Diaboli. Hęc ex dictis, Ecclesiæ signa data sufficiant. Quid? quòd ipsa FERMENTI parabola, alia etiam nobis euidentia suppeditet?

Itaq; per hoc FERMENTVM, verbũ Dei, & quæ inde oritur Ecclesiam intelligi puto aduersarios non negaturos; ac proinde vbi sunt huius FERMENTI Euangelici proprietates, ibi Ecclesia Christi reperietur. Tres sufficiant, duæ communes cuiuis Fermento, tertia huic peculiaris. FERMENTI est vitam farinæ quodammodo dare. Id fit in Ecclesia Catholica, vbi sunt sacramenta, quæ veram vitam spiritualem continent, & gratiam ex opere operato largiuntur: vbi opera fidelium in charitate facta viua sunt, & vitam merentur æternam; vbi viua iustificatio diffusa in cordibus nostris. Nihil tale apud aduersarios: sed omnia vana, flaccida, mortua, Ibi enim vitia non sunt ablata, sed tecta; iustitia non vera sed imputatiua; bona opera non meritoria sed peccata. Quid absonum magis? FERMENTI præterea est, sursum massam tollere. Ita doctrina Catholica animas ad cælũ eleuat: hæretica verò deprimit;

7. Signum Ecclesiæ dare vitam.

8. Cælestia appetere.

dum& aſſerendo ſolam fidem iuſtificare concupiſcentiis frena laxat; & tribuendo cuiuis poteſtatem ſcripturæ interpretandę ſuperbiam in mentibus ſuorum nutrit. Deniq; FERMENTVM iſtud id habet peculiare, quod in tria ſata ABSCONDITVR DONEC FERMENTETVR TOTVM: Ita doctrina Catholica orthodoxa, Romana, totum peruadit orbem terrarum, ſiue illum in Aſiam, Africam, Europã, ſiue alio modo diuidas, vt etiã Indias tã oriẽtales quã occidentales Iaponẽ, Chinas, Americã, Braſiliã, & aliâs innumeras prouincias & Regna complectatur. Hæretica verò præter aliquot Europæ angulos, nullibi, viſitur. En veri Chriſti cætus ſigna, en Dei Eccleſiæ, manifeſta quibus ſe prodit indicia.

9. Fermẽtatũ ſe totũ orbẽ.

Quæ cùm ita ſe habeãt, vos alloquor qui à buccinatoribus hæreticorũ ſeducti eſtis, vos cum Apoſtolo hortor; *Expurgate vetus fermentum.* vetus inquam illud *fermentum, doctrinam,* videlicet & fidem *Phariſæorum,* id eſt, Hæreticorum, quam Chriſtus, & omnes Sancti eius, odio proſequuntur ſummo, expurgate, eiicite, conculcate. Quî, inquis, vetus fermẽtum vocas, quam identidem nouam eſſe fidem inclamas? Vtrumq;, quidem rectè dicitur. Etenim noua fides eſt, quia noua ſemper adueniunt dogmata Hæreticis: vetus verò eſt perfidia, quia ſæpe veteres excitant errores: noua eſt, quia nunquam eadem numero redit Hæreſis, ſed ſemper vel addit, vel demit aliquid

Cõcluſio ꝑ exhortationem.

1. *Cor:* 5. 6

Ma. 16.11

NOTA. Qũo hæreſis & noua & antiqua ſit.

aliquid ab antiquis erroribus; vetus est nihilominus, quia in ipso Paradiso hoc fermentũ ortum habuit. Vultis etiam clarè hoc videre? In paradiso nãq; fuit interpretatio scripturæ secũdũ propriũ caput: tum in Eua quæ ad verba Dei addidit *fortè*: tum in Sathana, qui omnia euertit suo. *Cur* & *Nequaquam*. Quæ duo verba, nunquid in ore Hæreticorum non hærent perpetuò? Exempli causa. Cur vos Papistę id creditis? cur hoc obseruatis? Nequaquam Sacerdotes absoluunt, nequaquam Deus est trinus; nequaquam est Corpus Christi in Eucharistia, & his similia quæ quotidie auditis. Fuit præterea in Paradiso fides adhibita mendacio pulchris contecto verbis: fit idẽ incessanter apud Hæreticos. Fuit denique ibi inobedientia. Est hæc quoque tessera Hæreticorum indiuidua. Hæc ergo, oro, obsecro, obtestor, expurgate quicunq; à Ministris Sathanæ in fraudem adducti estis. Expurgate hoc vetus perfidiæ & omnis impietatis fermẽtum, per intimam cordis contritionem, per errorum confessionẽ, per hæresum abrenunciationem, per pæniteutiam, *vt sitis noua* FERMENTI nouæ legis sancta *conspersio*. Sancta massa, Catholica, quæ permittit se tractari prout Deus per superiores vult, quæ in nouitate vitæ ambulat, quæ fermento Euangelico fermentata, non solùm veram fidei confessionem; sed etiam digna fidei opera producit in vitam æternam. Præstante Domino nostro

Gen. 3. 4.

IESV

IESV Christo qui cum Patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat Deus in secula seculorum. AMEN.

EVANG: CVM DOCTRINIS.

CONCIO TERTIA.

Spes.

Tres Euãgelii difficultates.

BReue quidem in verbis: at longum tum in mysteriis, tum in difficultatibus est hodiernum Euangeliũ. Ex tribus namque quas habet partibus, singulæ facessere nõ parum negotii possunt. Prima quæ parabolã de grano sinapis cõtinet difficultatẽ habet quõ granũ sinapis, vel MINIMVM OMNIBVS SEMINIBVS esse dicatur, cùm minora aliorum seminum reperiantur: vel crescere in arborem, cum id non videamus? In altera parte, quæ de fermento agit, obscurum est, quî præter totius scripturæ consuetudinẽ FERMENTVM hìc in bonam partem sumatur? cum & in veteri Testamento offerri in Sacrificiis prohibeatur, & in nouo expurgari præcipiatur. In postrema verò, quid quæso sibi vult illud, quod dicitur, ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS? cùm & beatitudines teste Luca, & væ variũ, & alia his similia, sine parabolis in medium coram plebe protulerit Christus Dominus.

Luc: 2. 11. 1. Cor: 5. 6. Luc: 6. 20.

PROPO: Euangel: cũ doctrinis explicabitur.

Has & his similes, si quæ obuenerint asperitates, in hac Concione enodare instituimus,

mus, verba Euangelii explicando, doctrinas hauriendo, & ſpem viuam in nobis excitãdo. Da Chriſte ita id faciamus, vt hìc quidem per fidem in ænigmate te nobis loquentem, illic verò omni ablato velamine, & faciem tuam videre, & audire lætã vocem læti valeamus in æternum.

Antequam ad promiſſa veniamus: tum ad pleniorem, quæ in præterita Concione tractata ſunt, cognitionem, tum ad meliorem eorum, quę dicenda reſtant intellectionem, duo præmittenda eſſe cenſui, idquè quàm breuiſſimè. Alterum ſenſum tàm metophoricum, quàm parabolicum ad literalem reduci ac pertinere. Parabolicus enim ſenſus nihil aliud videtur eſſe, quã tectus literalis: ac proinde quia tectus eſt, & eſt obſcurior, & non tam facile ex eo firmiſſimum argumẽtum inter diſceptantes educi poteſt: niſi vel vtrique parti conueniat, quid ſibi paræmia velit; vel expoſitio Chriſti Domini, aut Apoſtolorum accedat. vel ex antecedentibus, conſequentibus, & aliis circumſtantiis, id ita conſtet, vt vix vlla tergiuerſatione negari queat; prout in hoc Euangelio euidens eſt. FERMENTVM in bonam partem ſumi oportere. Alterum præmittendum eſt. Triplicem illum ſenſum, in quem ſiue allegoricus ſiue ſpiritualis ſubdiuiditur, & variè à variis vocari, & diuerſimodè intelligi. Nos communem illam partitionem in Allegoriam, Anagogiam & Tropologiam

Duo p̃mittuntur.

1. Metaphorã ad literã p̃tinere.

2. Sẽſus myſticus varius

logiam amplectentes, Allegoricum illum sensum vocabimus, qui fidem præcipuè illustrat Catholicam: Tropologicum verò, qui mores instruens & quid agendum, quidue sit fugiendum docens, viuæ spei portam in nobis aperit: Anagogicum, qui dum ad alta tendit, eaque contemplatur, charitatem maximè auget fouetq;. Hunc igitur duplicem sensum postremum, his quæ supersunt Cõcionibus prosequemur, iacto tamen priùs literalis sensus solido fundamento. Itaq; inquit Christus Dominus.

Literalis Euangelii expositio.

SIMILE EST REGNVM COELORVM, Audistis ex me non ita pridem, & quomodo per regnum cælorũ in parabolis Christi Iesu, vt plurimùm, Ecclesia sponsa ipsius designetur, & quomodo secundum literalem sensum eæ sint interpretandæ. Itaq; istarum duarum parabolarum hæc erit intelligentia. *Sic agetur* cum Ecclesia mea (ait Christus Dominus) & verbo meo (quod semen quoddam est, vnde illa excrescit) prout agitur vel à viris granum sinapis seminantibus, vel à mulieribus pinsere panem volentibus. *Sicut* eñ illi quidem paruum seminant granum, quod postmodum in magnam arborem excrescit: hæ verò modicum quid fermenti farinæ imponunt, quod ita totam illam massam penetrat ac peruadit, vt & viuificet vniuersam, & sic excrescere eam faciat, vt totum vas impleat: ita verbum meum, & Ecclesia mea, primùm quidem

quidem perexigua esse videbuntur, postea verò tantùm augebuntur, vt vniuersum planè terarrum orbem, & impleant & viuificent. Hæc sequentium clauis esto. Nunc tum in sensu literali (in quo iam non erit nobis multùm laborandum) tum in spirituali singula videamus. Assimilatur igitur Ecclesia.

GRANO SINAPIS, quod diuersi diuersimodè interpretantur. Hieronymus doctrinam Euangelicam, Chrysostomus primitiuã Ecclesiam, Theophilactus Græcus & Hilarius cum Gregorio Magno Latini, ipsum Christum Dominum: alii fidem, quam alicubi Christus huic grano assimilat, alii deniq; gratiam ac charitatem, cum cęteris virtutibus influentibus per hoc granũ sinapis intelligũt. Omnia bñe, omnia rectè, omnia ñ ad id quod diximus collimant, & omnes hos sensus Christum Dominum in verbo isto intendisse, ego certè nihil dubitauerim. Simile etenim quid audire mihi videor in illis verbis eiusdem Iesu Iudæos alloquentis. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ablata est enim ab illis Ecclesia, ablata Diuini verbi prædicatio, quam audire recusarunt, ablata gratia diuina, fides, spes, charitas, & aliæ virtutes, ablatus deniq; ipse Christus, quem recipere noluerunt: & data sunt vniuersa hęc gentibus, secundum fidelem Christi Iesu promissionem, vnde sit nomen eius benedictum in secula.

Granũ Sinapis q̃d significat..

Theophil: in Luc Hilar: in hoc Euãg Greg li: 19. Moral: ca: 11.

Ma: 17.20

Ab exẽplo.

Ma: 21.43

Cæterùm

PRIMA doctrina moralis. Ingratitudo fugiẽda.

Cæterùm ô Christiane, tua res agitur paries cùm proximus ardet. Nam vt aliâs monui, & sæpe monendum est, hæc omnia ablata sunt à Iudæis propter eorum ingratitudinem, & cætera vitia: caue igitur & summopere caue ne idem eueniat tibi: imò deterius aliquid [crescentibus enim donis, rationes crescunt donorum] ait quidam Sanctus. *Gregorius.* Quis verò enumerabit, quantò maiora præ Iudæis tu dona & gratias receperis? imò quis vel ipsa cogitatione assequetur? Caue igitur ingratitudinem, caue contemnas benefactorem tuũ Deum, quod facis quouis peccato mortifero perpetratò, Meministi ñ quid dixerit Saluator illi, quem curauerat ad probaticam piscinam? *Ioã. 5. 14.* *Ecce sanus factus es*, ait ille, *iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quid quæso, humanitus loquendo, deterius potest accidere infirmitate, quæ durauit *triginta & octo annis*, & tali infirmitate, quæ eum lecto affixum ita tenebat, vt ne mouere se posset? Verũ hæc nec cõparãda sunt quidẽ cũ pœnis quæ, ingratos cùm corporalium (quale hoc fuit) tum verò spiritualium beneficiorum manent in æternũ.

SECVNDA Spes vnica excitanda.

Vitia igitur obsecro fuge, satage verò gratus reperiri Deo, vt hac ratione spes viua in te reperiatur, quæ sicut & cæteræ virtutes, GRANO SINAPIS rectè comparatur. Sicut enim sinapis licèt sit terrenum quid, & in stomachum demittatur, vis tamen eius sursum ad caput ascendit: ita spes quamuis terrena esse videatur,

NOTA. Simile.

tur, ideoq; in cælo non reperiatur: ſurſum tamen tendit, & ad Chriſtum qui caput noſtrũ eſt, ac in cælo reſidet, omnes actiones meditationesq; ſuas transfert & dirigit. Eam igitur in nobis procuremus dilectiſſimi, eaq; potius quam timore mens noſtra ad bene operandũ excitetur. Verùm ad granum ſinapis, verbũq; Dei, & Eccleſiã redeamus, & videamus quidnam cum eo fiat.

QVOD ACCIPIENS HOMO, inquit Chriſtus, per hominem tum Deum Patrem, imò ſanctiſſimam Trinitatem, tum ſeipſum etiam, ſecundum naturam humanam intelligens. Hic igitur homo Deus. Quis homo ſeminans.

SEMINAVIT. Primùm quidẽ per ſemetipſum, poſtea verò per Apoſtolos & alios Diſcipulos ſuos, ac demum per ſucceſſores eorũ, & SEMINAVIT, & ſeminat, & ſeminabit vſq; ad conſumationem ſeculi, modis variis & innumerabilibus. Quomodo ſeminat.

IN AGRO SVO. In mũdo videlicet vniuerſo, vt ipſe Ieſus agrũ iſtũ in ea q̃ hãc præceſſit parabola interpretari voluit. Per mundum verò, non terram terrenamuè ſubſtantiam, ſed animas humanas, quæ ſolæ huius ſancti ſeminis capaces ſunt, intelligit. Beatus, qui hoc ſemen vt par eſt recipit; beatior qui retinet, beatiſſimus qui creſcere & fructum in ſe edere ad finem vſque vitæ ſuæ facit. Vtinam verò omnes ex horum ſimus numero. Hac enim ratione Spes viua in nobis vigeret. Erimus

Mat. 13. 38.

TERTIA doctrina Quis beatus & bene ſperãs.

mus autẽ, si & dicta & dicenda seruauerimus.

Minimum quomodo intelligẽdũ historicè.

QVOD MINIMVM QVIDEM EST OMNIBVS SEMINIBVS, ait Christus loquens prouerbialiter, vt sæpè aliâs. In prouerbiis verò rigor verborum ad amussim non est excutiendus. Satis enim est ad veritatem prouerbii, vt sit ex minimis. Sicut nos quoq; in nostra lingua, cum minimum quid denotare volumus, dicere consueuimus esse tam paruum vt granum papaueris, licèt etiã papauere alia seminũ genera minora reperiãtur. Quis verò nouit, an in Palestina eo tempore, quo hæc Christus loquebatur, omnium seminum minimum nõ fuerit granum sinapis? cùm & nos in Italia viderimus, quædam semina eiusdem speciei minora nostratibus? Id quidem incertum: at illud videtur mihi certissimum, vt apud nos de papauere, ita olim apud Iudæos de sinapi prouerbium fuisse. Ideo Christus Dominus alio etiam loco eo adagio vtitur

Mat:17.20 minimum quid fidei designare volens, licèt fides minimo careat, cùm sit res spiritualis & indiuisibilis. Hęc quantum ad veritatem parabolæ.

Literaliter.

Quòd verò ad literalem eius significationem attinet, verbis istis notatur principium Euangelii, & Ecclesiæ Christi Domini. Initium enim eorum minimum fuit præ omnibus aliis siue disciplinis, siue Rebuspub: tũ numero credẽtiũ: tũ vilitate p̃dicãtiũ tũ humilitate re-

1. Cor:2. 1. cipientiũ; tũ quòd nõ fuetit *in sublimitate sermonis,*

monis, non in acumine ratiocinationis, non in appetentia honoris; ſed potius in contemptu & deſpicientia horum omniũ. Propterea qui tum temporis erant Chriſtiani, abiecti, viles, imò & ſtulti tam à Gentibus, quàm à Iudæis reputabantur. Quam tamen ſtultitiam tanti fecit Apoſtolus, vt non ſolùm præferret illã omnibus honoribus; ſed etiam in ea gloriari voluerit. Quàm multùm nos inde diſtamus, qui impios Idololatras, imò ipſum Luciferũ potiùs, quam Apoſtolum imitari ſtudemus? Quid enim ſibi volunt aliud ioci illi, illæ ſubſannationes, ſæpe etiam calumniæ, quibus proſcindimus eos, qui piè in Chriſto viuere ſatagunt? iam nullius momenti homines, viles, melancholicos; iam hypocritas & ſtultos eos vocitantes? Magna impietas, ſub titulo pietatis (Chriſtiani enim vocari volumus, an verò ſimus nouit *ſcrutans corda & renes Deus*) nõ ſolũ impiè viuere: ſed etiã piè viuere volẽtes cõtẽnere, perſequi, lacerare. Quid vero dicã de illis, ꝗ pluſquã Luciferiana inflati ſuperbia, fratres ſuos Chriſti ſanguine redemptos, ablutos, ſanctificatos, ꝑ ſupremum cõtẽptũ caninum vocant ſanguinem, ſi ex nobili non fuerint prognati proſapia? Itáne Chriſtus Ieſus pro canibus nobiliſsimum, regium, Diuinumq; ſuum fudit ſanguinem? O Chriſtiani, ne Chriſtiano quidem digni nomine, qui ita Chriſtum in membris ipſius inhonoratis. Vtinam, aut nullus talis in templo hoc reperiatur,

Moraliter inde.

Gal: 6: 14

QVARTA doctrina cõtra ſuperbiã Cum ſubſanatorum.

Pſal:7. 10.

Tũ nobiliũ.

tur, aut nullus inde talis discedat: sed omnes qui eiusmodi fuerunt summa contritione, & sancta pænitentia ac cõfessione tam ingentes culpas diluant suas. Quam ad rem conferet plurimum, eorum, quæ in parabola sequuntur, diligens cõsideratio. Ait verò Seruator:

Quô crescit grã: & eccl: CVM AVTEM CREVERIT. Cùm videlicet granum quidem sinapis in terra, verbum verò Dei in anima seminatum excreuerit, & fructum quem & agricola & Deus exoptat protulerit.

Quomodo fit maxim: MAIVS EST OMNIBVS OLERIBVS. Ecclesia quidem ex Euangelio procreata per totũ orbẽ diffusa, & personarũ numero, & virtutum pondere fit maxima: sinapis verò, eò quem in semine explicuimus modo, vel etiam in iis partibus simpliciter maior & altior est omnibus fruticibus, quæ olera vocantur. Lignescit enim quasi in stipite.

Et arbor. ET FIT ARBOR. Cùm interim alia olera aut terræ affixa iaceãt, aut in terra fructum suum abscondant, aut non multùm à terra eleuentur: sinapis verò talem proferat arborem.

Volucres cæli id est Aëris. ITA VT VOLVCRES COELI, id est, aëris. Aër enim in scriptura sæpè cæli insignitur nomine, iuxta comunem loquendi modum, quo omnia quæ supra nos sunt, cælos vocare consueuimus. Ita enim pluuias, niues, grandines è cælo descendisse, fulgura, tonitrua & similia procreari in cælo dicimus, licèt hæc

omnia

omnia in aëre ortum suum habeant. Fit ergò vt auiculæ, quæ in aëre volitant in arborem sinapis.

Veniant Et Habitent In Ramis Eivs. Pro habitare nidulari vertũt [a] quidã, quod displicet aliis: [b] & meritò: tum quod ab Hæreticis vel eorum fautoribus hæc profecta fuerit interpretatio: tum quòd vox Græca id non exigat: multò minus autem Hebręa: tum quòd experientiæ repugnet. Quomodo enim in sinapi nidificare poterunt auiculæ, cùm antequam ea in arborem crescat iam ipsę pullos vt plurimùm excluserint suos? In sequentem verò annum arbustum hoc seruari nequit, cùm sicut & alia olera, quotannis arescat & conteratur. Satis verò propriè habitare vel inhabitare dicentur Volvcres in ea: tũ quod turmatim in arbusto illo cõglobentur ad decerpenda grana sinapis: tũ quòd nonnunquam etiam quiescere & obdormire in eo soleant. Hæc pro intellectione sensus parabolici seu Historici dicta sufficiant.

Quõ habitare dicuntur.

a *Eras. &* *Beza.*

b *Io: Maldon.*

Historicè.

De sensu verò literali quid dicemus? Id videlicet quod omnes (quantùm scire possum) sancti Patres Græci & Latini aiunt, denotari hîc progressum Euangelii, & Ecclesiæ Christi Domini. Cuius rei eximiam sanè figuram & typum habemus in arbore illa maxima, quam Rex Nabuchodonosor in somnis vidit, in qua (inter alia) *conuersabantur* (ecce declaratio Verbi Habitent, quod in Euangelio legimus)

Literaliter.

Figura explicatur & applicatur Ecclesiæ.

Dan. 4. 7.

gimus) *volucres cæli & ex ea vescebatur omnis caro.* Quæ quidẽ arbor, quamuis secũdũ Danielis interpretationem designauerit Medorũ & Persarum Monarchiam: nihilominus tamẽ denotasse eam magis etiam literaliter hanc arborem nostram sinapicam, tum verò Ecclesiam Christi, vel ex eo patet, quòd quæ ibi dicuntur plus Monarchiæ Ecclesiæ Catholicæ,
1. quàm Persicæ conueniant: vt illud *Proceritas eius contingens cælum.* Hæc enim sola est Monarchia, quæ cælos contingit; quæ ciues suos ad cœlos dirigit, quæ cum ea, quæ in cælis est Monarchia comunione copulatur, prout etiam
2. in Symbolo Apostolico profitemur. Rursus illud: *Aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ*, nunquid non Catholicæ per totũ orbem diffusæ propriissimè, Persicæ verò Monarchię non nisi impropriè ratione alicuis partis terræ competit? Denique quod dicitur:
3. *Et in ramis eius conuersabantur volucres cæli*, & parabolæ hodiernæ, & Ecclesiæ maximè quadrat. Etenim vt in Daniele. ita hîc per volucres cæli Reges & Principes rectè intelliguntur, qui ibi quidem sub dominio Nabuchodonosor, & pauci, & ad breue tempus pace fruebantur: hic verò & multi, & ad consummationem seculi HABITANT, conuersantur, & quiescunt, ixta illud alterius Prophetæ
Isa. 49. 23. veridicum dictum. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*; quod quotidie magis magisque impleri videmus in tot diuersarum

gentium

gentium & regnorum conuersione. Quod si per volucres cæli contemplatiuos voles intelligere, tum verò quæ tam in Daniele, quàm in Euangelio dicuntur, multò etiam magis propriè Ecclesiæ Catholicæ conuenient. Verùm quia de parabola sinapis in sequenti concione pluribus est nobis agendum, ad aliam transeamus.

ALIAM PARABOLAM LOCVTVS EST EIS. Iudaicæ videlicet plebi Christus Dominus aliam protulit parabolam, idem pene significantem quod prior, vt in principio notauimus, vbi etiam illud. — Alia Christi parabola.

SIMILE EST REGNVM COELORVM explicuimus. Cui verò est simile?

FERMENTO ait Dominus Iesus. Dubiū non est, hîc bonum quid per fermētum designari præter consuetudinem (vt dixi) totius scripturæ. In qua aut pro fermento naturali, aut pro vitio sumitur. Cæterùm de fermento naturali occurit nō parua difficultas, quonā modo in veteri testamēto hoc fermētū, & vetabatur offerri & præcipiebatur? vtrunq; enim in Moyse legimus. Prîmum quidē cùm ait: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absq; fermento fiet.* Alterum verò, cùm describens sacrificium, quod in die Pentecostes fieri solebat, iubet *sacrificium nouum Domino* offerre, quod inter alia conficiebatur etiam *de duabus decimis simile fermentatæ.* Sed & in oblatione, pacificorum panis fermentati mentionē facit. Quid? — Fermētum hic in bonū — Difficultas ex veteri lege. — Leu: 2. 11. — Leu: 23. 17 — Leu: 7. 13.

Leu: 7. 13. oblitus ne sui Moyses, cōtraria scribit? Absit. Est enim hîc mysterium. Et quod ad sensum quidem historicū attinet, forte nodum hunc illis Moysi verbis: *nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*, non incongruè dissoluemus, si dicamus adoleri quidem fermentum nunquam debuisse, offerre tamen in aliquo genere Sacrificiorum panes fermentatos, semper licuisse: qui quidem oblati cedebant postea in vsum partim sacerdotum, partim offerentium. Mysterium verò & typus hic fuit cùm Euangelij hodierni, in quo boni fermenti mentionem factam videmus: tum verò eius quod in lege noua (ideò oblationem hanc *sacrificium nouum* Moyses vocat) obseruari conspicimus. Postquā enim Apostoli missum sibi in die Pentecostes Spiritum sanctum acceperunt, illico parabola hæc impleri, & fermentum istud nouum, bonum, sanctū, in tria sata, hoc est in tres mundi partes ABSCONDI cæpit DONEC FERMENTATUM EST TOTUM; donec totus orbis terrarum repletus est doctrina Euangelica, & verbo Dei Hæc verò omnia cesserunt, & hucusq; cedunt in vsum, & bonum, tum prædicantium, tum recipientium Euangelium, ex quibus constat & conflatur Ecclesia Christi Domini.

Solutur iuxta historiā.

Leu: 2. 11.

Mysterium explicatur.

Moralia colliguntur fitq; itaq;.

Sed ad moralia veniamus; & primùm quidem malum FERMENTUM vt illud fugiamus: deinde verò bonum, vt id complectamur

mur paulisper perpendamus. Occurit autem inprimis Oseas, qui & si per fermentum Idololatriam præcipuè intelligat: tamen quia post illa verba: *donec fermẽtaretur totum* statim subiungit Oseas, *dies Regis nostri, cœperunt principes furere à vino* nemo dubitare potest, ebrietatem hic quoque notari. malum certè fermentum ebrietas, & magna dispositio tum ad alia, tum ad maximum fermẽtum, quod est Idololatria, hæresis, ac perfidia. Exemplum est in Iudæis vitulum adorantibus, de quibus Moses: *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.* Nunquid & maiores nostri in ipso Luthero, & nos in discipulis eius, id non perspeximus? quando tum Vitembergæ, & in aliis nidis Ministrorum; tum in aulis sex vel septem Principum Germaniæ versati sumus? Animaduertimus sanè, & huc usq; in nostratibus videmus, illos videlicèt, qui ebrietati, epulis, somno monstroso, & quæ hæc consequuntur dediti sunt, ad castra perfidiæ transire facillimè. Hic est igitur primus ebrietatis effectus. Alter magis internus est, & claris à propheta exprimitur verbis, *furere à vino.* Vix ebrietas melius describi potest, quàm depicta est à diuino vate: dũmodò per vinum siceram, & omne quod inebriare potest intelligatur.

QVINTA doctr: contra ebrietatẽ
Ose. 7. 4.
Quę dispositio est ad perfidiam.
Ex: 32. 6.
Exẽpla.
NOTA.
1. Iudæorũ.
2. Lutheri.
3. Nostratiũ.
Et furorem excitat.
Leu: 10. 9.

At ego inquis, non furo temulentus, nulli quicquam mali infero, viuo quietus. Hæc est ebriosorum quorundam calua excusatio,

Obiectio soluitur.
NOTA.

ſatio, qua licere ſibi putant, quod Deo, ſanctis eius, imò & piis omnibus exoſum eſt. Qui ponant ſibi ante oculos velim mentis, (dummodò ſine mente non ſint) furorem eſſe duplicem, alterum internum, externum alterum. Illo quomodo quæſo carebit is, cui neq; mens, neque lingua, neq; pes ſuum officium facit? Quid eſt enim aliud furor, quàm mentis emotio? quid furioſus, quàm mente captus? Omnis igitur ebrioſus furioſus eſt: atq; ita optimè ebrietas per furorem à propheta deſcribitur. Quid verò vitioſum magis quam ſponte & voluntariè furioſum ſe reddere? Quod ſi interno extimus adiicietur furor, peccatum peccato addetur, & præuaricationes multiplicabuntur, quæ demum in detractiones, ſecretorum reuelationes, iurgia, contentiones, maledicentias, odia, vulnera, cædes deniq; & hæreſes ac infinita mala excreſcunt, quæ quotidie vel lachrymabundis conſpicimus oculis, vel auribus audiuimus noſtris. O pernicioſum fermentum, quod & tantorum malorum cauſa eſt, & ipſi naturæ repugnat humanæ!

Væ potentibus ad bibēdum.

Quid verò de illis dicemus, qui talem in ebrietate cõtraxerunt habitum, vt etiamſi noctu & interdiu vino ſe ingurgitent, præſentes tamen ſibi eſſe, & prudenter ad omnia reſpõdere, nec vllum motæ mentis ſignum edere credantur? liberoſne à vitio tales eſſe cenſebimus? Nouimus ſanè eiuſmodi, neq; àdeò paucos

paucos neq; viles: neq; verò volo, vt nos eis respondeamus. Facit eñ id propheta, imò Deus ipse, qui sic per prophetam clamat: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum ebrietatem*: Væ inquit Deus, Deo autem maledicente quis benedicet? vel quid etiam totius creaturæ proderit benedictio? Væ minitantem, quis effugiet? pœnas intentanti, quis resistet? nemo equidem, Hæc igitur & similia considerent quæso, qui fermento hoc pessimo & ipsi sunt infecti, & alios inficere student, simulq; perpendant, quã graphicè illos descripserit propheta. Sunt etenim tales *potentes*, non animi corporisuè viribus, sed ventris ingluuie, qua præditi vini ingentem copiam exhaurire solent; *miscēt* verò *ebrietatem* quia idētidem vina sibi infundere iubent, id enim hæc phrasis denotat. Nã pro ebrietate apud Iudęos & Septuaginta interpretes legimus siceram: Miscere verò, infũdere est teste Sapientia, cùm inquit; *Venite bibite vinum quod miscui* (Id est, infudi & præparaui) *vobis*. *Is. 5. 22.* *Pro. 9. 5.*

Quis verò enumerabit quotnam tã ebrii, quàm ebriosi (Hoc enim nomine potentes istos bibones ab Apostolo nuncupari arbitror) reperientur calamitoso isto anni tempore, quo ii, qui à Christo nomen acceperũt, eo relicto ad Idola iterum conuertuntur? Hoc agnomen, hoc res ipsa loquitur. Agnomen quidem. Nam dies istos Bacchanalia nuncu- SEXTA doctrina cont: Bachanalia, *1. Cor: 5. 11.* *1. Cor: 6. 10*

nuncupatis. Bacchus verò nõne Idolum fuit tam spurcum, vt ipsi quoq; Ethnici prudẽtiores illud abominati fuerint? Hi igitur iudices vestri erunt. Res verò multò eos magis prodit. Hæc enim sunt maximè tempo-

Phil: 3. 19 Gloria in confusione,

ra, in quibus infiniti inueniuntur, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum*, quos deflere satis non potest Apostolus. De ventre cogitatur, venter infarcinatur, ad ventrem tanquam ad Deum omnia referuntur cogitata, dicta, facta. Neq; id satis est, sed *gloria in confusione* quæritur. Quæ enim confusio maior esse deberet Christiano, quàm Christum offẽdere? quod vtiq; fit sicut aliis peccatis, ita & ebrietate. Nos verò ex hac confusione gloriã etiã quærimus, dũ & ipsi inde gloriamur & alios laudamus, quod potentes sint ad bibẽdum vinum, quòd epulentur quotidie splendidè, quòd ita tractant hospites, vt vix quis-

Ioan: 4. 6. Remedia.

quam à mensa illorum discedat sobrius. Decet ne id discipulos eius, qui *fatigatus ex itinere*

Ioã: 9. 28

sedebat sic supra fontem & dicebat: *Da mihi bibere*, nec erat qui vel aquam frigidam ei porrigeret? eiuus inquam, qui dum in cruce operaretur nostram salutem, dixit SITIO, neque tamen vinum, sed acetum, degustauit? vos ipsi iudicate, an id conueniat, & resipiscite, vitamq; emendate vestram, nos verò ad alia fermenta transeamus.

Luc: 21. 1 SEPTIMA.

Est enim aliud fermentum, de quo sic ipse Saluator, *Attendite à fermento pharisæorum, quod est*

est hypocrisis. Quàm apte simulatio fermento comparatur? Sicut enim *modicum fermentum totam massam corrumpit,* teste Apostolo: ita hypocrisis omnia opera quæ aliâs sanctissimè fierent, ita corrumpit & eneruat, , vt ne boni quidem facti nomine digna censeantur. Quid dicam de operibus, quæ indifferentia vocamus? quid de ipsis loquar vitiis? omnia ista ita inficit simulatio vt ex vno plura etiam efficiat peccata, imò *maculat totum corpus & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflam̃ata à gehẽna.* Quidni enim hæc applicuerim hypocrisi, quæ alter Apostolus de lingua protulit? Imò ni fallor, multò etiam magis hæc simulationi competunt, tum quod lingua bene vti aliquando quispiam possit; hypocrisi verò nũquam, tum quòd hæc plus quam illa maculat totum corpus & animam, vt quæ nihil planè sani in omni operatione nostra relinquat. Pessimum itaq; vitium est hypocrisis & cauẽdum valde, hac præsertim nostra ætate, qua Doctores exorti sunt, qui eam exprofesso profitentur & docent. Qua de re quia aliâs non paucis egimus, nunc & de hoc, & de aliis fermenti peculiaris generibus dicere omittamus.

doct: contra hypocrisim. Gal: 5. 9. Cur fermẽto cõparetur & quæ mala faciat. Iac 3. 6

Vniuersim verò loquẽdo, quoduis mortiferũ peccatũ Apostolus fermẽtũ vocat & fermẽtũ vetus (ad differẽtiã noui, quod bonũ ẽ) ideoq; expurgare illud iubet dicens: *Expurgate igitur vetus fermentum.* Et paulò pòst *Itaq; epulemur*

OCTAVA contra omnia vitia. 1. Cor: 5. 7

pulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ. Pulchre omnium quadrãt.
Vnde ea proueniant. Deſcribit enim primò quidnam per fermentũ hic intelligat, omnem videlicet malitiam & nequitiam: ſecundò vnde id proueniat? nempe ex veteri homine, qui (vt idẽ non obſcurè
Eph. 4. 22 docet) à Deo creatus non eſt: tertiò, quidnam fieri cum hoc fermento debeat. Expurgandũ
Qũo explodenda. eſt enim. Deniq; qũo explodendum? Epulando videlicet tum *in azymis ſynceritatis & veritatis*: tum in fermento nouo, cuius laus eſt in Euangelio hodierno. Sicut enim clauus clauo extruditur, & habitus habitu pellitur, ita vetus fermentũ nouo ferméto expurgandum eſt: quod docet hæc parabola.

Fermẽtũ in Euãgelio, multa ſignificat. Quare quidnam per FERMENTVM hic intelligatur iam videamus. Intelligitur autẽ ſecundum Patrum expoſitionem idem, quod per GRANVM SINAPIS, nempe verbum Dei, eccleſia inde exurgens, prædicatio Euãgelij, fides, Chriſtus quoq; ipſe, addunt alij Euchariſtiam, & charitatem: illam quidem Cyrillus cum Bonauentura: hanc verò Auguſtinus. Quibus & ſpem adiungere & poſſumus & debemus: omnia autem iſta, & ſi quæ his ſunt ſimilia, in ſenſu literali
Literaliter. per FERMENTVM deſignari, nihil equidem ambigo: tum quòd omnia à Chriſto Domino non ſolùm intenta, ſed etiam verbo hoc per tranſlationem notata fuiſſe putem: tum quòd audiam ex ore ipſius Chriſti per *bonum*

semen iam *filios Regni*, iam *verbum Dei* intelligi. *Mat: 13. 38*
Nec mirũ si enim simplex oratio plura simul *Luc: 8. 11*
significat (vt exemplis in præterita concione datis patuit) quantò magis metaphoricæ locutioni id competet? Nos tamen primum, qui ab omnibus inculcatur, & postremũ, qui huic concioni plurimum quadrat, in expositione huius parabolæ sensum, maximè prosequemur. Itaq; vt vnde difluxit nostra redeat oratio; assimilatur à Christo Domino REGNVM COELORVM FERMENTO.

QVOD ACCEPTVM MVLIER. Mulieris facit mentionẽ, Primo quia in Palæstina munus pinsendi panes ad mulieres pertinebat; Secundò, vt sciamus vtrumq; sexum ad Ecclesiam pertinere. In qua teste Apostolo *non est Iudæus neque Græcus, non est seruus, neq; liber, nõ est masculus, neq; fæmina*, omnes enim hi, iisque similes, verè sunt membra Ecclesiæ. Per hanc verò mulierem Augustinus sapientiam, Bernardus Beatissiã Virginem Mariam, alij prędicatores, alij animã cuiusuis intelligunt. Quæ

Mulieris cur facta mẽtio.
1. Ratio historica.
2. Ratio literalis.
Gal: 3: 28.
3. Mystica.

ABSCONDIT, id est ita commiscuit farinæ fermentum, vt nihil eius præter effectũ, appareat. Qui quidem effectus (de quibus sub finem concionis plura dicemus) pręcipuè triplices sunt. Primũ em̃ eleuat & auget crescereq; facit massam mirum in modum, deinde quasi vitam pani tribuit, quem postremò sapidum reddit. Quæ omnibus à nobis recensitis pulchrè applicari possunt. Spes certè

Triplex effẽctus fermẽti

NONA Io-

excel-

ctrina spem ex effectis excitat.

excellenter habet hæc vniuersa, quia ad supera mentem eleuat nostram: quia crescere nos in virtutibus facit: quia meritum auget: quia expectatione æternorum ipsas etiam tribulationes sapidas reddit: quia vitam dat operibus nostris, quam tamen à charitate mutuatur: ideò viua esse debet: mortua enim vix est spei digna nomine. Itaq; hanc, & alia, quæ diximus, ABSCONDIT sapiens mulier.

Quid satũ. *Gen: 18.*

IN FARINÆ SATIS TRIBVS. Satum mensuræ genus est. Totidem verò sata commiscuerat Sara, quando Abraham vir suus tres Angelos conuiuio excepit, & vnum adorauit. Magnum & hic, & illic mysterium: illic pater fidei Iudæorum Abraham in Trinitate vnitatem adorat; hic Pater Christianorũ Christus Iesus fidei Trinitatatis in vnitate adorãdæ, ꝑ totũ terrarum orbem dilatationem miro artificio adumbrat. Docet enĩ quomodo FERMENTVM hoc sanctissimum, Euangelium, videlicet (quod mysterium Trinitatis omnibus etiam simplicissimis clarè pandit) omnes orbis terrarum partes peruadere debuit, prout maximam mundi partem iam penetrasse videmus: reliquam verò breui fermentatum iri speramus: atque ex spe ista nos qui Catholici sumus, & per quos solos id adimpletur miram consolationem capimus: & ad Deum nostrum clamamus; O dulcis & cupide salutis humanæ Seruator noster Christe IESV, adauge quæsumus, perfice, & penetra

Figura Mysterium Trinitatis, & dilationis Ecclesiæ.

DECIMA, Ex speculatione capit & orare docet.

per

per Euangelium sanctũ tuum, quod reliquum est adhuc orbis terrarum: peruadat quò nondum peruenit hoc tuum sanctissimum FERMENTVM; illumina lux mundi Indiarum orientem & occidentem versus, gentes, linguas, nationes, prouincias, insulas & regna innumera: Iaponenses quoque, Chinenses, aliosque qui hucusque *in tenebris & in vmbra mortis sedent*, fide tua illustra vniuersos, vt laudetur, exaltetur & benedicatur nomen sanctum tuum *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, secundum fidelissima promissa tua: vtq; adimpleatur, quod ecce ex ore audiuimus tuo. *Luc. 1. 79* *Ps. 71. 8.*

DONEC FERMENTATVM EST TOTVM. Restat enim adhuc non parum, tantũ videlicet, quantùm nemo nostrum scire potest: tu verò bene nosti, qui scis vniuersa, & in cuius manu *sunt omnes fines terræ*. Verùm quia de hac quæ est trium istorum satorũ maximè literalis intelligentia in præcedenti concione pluribus egimus; nunc reliquas, quæ apud sanctos Patres reperiuntur breuiter perstringamus. Etenim per hæc tria sata, alij tres illas partes hominis, in quas D. Paulus hominem partitur, in corpus inquam, animam, spiritũ (sic Hieronymus & Theophilactus) alij tres illas conditiones diligendi Deũ ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus (ita Augustinus) alij tres Christi naturas, corpus, animam & diuinitatem, quæ in vtero Matris Dei, Quid tria sata designent *Ps. 94. 4.* *1 Tess. 5. 23*

concurrente hac sanctissima muliere & virgine, hypostaticè vnita sunt (sic Bernardus) alij tres filios Noè, alij tres virtutes Theologicas, alij tres animæ potentias, alij (idq; pleriq;) rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, potentias intelligunt. Omnia rectè siue literaliter siue mysticè, siue tropologicè accipiantur: porriguntq; nobis & multas & eximias doctrinas morales, quas recensere omnes nec tēpus patitur, nec exigit necessitas.

Mat. 9. 17

VNDECIMA doctr: Noua sata & farina, pcuranda.

Ne tamen nihil dicamus, duo subiungemus: alterum quod Christus Dominus alicubi de vino nouo in vtres nouos mittendo disseruit: illud de FERMENTO hoc intelligendum esse, nempe FERMENTVM nouum in noua vasa reponendum, nouæq; farinæ immiscendum esse. Itaq; requiritur, vt & noua SATA (satū n. vas quoddam erat tertiam partem ephi continens) & farinam nouam adferamus, si participes fermenti huius sancti esse volumus. Quid verò hæc significent iam iam dicemus.

Duplex hominis cōsideratio & partitio.

Alterum, ex hac congerie interpretationū trium istorum satorum, nos duas eligere, secundum duplicem hominis considerationem & partitionem. Si enim præcipuum quod est in homine animā videlicet ipsam intuebimur, TRIA SATA. tres ipsius potentias, intellectum, memoriam, & voluntatem vocabimus. Sin verò totum hominem contemplabimur, illa quæ ex Platone Patres adduxerūt, rationa-

rationalem scilicet, irascibilem, & concupiscibilem potentiã per hæc Sata intelligemus. Farinam verò nouam non ineptè forte, vocabimus pium animum, & affectum, ac voluntatem bonam. Hæc enim, & ad fidem, & ad gratiam diuinam recipiendam, apprimè sunt necessaria: proinde qui his sunt præditi, eos ex Italico, bonam pastam nuncupamus. Hæc igitur omnia vt habeamus, à nobis diligenter procurandum est, si panem bonum & sapidum, Deo præpotenti efficere, vel effici potius, volumus. Etenim sicut si quis, aut in vas sordidum, ac fætidum, aut in farinam mucidam, marcidamq; FERMENTVM etiam omnium præstantissimum, iniecerit, sapidum tamen panem non parabit vnquam: ita nisi, & tria illa nostra SATA sint benè purgata, & farina nostra ritè præparata, purus panis non efficiemur Christo Domino. Quinimo, nec fermenti illius perfectissimi, quod est charitas, participes efficiemur aliquando.

Farina noua quæ.

Nouitas hęc quã sit necessaria.

A simili.

Mundanda igitur sunt vasa nostra per cessationem à peccatis; expurgandum vetus fermentum per contritionem, & confessionem: adhibenda animi intentio, & contentio, ad habendam piam, ac sanctam affectionem: procuranda animi promptitudo, ad exequenda omnia, quæ Deus à nobis exigit: mens denique nostra instruenda, vt actiones suas vniuersas, ad maiorem gloriam Christi Iesu dirigat, & conuertat. Hæc enim si reperientur in nobis,

Quõ vasa mũdãda.

Effect⁹ egregios.

NOTA. bis, MVLIER ista sanctissima, quæ est sapientia Patris æterni, FERMENTVM cùm fidei, tùm verò grati, ac charitatis, instillabit, & imponet animis & corporibus, & ita farinæ miscebit nostræ, vt nec intellectus cogitare, nec voluntas desiderare, nec memoria aliud quicquam velit meminisse, quàm quod placet Christo Iesu, *cui se probauit*, & probatus illi inueniri cupit semper. FERMENTABITVR insuper, & rationalis nostra ne erret; & concupiscibilis, ne illicita amet, & irascibilis ne proximum suum (quod nefas est) sed seipsum id est vitia, & peccata sua odio prosequatur summo, ac extincta esse, quàm maximè velit, & satagat. O beatus homo cui hæc sunt, O fœlix anima hoc FERMENTO fermentata. Omnis enim, qui huiusmodi est, igne Spiritus sancti tostus, purus & sapidus efficietur panis Christi IESV.

2. Ti: 2. 4.

DVODECIMA doctr. Bona opera abscondẽda

Sed & verbum illud ABSCONDIT. haud temerè positum esse arbitremur. Docet enim nos tùm quid Christus nobiscum agat, tùm quid à nobis fieri velit. Abscondit ille fermentum sanctissimum gratiæ suæ in nobis, vt *nesciat homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta:* vt hac ratione dum monentibus Principibus Apostolorum obedimus, *cum metu, & tremore nostram salutem operemur, & satagamus, vt per bona opera certã nostram vocationem & electionem faciamus.* Abscondere verò nos quoque vult si quid boni virtute FER-

Eccl: 9: 2.
Phil: 3. 2.
2. Pet. 1. 10

te FERMENTI huius facimus, ne per inanem gloriam turpiter perdamus, quod cum diuino adiutorio, laboriosè acquisiuimus. Ideò Saluator noster alibi monet vt *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* *Mat. 6. 3.*

Denique abscondendum est fermentum istud DONEC FERMENTATVM sit TOTVM. Non enim satis est vnam vel alteram siue potentiam, siue affectionem mortificatam habere, sed necesse est, vt totum quod in nobis est, quodq; ipsi sumus totum penitus hoc sanctissimum fermentum peruadat & penetret. Hæc est enim fermenti huius (gratiæ inquam Diuinæ) natura vt aut nihil, si abest: aut totum si adest, hominem viuificet. Nam vt D. Iacobus ait: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus,* ac si dicat, nisi fermentum hoc totum te penetrauerit, ita vt nihil sit in te, quod Diuinam offendat maiestatem, & legis Diuinæ totius præuaricator reputaberis, & non Dei, sed inimici eius Diaboli, panis & esca efficieris. Sicut autem auicula dum tantùm vnguiculotenus ab aucupe prehenditur, perinde ac si tota retibus inuolueretur in potestatem venatoris venit, fitq; esca eius: ita quæcunque anima per vnum mortiferum peccatum Diuinam transgreditur legem, totius præuaricatrix cõstituitur: atq; ita tota in casses Dæmonis incidit escaq; ipsius efficitur. Quod ne fiat summopere noctu & interdiu vigilandum est, vt

DECIMA TERTIA. Totum fermentandũ Id enĩ decet.

1. Natura huius fermẽti.

2. D. Iacob.

Iac: 3. 10.

3. Periculũ.

4. Simile.

quicquid est in nobis hoc FERMENTO FERMENTETVR TOTVM. Verùm de parabolis dicta sufficiant: iam verò finem & Euangelij videamus, & concioni imponamus, subdit itaq; Euangelista.

HÆC OMNIA LOCVTVS EST IESVS IN PARABOLIS. Multas enim simul parabolas protulerat in medium, loquens ad TVRBAS, Apostolis verò & claras doctrinas dabat, & aliquas parabolas edisserebat.

Qũo sine parabolis nõ loqbatur Christus.

ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR EIS. Plebi videlicet, quod vel de illo tantum tempore est intelligendum, vt sentit Chrysostomus; vel quod ferè nil sine eis plebi loqueretur, vt vult Augustinus. Verùm quia hac de re aliâs pluribus egimus; nunc causas propter quas ita Christus loquebatur, videamus: nec verò alias præter eas, quas Euãgelistæ assignent; Sunt autem tres vt in prima concione diximus, & ibidem primam ac præcipuam excussimus: nunc duas reliquas prosequemur. Quarum alteram his verbis D. Marcus expressit. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire, sine parabola autem non loquebatur eis.* Quam duplici & quasi contrario modo autores interpretantur. Alii enim volunt ideò id factum, ne intelligerent (& ita hæc ratio cum prima coincidit) alii contrà, vt qui simplicem sermonem capere non poterant, per parabolas eum cognoscerent, ita enim *poterant audire*, id est, intelligere.

Ratio D. Marci explicatur. *Mar. 4. 33.*

gere. Vtrumq; puto fuisse verum in diuersis personis, quod & nunc tum in Hæreticis, tum in aliis sepultis in peccatis videmus fieri. Videmus, inquam illa, quæ & clarè dicuntur, & à simplicibus etiam fæminis Catholicis rectè percipiuntur, ab obstinatis penitus non intelligi. Excæcat enim eos perfidia & malitia eorum. Multò verò magis id eueniebat in parabolica locutione, quæ natura sua obscurior est. Quare propter duo hominũ genera per parabolas loquebatur Christus Dominus; tũ propter Pharisæos, ne mysteria eius caperent: tum propter simplices & rectos, vt ea facilius intelligere possent. Consideret quilibet vestrum, in quorum numero reperiri velit. Altera ratio sic in Euangelio ponitur.

DECIMA QVARTA Curandum vt parabolas intelligam⁹.

VT IMPLERETVR Iam in prima concione diximus particulã VT, non causam, sed euentum denotare.

QVOD DICTVM ERAT PER PROPHETAM Dauidem potiùs quã Asaph. Probabilius eñ censeo cum Sãctis Patribus, Dauidem omnes Psalmos composuisse.

DICENTEM partim cõmemorando antiqua beneficia, partim noua prophetãdo.

APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM: Citatur locus secundùm 70 Interpretes. Nam in Hebrȩo paulò est aliter: sed sensus idẽ: quẽ notauimus in superioribus concionibus.

ERVCTABO, Hoc est de profundo eliciã.

ABSCONDITA A CONSTITVTIO-

NE MVNDI. Quod nemo melius facere potuit, quàm Christus Iesus, qui & secundum Diuinam naturam creauit mundum; & iuxta humanam naturam locutus est in mundo: sponsæq; suæ Ecclesiiæ, & manifestauit & hucusque manifestat multa mysteria, vt credentes salui fiant. Vtinam verò id omnibus nobis eueniat. Eueniet autem dilectissimi, si & non cum obstinatiòne, sed magna cum animi demissione ac humilitate Diuina audiuerimus mysteria, & per spem viuam fermenti huius sanctissimi participes efficiemur. Etem si spes viua aderit, sola sufficiet, quia sola non erit. Aderit enim ei fides cui innititur, aderit charitas, à qua vitam accipit, aderũt iustitia, prudentia, temperantia, fortitudo, & omnes reliquæ quas propter spem vitæ æternæ exercibimus virtutes.

DECIMA QVINTA spes viua procuranda.

Quare præclaræ huius & eximiæ virtutis exercitationem plurimum vobis commendo dilectissimi. Hoc verò habebitis; tum fugiendo ac profligando, quæ huic virtuti contraria esse nouimus: tùm sectando, quæ ad eam acquirendam conducunt. Illud obtinemus, si ea quæ dicta sunt serio obseruauerimus: hoc verò assequemur, si proprietates fermenti diligenter considerauerimus. Cauenda igitur, & profliganda est nobis inprimis ingratitudo, quę & Iudęos pessundedit, & vim virtutis huius eneruat, imò funditus eam è medio tollit. Nullus enim ingratus benè vnquam sperare potest:

Spei comendatio, & dictorũ sum̃a.

Quę cauenda sperare volenti.

potest: sed aut spe penitus priuatur: aut pulchram spem turpi commutat præsumptione. Profliganda deinde est fiducia, quæ in terrenis, & caducis istis collocari solet. Hæc enim grauis est pestis spei diuinæ: quæ sursum omnia trahit & eleuat. Profliganda deniq; ebrietas, hypocrisis, & quoduis fermentũ vetus, quod expurgandum præcipit Apostolus. Inserenda verò & procuranda, quæ his sunt contraria, gratitudo, mentis ad Deum eleuatio, sobrietas, syncetitas, & cæteræ in bono fermento à Christo Domino adumbratæ virtutes.

Quæ procuranda.

Maximè verò tres, quæ & in tribus proprietatibus fermenti (mirabilibus sanè) pulchrè denotantur, & ab Apostolo tanquam fontes, & origo spei ponuntur. Prima fermenti proprietas est, paruũ esse, & magna efficere. Nunquid non videtis quotidie quomodo parua fermenti particula, modio farinæ iniecta, plurimum eam crescere faciat? Talis est Humilitas, minima in se, maxima in effectu. Quidquid enim est in homine totũ vera humilitas reparat. Secunda fermenti proprietas, mortuum quid esse, & tamen massã viuificare. Sic Mortificatio cùm ipsa sit in se mortua (vnde & nomen accipit) omnes potentias nostras rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, mirum in modum viuificat. Tertia fermenti est conditio, in se quidem rem esse insipidam, sapidum tamen reddere panem. Ita Patientia quæ pro fundamento ha-

Mirandæ tres fermẽti ꝓprietates.

Tres virtutes denotant; quæ

bet tribulationes & tentationes varias, quibus nil ex natura sua magis est insipidum, sapidissimũ tamẽ Christo Domino efficit panẽ. Cuius rei testis est Sãctus ille Martyr Ignatius, qui rugientes & ad se deuorandum paratos audiens leones exclamauit [Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar] ô virum eximium, & imitatione dignum. Hæc verò omnia spem viuam in nobis efficere & perficere docet nos Apostolus illis verbis; *Tribulatio patientiam operatur, patientia autẽ probationẽ, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Tribulatio enim, cùm omnis, tùm verò vltrò propter Christum suscepta sanctam operatur patientiam. Hæc verò probationem, quæ magna est in humilitate Isnamq; verè est probatus, qui verè est humilis. *Probatio verò spem*; & talem spem, quæ *non confundit*, in æternũ. Quare? *Quia Charitas diffusa est in cordibus nostris, per spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Vtinam verò detur omnibus nobis, præstãte eodem viuifico spiritu Sãcto cui vna cum Patre, & Filio, sit eadem adoratio, laus honor & gratiarum actio, in secula seculorum. Amen.

Rom: 5.3.

Spem in nobis causant.

GRANVM SINAPIS CHRISTVS

CONCIO QVARTA
Charitas.

Simile

Simile est regnũ cælorũ grano sinapis. &c.

MIrabilis est sanè Christus Dominus noster, sicut in operibus; ita & in sermonibus suis. Et quidem stupenda eius facta ipsa miracula produnt: dicta vero miranda, cum alia, tùm parabolæ testãtur. Quarum prima in Euangelio hodierno, est de GRANO SINAPIS. Quid verò mirandũ magis, quàm rem maximam, maximiq; valoris, rei minimæ ac nullius precii comparare? quid minus, magisuè abiectum esse potest GRANO SINAPIS? quod & aspectũ hominis penè fugit, & etiamsi videatur, tamen ne à pauperrimo quidem, qui obolum tollit, è terra, leuatur: Huic nihilominus cõfert Christus Dominus REGNVM CÆLORVM, quo quid maius, carius, augustius? Neq; verò id tantùm, quod plerumq; per regnum cælorum intelligimus, granum Sinapis designat: sed & aliud quidpiam longè etiã hoc excellentius.

Qũo Christ⁹ maxima minimis comparat.

Quidnã verò sit istud in hac concione inuestigare institui. Idcirco primũ quidẽ videbimus granũ hoc qualnã proprietates habeat. Deinde quonam modo Christum Dominũ designet. Postremò qua ratione, & quo cum fructu grani huius participes ẽẽ possimus. Da granum sanctissimum Christe IESV id ita cõsiderare, vt nos quoq; granum sinapis per tui imitationem esse valeamus.

PROP: tria continet.

I. PVNCTŨ Proprietates grani sinapis explicat.

GRANVM SINAPIS mirificum est sanè: tùm sui natura: tùm ob effectus multos & admirabiles. Aspectu eñ paruũ ẽ, obscurũ, ac vile: at verò virtute ingẽs est, copiosum & ꝑclarũ. Neq; principiũ, neq; finẽ habet (prout triticum, hordeum, & alia eiusmodi habere videmus) rotundum est enim; principio tamen, & fine non caret, aliisq; dat principium. Cum viuit, mortuum esse videtur, cùm autẽ moritur, multis vitam tribuit. Hoc commune habet cum tritico, & aliis seminibus. Sed illud pecculiare; quòd primùm penè in vere virescit, , quòd florem gratum apiculis edat, quòd cùm MINIMVM sit OMNIBVS SEMINIBVS ita crescit, vt fiat ARBOR, ET VOLVCRES CÆLI HABITENT IN EA. Sed & illud mirandum, quòd alio collimat, alio ferit; Deorsum enim descendit, & caput petit. GRANVM SINAPIS igneũ est, supra omnia semina, teste Pythagora, & Plinio acrisq; sed nõ ingrati saporis. Deniq; cũ ẽ integrum, nulli penè sensui, vel ægrè alicui patet: contritum verò vniuersos turbat, tactũ ignea sua natura quodammodo adurit, gustum acrimonia sua pungit, visum clarificat, oculosq; in lachrymas resoluit, è naso sternutationes elicit; cerebrum purgat, sicq; ipsum quoq; auditum iuuat. Quid dicam de morbis, quibus medetur? Dicam quædam sub finem cõcionis, reliqua à medicis pete; nos nostra prosequamur.

Quid

Quid igitur GRANVM SINAPIS signi- II. PVNCTVM
ficat? Inter alia in præcedentibus dicta con- Christū dominū grano
cionibus designat secundum Patrum expo- sinapis denotari.
sitionem Christum Iesum. Et sanè merito.
Si enim propter Christum aliis rebus appli-
catur hæc parabola, multò certè magis com-
petit ipsi Christo. Et verò proprietates sina- Tū a minori Tū ob pro-
pis, quas recésuimus nullibi magis elucescūt, prietates.
quam in Christo Domino. Is enim cùm pri- 1
mùm è terra illa de qua Dauid. *Benedixisti Do-* *Psa: 87. 2.*
mine terram tuam. ex vtero inquam virginis
erumpit, quàm mirè omnia aspectu suo læti-
ficat? virescit etenim, & gratum præbet aspe-
ctum matri suæ, & patri putatiuo in ciuitate
Betlehem, pastoribus vigilantibus in agro,
Magis in montibus, Angelis in àére, & cælo,
brutis deniq; animantibus in stabulo, quan-
do *cognouit bos possessorem suum, & asinus præse-* *Is: 1. 3.*
pe Domini sui. Is paulò pòst florem emittit 2
gratum & vtilem apiculis illis sanctissimis, Si-
meoni seni, Annæ viduæ, Ioanni quoq; ba-
ptistæ, & parentibus eius: Isq; præterea, qui 3
in adulta ætate exteriùs tùm pauper, & obscu- *Luc: 9. 48*
rus fuit, vt non haberet vbi caput reclinaret *Mar: 3. 21.*
suum: interiùs tàm erat copiosus, vt diuitiis *Mat: 11. 19*
suis totum impleret terrarum orbem: nullus
enim est diues, nisi per illum. Claritas verò 4.
quam ingens in miraculis apparet? is qui fo-
ris tam erat abiectus, vt pro stultò, etiam à
suis haberetur, ab inimicis verò, pro voraci,
potatore vini, & peccatore reputaretur; in-
tus &

tus & sapiẽtia erat patris, & ita omnibus vir-
tutibus planus, vt aduersariis dicere auderet.
Ioa: 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Is verè, ac
5 propriè secundum vnam naturam, & princi-
pio, & fine caret, qui tamen iuxta alteram, &
initium è virginis vtero, & finem vitæ morta-
lis in cruce habuit; quiq; rebus omnibus, &
naturalis & spiritualis vitæ tribuit initium:
6 is mortalem viuens vitam, quasi mortuus &
Ioa: 12. 24. sine fructu esse videbatur, mortuus verò mul-
tùm fructum attulit, vt ipse de se sub alterius
7 grani parabola testatur. In primis autem ea,
quæ in Euangelio de grano sinapis dicuntur,
Christo Domino plurimũ conueniunt. Di-
gnum igitur est, vt singula ponderemus.

Regnum cælorũ Christ⁹ quinq; de causis. SIMILE EST REGNVM CÆLORVM,
inquit Dominus IESVS. Quid verò nos ve-
tat, per regnum cælorum ipsummet, qui hæc
loquitur intelligere? Nihil sanè, imò suadent
multa. Ipse igitur Christus est regnum cælo-
rum, qui illud nobis promeruit, qui præpa-
rauit, qui eò nos ducit, & perducit, qui vi-
res, & gratiam ad illud possidendum tribuit,
qui deniq; REGNVM CÆLORVM, & bea-
Ideo amãd⁹. titudo nostra est. Iesum itaq; amemus dile-
ctissimi, ad eum suspiremus, in quo perfecta
nostra felicitas sita est. In eò enim & anima
& corpus, requiem inueniet suam: anima qui-
dem in diuinitatis, corpus verò in humanita-
tis eius contemplatione sempiterna. Quis pu-
tas est fidelis Christi seruus cui hæc euenient?
Vtinam

Vtinam verò omnibus nobis contingãt. Hoc igitur regnum cælorum, hic Christus IESVS similis est

GRANO SINAPIS Imò ipse granũ sinapis, miris & incõprehensibilibus modis, quorum quosdam paulò ante recensuimus, quosdam inferius tangemus, reliquos piis vestris meditationibus relinquemus. *In meditatione* enim *exardescit ignis* amoris Dei, quem ignis in hoc grano absconditus præfigurat. Est verò Christus granum sinapis. Granum sinapis idem Christus. Psa: 38. 4 Ignis amoris.

QVOD ACCEPTVM HOMO SEMINAVIT. Quis est iste homo qui seminat? Sanctissima Trinitas & ipse Christus Dominus. Absurdũ id videbitur infidelibus, tot & tàm diuersa eidem aptare: at fidelibus, inprimis verò personis spiritualibus contemplatio hæc & vtilissima, & iucundissima est. Nec desunt exempla in scriptura. Quid enim magis diuersum, ac penè contrarium, quàm ostium, pastor, & ostiarius? Nihilominus tria hæc, eidẽ Christo in eodem loco accommodantur: duo quidẽ priora ab ipsomet, cum inquit, *Ego sum ostium ouium* Et paulò pòst. *Ego sum pastor bonus*: postremum verò à patribus. Et meritò quidem. Christus enim ostium, quia aperit nobis paratq; aditum, tùm ad hoc ouile, quod est ecclesia, tum ad illud, in quo æterna beatitudo consistit: Et ipse idem SEMINAVIT, & seminat modis variis. Vbi verò? Homo qui seminat idẽ ipse Christ'. Ioa: 10. 6

IN AGRO SVO: quod fecit primùm quidem

Seminat vero modis mirãdis Christ⁹

dem in vtero virginis Mariæ, vbi verbum caro factum est. Deinde in monte Caluariæ, vbi granum hoc mortuum est, vt fructum referret vberrimum: tum in sepulchro, vbi ad vitam reuocatum est. Posthæc in cælo vbi in assumpta natura post quadraginta dies apparuit. Postremò seminatur etiam nunc, suo modo, ineffabili sanè, & inenarrabili: cui non solùm Iudæi, & Gentiles, sed etiam quidam qui se Christianos vocant, fidem adhibere nolunt, in Eucharistia inquam, in qua ipse, & hostia, & sacerdos manens *in æternum secundum ordinem Melchisedech* seipsum mirabiliter sistit hic in terra præsens, vt sit, & oblatio pro peccatis nostris, & cibus in hac peregrinatione nostra. O gratiæ ingentes? ò beneficia imensa? Quis tibi dulcis Christe, bone IESV, pro tanto amore tuo, non solùm amorem dignũ te, sed etiam sufficientes gratiarum reddet actiones? nemo equidem. Demus tamen dilectissimi quantas possumus: ipse enim pro sua bonitate, defectus nostros supplere dignabitur. Et quidem modi seminandi granum istud hucusq; recensiti, Christi Domini personam attingunt. Sunt & alij quibus verbum, & Euangelium suum, & olim ipse p se & nunc diuersimodè seminat in mundo; qui licet ex præcipuis sit huius parabolæ sensibus: tamen quia in aliis concionibus, de eo iã disseruimus huic iam supersedeamus negotio, & quæ in Euangelio sequuntur, nostro accommode-

Ps: 109. 4.

Stimuli ad amorẽ Christi.

mus

mus instituto. Pergit itaq; Christus Dominus de GRANO SINAPIS disserere.

QVOD MINIMVM QVIDEM EST OMNIBVS SEMINIBVS. De quorum verborum sensu historico, seu parabolico ibi diximus: iam verò eadem Christo applicemus. Et eximiè certè hæc illi competunt, tùm naturaliter, tùm moraliter. Naturaliter quidem: Hac enim ratione, meo iudicio, minimus fuit omnium hominum Christus Dominus: non quidem in adulta ætate: ita enim satis proceræ fuit staturæ (si vera est figura quæ Romæ visitur) sed tunc temporis quando primum in vtero matris, homo fieri voluit. Ad id verò asserendum impellor partim Philosophorum placitis, partim fide Catholica. Certum est namq; secundũ physicos, quadragesimo, vel paulò pòst à conceptione die, si masculus est; octuagesimo verò si fæmina, animam à Deo creari, corpusculo vniri, & tunc primũ hominem & esse, & nuncupari (quod & lex Moysi in purificatione post partum mulieris non obscurè insinuat) quo tempore embrionis notabilis iam solet esse magnitudo. Constat preterea fide Catholica Christum IESVM, neq; embrionis figuram vnquã tenuisse, neq; tempus illud expectasse: sed post verba illa virginis, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, statim in eodem instanti, & corpusculum, è purissimo virginis sanguine formatum, & animam creatam, & vtrumq; Verbo hypostaticè vnitũ

Christus minimus omnium.

Tum naturaliter.

Leu: 12.

Luc: 1. 38

 fuisse

fuiſſe, quo tempore, cùm corpuſculum (iuxta eoſdem phyſicos, & experientiam) tam paruum eſſe ſoleat, vt aciem oculorum vix non effugiat, euincitur, nullum vnquam hominē (embrio enim homo dici non poteſt) Chriſto Domino minorem fuiſſe, Et quis nouit an granum ſinapis magnitudine excellerit, cū id factu non ſit impoſſibile?

Vnde tres hauriuntur doctrinæ.

Quid verò nos ex hac paulò ſubtiliori ſpeculatione diſcemus? Tria inter alia. Fecit enī hoc Chriſtus Dominus, vt fidem firmaret Catholicam; vt Charitatem noſtram & gratitudinem acueret, vt nos humilitatē doceret.

1 Fidei confirmatio.

Primum præſtat, cum facto hoc nos inſtruit, ne pro abſurdo reputemus (vt quidam impii faciunt hæretici) in Euchariſtia verum ac integerrimū eſſe Chriſtum dominum, etiam in parua hoſtia: illum ipſum qui in vtero matris in minimo corpuſculo totus continebatur. Alio quidem modo hic, alio in Euchariſtia: Fateor: ſed tamen ad confirmandā fidem noſtram haud valde diſſimili ratione.

2 Charitatis inflāmatio.

Charitatis verò in nobis excitandæ quantus ſtimulus eſt? conſiderare illum qui apud Prophetam *Cælum* inquit *ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum* amore noſtri tam paruum factum eſſe, vt granum Sinapis magnitudine vix excederet? Quis igitur gratus tanti beneficii non erit? quis non liqueſcet amore illius, qui tantum nos adamauit? qui vt nos magnos efficeret, minimus fieri dignatus

Is 66. 1.

gnatus

gnatus est? Et hoc ipsum multò etiam clarius humilitatem nobis commendat, quàm à tam paruo initio mirificè toto vitę suę tēpore amauit, coluit, exercuit. Christus n̄ IESVS rex regū, natus est in fœtido stabulo, circumcisus tertia die ac si esset peccator, fugit in Egyptum infantulus, tanquam exul à patria, & veluti seruus nō autē filius; humi cubat in templo adhuc puerulus, quod postmodum & in deserto, & alibi sæpe illum factitasse credendum est: Deniq; tota vita & mors eius fuit exemplar humilitatis, forma submissionis. Fuit obediens parentibus, omnium parentū ipse parens, submisit se vectigal exigentibus, discipulis pedes lauit, cùm esset magister & dominus. Verùm quis omnes humilitatis eius actus non modò numerando recensere, sed etiam cogitando assequi poterit? Quare hac ratione moraliter quoq; omnium qui vnquam fuerūt, sunt, & erunt, hominum minimus fuit. Itaq; cùm humilitatem sanctam, non solùm exemplo suo nobis obnixè commendauerit; sed etiam ad eam amplectendam nos cohortari voluerit, dicens: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, quàm solicite hæc virtus à nobis sit procuranda, non est qui nō videat. Neq; frustra verò id fecerimus. Nam quod in parabola dicitur.

3 Humilitatis comendatio.

Tum moraliter.

Vnde magis comendatur humilitas præsertim spiritualibus.

Mat. 11. 29

Humilitate cū quilibet crescit.

CVM AVTEM CREVERIT id per huhumilitatem assequemur. Mirum sed verū, submissione aliquem crescere. Etenim contra-

1. Quia viæ Dei & mundi cōtrariæ,

rio hic Christus dominus tramite quàm mundus procedit. Iste enim tum temporis aliquē creuisse arbitratur, cum quis ex paupere fit diues, ex ignobili nobilis, ex simplici ciue, aliqua in Republica dignitate fulgens. Tunc, inquam eiusmodi homini sui congratulantur alieni inuident: omnes verò vno ore creuisse eū inclamant. Verū secus euenit in Christo, & fieri debet in Christiāis. Tū tēporis enim IESVS creuisse dicitur, quādo ex stirpe regia ꝓgenitus, vilis oppiduli fuit incola factus, quādo *propter vos egenus factus est cū esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Quanā ratione? Nū diuites eritis per superbiā & pōpas honoresq; mundanos? Minimè: sed sicut Christus per humilitatem, abiectionem, & crucem, de qua paulò pòst. O quàm crudele est venenum, viris præsertim religiosis, arbitrari, tum se crescere cum ab omnibus honoratur? tum laudatum, cùm se magnum esse quis reputat? Contrariū nos docet Paulus, qui se minimùm & *Apostolorum & sanctorum* vocat, cùm fuerit maximus. Cōtrarium princeps Apostolorum Petrus, qui post admonitionem factam tum subditis, tū prælatis inquit: *Omnes autem inuicem humilitatem insinuate.* Causamq; assignat *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Ecce tibi veram veri honoris descriptionem. Gloria enim Christianorum, in sola gratia diuina consistit. Ea qui pollet honoratus est; qui caret inglorius; etiamsi esset omnium mortalium

2. Quia ita Christus Dominus in vita sua.
2. Cor 8. 9.
3. Quia magni fieri venenum.
4. Exemplo Pauli.
1. Cor: 11. 9
Eph: 5. 8.
1. Pet: 5. 5.
5. Institutione Petri.
NOTA.
6. Quia ver' honor inde.

liũ locupletiſſimus, nobiliſſimus, doctiſſimus. O quam turpiter errat mundus in diiudicando, qui ſint veri honores? Quod ſi nullus Chriſtianorum excuſabitur, ſi neglecto vero, mundanos & fanaticos conſectatur honores; quã excuſationem habebunt, qui poſteaquã ſe à mundo ſegregarunt, mundanam gloriam totis viribus aucupantur? Quid plura? Doctrina ipſius Chriſti domini eſt dicentis: *Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.* Quid noſtro propoſito dici potuit accomodatius? Deniq; Saluator noſter in cruce id maximè docuit, in qua omnem ſuam collocauit gloriam: ideòq; eam exaltationem vocat, dicens: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* O vtinam & me, & populum hunc in nomine tuo hic congregatum trahas ad te bone IESV, vt agnoſcentes in cruce tua veram gloriam noſtram conſiſtere, & cum Paulo in ea ſola gloriemur, & tecum ſedulo eam amplectamur, atq; adamemus. Adamaſſe autẽ crucem Chriſtum dominum pręter alia innumera, docet nos hæc eius parabola. Quando enim vel quomodo GRANVM hoc SINAPIS Chriſtum inquam IESVM creuiſſe arbitramini, ita vt ſicut granum ſinapis cum creuerit,

7. Quia cõtrariũ nociuum & turpe.

Luc: 9. 40

8. Quia id docet IESVS

Io: 12. 32.

9. Quia crux exaltatio.

Ideo amãda

MAIVS EST OMNIBVS OLERIBVS: ſic ipſe maior & excellẽtior eſſet omnibus hominibus? nonne in cruce? Ita ſanè. Id enim expreſſis verbis teſtatur Apoſtolus. Et propterea etiam ſubiugitur in parabola.

Phil: 2. 8.

Christus in cruce creuit teste Augu.

ET FIT ARBOR. Nonne cum arboris fieri mentionem audis, ARBOR crucis tibi in mentem venit? Nec immeritò: in ea enim Christus IESVS pendens vnum quodamodò cum illa effectus est, teste Augustino, qui explicans illam Ioan: Baptistæ prophetiam de Christo; *Illum oportet crescere me autem minui*, ait eam expletam fuisse, quando [iste minutus est in capite, ille creuit in cruce] Quod dũ facit, quæ beneficia nobis non præstat?

Ioan.3.30.
Aug: Ser: 116.

Indefructus pfigurari à Dan.

Dan: 4.7.

1. Operatio salutis.

Libet iterum cõsiderare arborem illam Regis Nabuchodonosoris (valde enim nostro seruit proposito) quæ cùm alia; tum verò fructus passionis Christi IESV pulcherrimè nobis ob oculos ponit. Etenim primum quidẽ arbor illa dicitur fuisse sita *in medio terræ:* quod quasi explicans, vel prædicens potiùs Dauid inquit: *Deus autem noster* (qui est Christus IESVS) *operatus est salutem in medio terræ.* Deinde arbor illa dicitur fuisse *magna & fortis.* Quid cruce fortius quæ & omnipotentem sibi affixum tenuit, & vt inde ad nos omnis fortitudo deriuatur effecit? Tertiò ait, *proceritas eius contingens cælos.* Nil aptius. Ipse enim est *mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Quartò subiungit; *aspectus illius erat vsq; ad terminos vniuersæ terræ.* Sicut ñ olim nemo liberabatur à serpẽtũ morsu mortifero, nisi qui intuebatur serpentem æneum à Mose exaltatum: ita neq; olim, neq; nunc vllus salutem animæ consequitur, nisi per aspectũ & sanguinem Christi cru-

2. Fortitudo nostra.
Ps. 73. 12.

3. Mediator.

4. Saluatio nostra.

1. Tim: 2.5.
Num: 21.9.

sti crucifixi. Quod considerans dilectus Christo discipulus asserit, Agnũ *occisum esse ab origone mundi.* *Apoc:13.8*
Quintò inquit Daniel, *& folia eius pulcherrima:* 5. Verbum penetrans.
per folia verba & sermones rectè intelligũtur (vt illud *& folium eius non desluet* patres interpretantur) *Psal:1.5.* quid verò pulchrius dictis Christi domini: cum in vita tum in cruce & morte prolatis? Pulcherrima sanè, non quidem sophistarum acumine fucata, nec oratorum lenocinio ornata, sed Spiritu Dei, virtute, & sapientia roborata; ac proinde *penetrabiliora omni gladio ancicipi.* *Heb:4.12.* Tales sunt qui crucem & crucifixum syncerè amant. NOTA Exhorta. vtinã verò omnes simus tales, tum qui loquimur, tum qui audimus conciones, vt non suauiloquentiam, sed Spiritum Dei in iis quærentes, fructus referamus vberes, dignos Deo, vtiles nobis. Sequitur *Et fructus eius nimius.* 6. Fructus nimii. Nulli id equidem propriè cõpetit nisi soli arbori crucis; in qua *copiosa* peracta est *redemptio*: *Ps: 129.7.* imò vt hic dicitur nimia. Cum enim vna gutta diuini sui sanguinis nos redimere potuisset, ita totum effudit, vt reliquum, quod circa cor habuit, siue naturalis siue miraculosi cruoris, extrahi lancea pateretur. O liberalitas inaudita. O amor incomprehensibilis. O vtinam redamare non pigeat, quos talia audire delectat Nimius igitur arboris huius fructus fuit, Redamandũ & si ita loqui licet nimium nimius. Pergit Propheta: 7. Esca vberrima. *Et esca vniuersorum in ea.* Pro vniuersis eñ præ-
 parata

parata est, sufficiatq; pro omnibus, quod si verò non omnes escæ huius participes efficiuntur, sibi imputent. Additur *Et super eam habitabant animalia & bestiæ.* Imperfectiores qui sunt in Ecclesia notat, de quibus paulò post. De perfectis verò subdit *Et in ramis eius conuersabantur volucres cæli.* Eadem pene verba in parabola hodierna ex ore Christi domini audis, cum de arbore sinapis, (quam crucem designare demonstratum est) inquit;

Cum pro omnibus.

Tum verò pro perfectis.

ITA VT VOLVCRES COELI VENIANT ET HABITENT IN RAMIS EIVS. Contempletur hæc anima fidelis, Deo deuota; neque solùm meditetur, sed & fructum haurire studeat, de quo apud Danielem, *& ex ea vescebatur omnis caro.* Hæc nos nostri admonent officii, docentq; quomodo tantorum fructuum participes fieri & esse possimus.

Ideo ea vtendum.

Dan: 4. 9.

Cęterum antequàm ad ea explicanda veniamus, videndum est & quid per animalia, bestias, volucresq; intelligatur, & quomodo ea, quæ tum ex Prophetia, tum ex Euangelio protulimus, pendente adhuc in cruce Christo Domino, executioni mandari cepta fuerint. Magnum etenim est hic mysteriũ stuporeq; planè dignũ: nempe quonamodo is, qui minimus erat, tum temporis crescere cæpit, cùm secundum mundi iudicium maximè decrescebat. Nam vt audistis, GRANVM hoc SINAPIS Christus IESVS minimus fuit omnium, qui vnquã erant, vel futuri sunt hominũ; naturaliter

Quomodo Christus decrescendo creuerit.

NOTA.

liter quidē dum in vtero matris virginis esset constitutus: moraliter verò, dum per humilitatem pendens in cruce opprobria sustineret. Cū enim à die natiuitatis suæ in hac paruitate cresceret quotidie, tandem in passione eam consumauit. Ideò D. Paulus postquàm non pauca de exinanitione Christi Domini per assumptam formam serui locutus fuisset, concludit actu humilitatis eius perfectissimo &, ait: *Humiliauit semetipsum factus obediens, vsq; ad mortem mortem, autem crucis*; demonstrās eū vlterius progredi non potuisse. Hæc enim mors fuit vt acerbissima, ita omnium ignominiosissima. Audiamus hac de re eorum sententiam, qui eam intulerunt: Sic enim isti apud sapientem. *Morte* inquiunt *turpissima condemnemus eum*. Quod cùm perficeretur, cū inquam, Christus IESVS in illo acerbissimo esset agone, cùm minimum & humillimum omnium actionum suarum opus exerceret, cùm in cruce pendens idem quasi cum ea factus fuisset; tum temporis crescens in ignominia secundum mundi & impiorū iudicium: crescere cæpit in gloria, apud Deum, Angelos eius, & omnem tam terrenam quàm cælestem creaturam: quæ tam atrox intuens facinus vniuersa commouetur. Terra etenim tremore concutitur insolito, petræ scinduntur, sepulchra aperiuntur, aër obtenebratur, *velū templi scinditur in duas partes à summo vsq; deorsum*: sol præter omnem naturam suam obscura-

Phil: 2. 8.

Sap: 2. 20.

Deo & omni cieatura teste.

Tam rationis experte.

Mat: 27. 51

tur. Hæc rationis expers creatura.

Quam rationis cõpote
Quid verò rationis particeps? Eam duplicem in rerum natura reperiri noſtis, angelicã videlicet, & humanam: quarum illa quidem vt ſpiritualis per VOLVCRES in Euangelio, hæc vero terrena, per animalia & beſtias apud Prophetam præſignatur. De Angelis enim

Iob 20. 21
illud Iob: *volucres quoq́; cæli latet*, omnes intelligunt: homines verò animalia quædam eſſe nimis eſt euidens. Videte iam quæſo vtriusq́; munus & officium in cruce pẽdenti Christo

Angelis, qui flebant ſuo modo.
IESV præclarè exhibitum. Quemadmodum enim videmus paruas auiculas è ramis arboris ſinapicæ pendere ita quid putatis, quot nã angeli beati pendente in cruce IESV, ipſi quoq́; ſuo modo & ex ea pendebant, & Christo cõpatiebantur? Quamuis enim illud Prophetæ

Iſa: 33. 7.
Angeli pacis amarè flebant, in ſenſu hiſtorico de

D. Th: parte: 1. q. 113 Art: 7. ad 1.
nuntiis Ezechię propter verba Rapſacis flentibus intelligatur: tñ metaphoricè & anagogicè poſſe hęc de angelis accipi, cõcedũt ſacti.

Anima latronis, q̃ adorabat.
Quibus ſi adnumerauerimus animam dextri latronis, quando egreſſa è cauea carnis adorabat corpus Saluatoris ſui, minimè certè à

Hominib⁹, quorum.
vero aberrabimus. *Subter eam* verò *habitabant*

Dan: 4. 9.
animalia & beſtiæ teſte propheta, per quæ genus humanum deſignari diximus. Quod to-

Pii compatiebantur.
tum eo temporis in Gentiles & Iudæos diuidebatur. Pulchrum ſanè myſterium. Videmus enim ſub cruce ſtantes primum quidem beatiſſimam virginem matrem. Ioannẽ quoque

que Euangelistam, Mariã Magdalenã, cæterasq; pias fœminas, quæ omnes Christo dolēti condolebant: deinde Iudæos *percutientes pectora sua* & pænitentiam agentes. postremò etiam ipsos Gentiles de quibus ait Euangelista: *Centuriò autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: verè filius Dei erat iste.* Vides quàm eximiè figuræ res ipsa respondeat? Vides quàm ingens sit honor & gloria in ipsa crucis & blasphemantium ignominia? Cogita quō hæc deinde creuerit in sepultura honestissima, in resurrectione celeberrima: in ascensione gloriosissima: in prædicatione Euangelij per totum terrarum orbem augustissima. Hæc, hisq; similia vobis meditanda relinquo, vtq; inde amorem Christi in vobis excitetis, hortor.

Iudæi pænitētiã agebãt *Luc. 23.48* Gentiles cõuertebantur *Mat. 27.54* Meditãdi & amandi materia.

Ad id, quòd vltimo loco tractandum proposui, me accingo voloq; demonstrare, quidnam nobis sit faciendum, vt tum eas, quas recensuimus; tum alias vtilitates & commoda, referre valeamus. Breuiter assequemur hæc, si sub arbore ista esse, si habitare, si nidificare, si deniq; de fructu eius vesci studuerimus. Iste etenim sunt quatuor actiones, quas nobis tum prophetæ, tum parabola Euangelica commendant. Quarum tres primę, præcipuè tribus, qui sunt in Ecclesia statibus conueniunt, singulæ singulis. Vltima verò omnibus competit, de qua tamen postremi plus

III. PVNCTVM Fructus & corũ participatio Quam vt assequamur debemus.

plus cæteris gustant, plusq; vtilitatis referunt.

PRIMO sub arbore crucis Esse. Itaq; primò & ante omnia requiritur, vt simus sub arbore crucis. Nam vt Ecclesia canit [in cruce domini nostri IESV Christi est vita, salus, & resurrectio nostra.] Propterea qui sub cruce non sunt, foris sunt: qui verò foris sunt, salutem non consequentur. *Foris* etenim teste D. Ioañe sunt *canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Quibus in verbis, licet partibus plures; genere tamen, duo impiorum status notantur: alter est infidelium, quos canes Idolis seruientes, mendacium & amantes & facientes vocat: alter fidelium quidem, sed impiè viuentium; quorum postquam aliquot species enumerasset, reliquas nobis considerandas reliquit. Horum verò omnium licèt priores magis sint extorres à cruce Christi, (posteriores enim saltim per fidem quoquomodo inhærent ei) neutri tamē de meritis sanguinis eius in cruce effusi, vt par est participare valent. Quare si salui esse cupiunt, necesse est vt veniant sub crucem, eiq; suo inserantur modo. Id verò fit fide, & pænitentia. Fide enim perfidia est propulsanda; pænitentiâ verò, diuina ira est mitiganda. Isti sunt duo modi, duæq; virtutes, quæ nos sub arbore hac sancta sinapica, sub cruce inquam Christi IESV collocant. Vidistis iam typum, vel exempla potius huius rei, dum ad huc Chri-

Nō foris qui sunt dupli- ces.

Apo: 22. 15

Hi verò redi būt per fidē & pænitentiam.

Christus dominus in cruce penderet: tum in Iudæis, ac Gentilibus; qui sub cruce erant: tum in latrone, in alia cruce, cum Christo pendente. Pulchra auicula, serò quidem nata, sed virtutibus plena. Imitanda sanè, sed non ratione temporis, prout quidam non minus insulsè, quam periculosè faciunt, differētes conuersionem suam vsq; ad mortis articulum. Caue. Nam vt alias dixi; & sæpe dicendum est, vnde tibi constat; te id priuilegii tunc habiturum? Cur te non terret potius alter latro à sinistris pendens, ne idem tibi eueniat, qui *contra spem in spem peccas?* At fecit hoc Abraham inquis: Absit hoc vel cogitare, credidit quidem Abraham *contra spem in spem* quod optimum est: sed nunquam peccauit in spem contra spem, quod tu facis: Id enim pessimum. Ergo conuertere ad dominum Deum, & age pænitentiam, vt sub cruce Christi esse possis. Id enim & primus iste status requirit, qui incipientium dicitur, & omnes reliqui; qui hunc præsupponunt.

Exemplū latronis quomodo imitandum.

Rom: 4.18

Hic status incipientium.

Alter status est, qui proficiētium vocatur, quibus competit, non solùm esse, sed etiam HABITARE sub arbore crucis Christi. Hi enim sicut tum in fide, tum in operibus bonis, magis magisq; sunt *radicati & fundati*: ita etiam progrediuntur *de virtute in uirtutem* vi & virtute crucis Christi muniti, cui fortiùs quàm priores inhærent. Eiusmodi si quando tribulationibus, tentationibus, & aliis agitantur

SECVNDO HABITARE qui ad progredientes spectat.

Eph: 3. 17.

Psal: 83.6.

gitantur molestiis (id enim talium est proprium) statim memores officii sui, quod nõ est aliud, quàm HABITARE sub cruce; & sustinent ea propter Christũ libenter, & repellunt fortiter, & è cruce Christi miras hauriunt consolationes abundanter. Ideò autem siue sub cruce, siue in RAMIS EIVS HABITARE dicuntur: quia habitum patientiæ, qui ex continua crucis Christi meditatione oritur, vtcunq; contraxerunt.

TERTIO NIDIFICARE quod est perfectorum Qui.

Tertius status perfectorum est: quibus nõ satis sit; ESSE & HABITARE; requiritur enim etiam NIDIFICARE In cruce domini nostri IESV Christi, monente eos alio propheta, & dicente: *Relinquite ciuitates & habitate in petra habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Meminit huius loci D. Bernardus nos pro contemplatiuis quatuor hîc considerabimus, duo fugienda, & duo præstanda. Fugiendæ sunt ciuitates, ideò eas relinquere iubet, personis enim contemplationi deditis, non solùm secularia negocia, quæ in ciuitatibus exercentur: sed etiam aliæ actiones, quæ distractionem pariunt, multum nocere solent. Eiusmodi sunt familiarita es non necessariæ, collocutiones diuturnæ, solicitudo inutilis, & similia: Deinde verò cauenda maximè superbia, cui tales valdè sunt obnoxii. Eam verò sub typo habitatorum Moab, tum perstringit, tum deserere iubet Propheta. Ideò statim subiungit:

Ier: 48.28.

Ser: 61. in Cant.

1. Fugient ciuitates.

2. Cauebũt superbiam.

Audi-

Audiuimus superbiam Moab, superbus est valdè. Hæc igitur ne inuadat eos, qui aliis eminere videntur ac proinde ne propterea grauiter labatur pes eorum, diligenter videndum est.

Duo verò alia curanda eis erunt. Alterum, vt *habitent in petra. Petra autem erat Christus* (inquit Apostolus explicans Prophetam.) Ad Christum igitur IESVM omnes suas cogitationes dirigent contemplatiui, de eo loquentur libenter, propter illum quicquid agunt operabuntur; dabuntque operam, vt ipsi in Christo, & Christus in illis habitet: nō solum per gratiam suam (quod fit etiā in prioribus gradibus) sed etiam per quandam familiaritatem spiritualem, quod ipsorum est proprium. Alterum, curabunt vt sint *quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Quodnam est hoc supremum os foraminis, quod in arbore hac sinapica, id est, in cruce domini IESV visitur? Non aliud equidem, quàm quòd miles lancea aperuit, quod aqua & sāguine maduit: quod sponsam Christi protulit; quod vsq; ad cor IESV penetrauit. Ideoq; sum̄um os foraminis nuncupatur, quia cuspis lanceę militaris vsq; ad cor IESV peruenit. Ibi igitur contemplatiuus nidum suum ponet, ibi quasi colūba gemitum pro cantu edet: tum priora sua & aliorum peccata deplorando, tum patienti Christo compatiendo, tum prolongationem incolatus sui deflendo. Ibi interiora Christi IESV rimabitur & intuebitur, nempe, cor amore,

3. Procurabūt familiaritatem cum Deo.

1. Cor: 10. 4.

4. Contēplabuntur passionem Christi.

NOTA. Miras inde vtilitates.

amore salutis nostræ liquescens, iecur suo modo pallescens, stomachum ieiuniis contractum, splen exsiccatum, fel sine felle, quod enim in nobis, per validam mortificationem lapidescit, (vt Physici tradunt) hoc in Christo præ dulcedine spiritus credi potest emarcuisse; omnia denique interiora ad temperantiam, sobrietatem, & castitatem, mirè disposita: hacq; ratione interiora & exteriora sua, qua moderabitur, qua inflammabit. Moderabitur tum risum & lætitiam inanem, tum escæ & potus appetitum non necessarium: tũ animi ægritudinem seu tristitiam superfluam; tum iram choleramq; exęstuantem: tum denique omnes affectus & motus suos inordinatos. Inflammabit verò cor suum ad amorem Dei & proximi feruentem. Indeq; ad patientiam, humilitatem, castitatem, modestiam, mansuetudinem, cæterasq; virtutes. Ibi denique pullos excludere conabitur suos, nihil cupiens, nihil intelligere volens, nisi Christũ IESVM & hunc crucifixum, propter quem mortificatur tota die, suiq; planè oblitus, quæ solius Christi sunt syncerè quærit. O beata anima, cui hæc sunt! O fælix & Angelica in terris conuersatio! Tales fuerunt, primum Apostoli, posteà Martyres: tum anachoretæ sanctissimi: deniq; Confessores & Doctores: necnon virgines: denique religiosarum familiarum fundatores. Quos vtinam nos quoque imitari studeamus, ne tantorum parentũ filii

filii degeneres reperiamur. Verum de statibus satis.

Omnibus verò competit de fructu arboris huius VESCI. Hoc n̄. Dan: apertè *Et ex ea(inquit arbore)vescebatur omnis caro*: hoc in parabola Christus. Quorsū n̄ GRANVM SINAPIS seminatur, crescit, colligitur, nisi vt edatur? Manducatur autē & salubriter & suauiter: salubriter quidē, quia si Physicis credimus, sinapis multa depellit morborum genera, cùm capiti, pectori, & stomacho ꝓsit. Suauiter verò comeditur, quia aliorum quoq; condimentum est ciborum. Nunquid id non docet experientia? Quid verò vos cùm GRANO SINAPIS facitis? Inprimis emundare illud consueuistis, dein purgatum siue in mortarium æreum, siue in molam lapideam iniicitis: tum aut pistillo ferreo, aut ligno prægrandi contunditis, aut mola(vt fieri vidi)ita conteritis, vt nec species eius, nec color pristinus, appareat: ac demū siue musto, siue aceto, melleuè delibutum cōdimētū sapori gratum efficitis.

QVARTO, VESCENTVR, quod omnib' cōpetit.

Dan: 4. 9.

Sinapis quō ꝑparetur.

Idem omninò cum eo, qui GRANO SINAPIS comparari vult actum videmus. Perpurgatus em̄ iuxta impiorum opinionem, & emendatus est IESVS, virgis, flagellis, & scorpionibus dirissimis, dicente Pilato: *emendatum illum dimittam*. Quorum licèt neutrum præstiterit homo sceleratus; neq; n̄ emēdauit, quia in homine innocentissimo nihil esse potuit emendatione dignum; neque dimisit,

Passioni Christi applicantur. hæc

Lu: 23. 16

NOTA. Capita argumētorū amoris Christi.

1

Nnn quia

quia mendax fuit: nobis tamen fecit aliquid, quia cibum delicatissimum præparauit. Verùm initia hæc sunt dolorum & præparatio-
2 num. Etenim additur attritio, quæ pugnis, palmis, calcibus, spinis, & arundinibus ita peracta fuit, vt qui hæc fieri siue præcipiebat, siue
Ioan:19.5. conniuebat, admirans dicat: ECCE HOMO, verbis istis contestans, vix hominis in eo agnosci effigiem. O amor IESV, ô bonitas Saluatoris, qui hæc propter nos in se fieri voluit.
3 Sed nondũ finis. Ducitur deinde cruce pgrãdi onustus extra ciuitatẽ, ibiq; siue in molã lapideã, siue in mortariũ pijcitur æreũ. Ingẽs sanè pistillus fuit crux, dira & dura mola mons Caluariæ, in quo omni ex parte, intus & foris, ita contũditur & conteritur, vt qui eũ per prænotionem spiritus viderunt, obstupefacti exclamarint: alter quidem in persona ipsiusmet
Psal:21.7. Christi. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Quid vero vos cum vermiculo, quando eum vultis perdere, facitis? nonne ita pede illum conculcatis, & conteritis, vt ne vestigium quidem ipsius vltra appareat? Idem penè cum IESV, grano sina-
4. pis actũ ẽ, vt esset nobis cibus suauissimus. Al-
Is:53.7. ter verò Propheta: *Non est species ei inquit, neq; decor: & vidimus eum & non erat aspectus, despectum & nouißimum virorum, vnde nec reputaui-*
Vers:5. *mus eum.* Quid verò causæ? Respondet. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis no-*
stra

stræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Maxima equidẽ, inaudita hæc est gratia tua Christe. Verùm id satis nõ erat bonitati, & amori tuo. Non enim propter hæc solùm attritus es, sed etiam vt escam nobis præparares præstantissimam: hæc verò esca, non aliud quid, sed tu ipse es, qui nobis corpus & sanguinẽ in Eucharistiæ Sacramẽto reliquisti tuum. 5.]

Quid ergò tam munifico Patri pro tantis reddemus beneficiis? Et quid reddere valebimus, cùm quicquid non solùm habeamus sed etiam simus, ipsius sit? Cùm ergò referre beneficia nobis nõ liceat, gratos saltẽ esse libeat. Gratitudo verò quã factori suo creatura, homo Deo, exhibere potest, in duobus sita esse videtur: nempe, in beneficiorum eius, tum iugi memoria cum gratiarum actione, tũ frequenti vsu cũ amore. Hæc itaq; quantũ fieri potest efficere conemur: recordemur cũ omni reuerentia, & gratiarũ actione beneficiorũ Christi, quę tãta hic sunt, quãta nec ab omnipotẽti Deo sperare, nec à munificẽtissimo Dño expectare, nec à patre amãtissimo mẽs humana vnquam desiderare potuisset. Superat em̃ omnem desiderii modum, collatorum in nos beneficiorum magnitudo. Quis enim vnquã mortalium desiderare potuisset, vt vulneribus & sanguine supremi omnium Monarchæ culpæ & sordes abiectissimi abluerentur mancipii? Quis vel in animum inducere suum, potuisset fore, vt plagis, liuore, morte denique

Grati tãtorũ beneficiorũ erimus.

Tũ ea recolẽdo cũ gratiarũ actiõe

ipsa, Optimi Maximiq; Dei, sanarentur morbi fugitiui & pessimi serui? Quod tamen & prædictum à Propheta audistis, & perfectum ex Euãgelistis didicistis. Quis præterea imaginari valuisset, attritioné tantam, quantam sustinuit Christus quando veluti in mola positus vtroq; illum constringente lapide, & in corpore spinas, clauos, lanceam, crucem; & in anima tãtam sustinuit amaritudinem, vt clamarit voce magna: *Deus meus, Deus meus, vt qd dereliquisti me?* Quis deniq; cogitare potuisset, Filium Dei dum in supremis doloribus constitutus esset, loco refrigerii, fellis amaritudinem, myrrhæ acerbitatem, aceti acrimoniã degustaturũ, vt GRANVM hoc SINAPIS suaue nobis redderet? Suauitatem verò hanc & Apostoli olim experti sunt, quãdo in die Pentecostes, mustum nouum in noua vasa infusum fuit: & nunc gustus mirandos experiuntur omnes pii, q deuotè ad Sacramẽtum Euchar: accedunt. Hæc igitur amoris IESV argumẽta noctu atq; interdiu mens reuoluat humana, cũ ea qua par est gratiarũactione.

Ma: 27. 46

Tum iis vtẽdo cũ amore *Ps: 15. 2.*

Gratiarum verò actioni addat vsum. Etenim non alia de causa Deus, qui bonorum nostrorum *non eget* dona sua reliquit nobis, nisi vt prosint nobis; prodesse verò nobis nõ poterunt, nisi eis vtamur. Vtemur autem illis, si illa quatuor, quæ in decursu orationis attulimus, diligenter obseruauerimus. Si inquam, sub arbore crucis Christi Domini, per

fidem fideiq; condigna opera ESSE, si per patientiam & longanimitatem HABITARE, si per humilitatem & contemplationẽ NIDIFICARE, si de fructu eius VESCI, & ad participandum corpus & sanguinem Christi IESV, dignè, & frequenter nos præparare studuerimus; si deniq; hęc vniuersa amore Dei & proximi condiemus; sicut Christus IESVS amore suo diuino condiuit vniuersa. Etenim vt D. Augustinus inquit[: solus amor ẽ ex omnibus animę motibus, sensibus, & affectibus, in quo potest creatura etiãsi, nõ ex ęquo, respõdere authori suo, vel illi mutuã repẽdere vicẽ.] Amorẽ igitur Dei & ꝓpter Deũ ꝓximi, vt habeamus, nobis sum̃operè elaborandũ est.

August: in Manuali Cap. 18.

Verùm enim verò, vnde nobis tantum bonum, nisi tu dederis auctor & consumator omnis boni Christe IESV? Ad te itaq; mentes manusq; tollimus nostras, te supplices rogamus, vt qui GRANO SINAPIS assimilari voluisti: nos quoq; tibi assimilari, & fructus spirituales grani huius recipere facias. Tu qui ex maximo minimus fieri voluisti, minimos nos in oculis nostris per sanctam humilitatem efficias. Tu qui in arbore crucis ita creuisti, vt in ipsa ignominia gloriam tuam mundo demonstrares; nos crucem tuã amplecti, sub illa esse, & habitare, ac in sum̃o ore foraminis illius nidificare, in eaque sola gloriari edoceas. Tu qui ad instar GRANI SINAPIS duplici contritione contritus es, vt nobis ci-

Oratio ad Christũ sũmã dictorũ õtinens

bum suauissimum ex corpore & sanguine tuo
præparares, fac vt digne ad hoc Sacramentũ
accedẽtes, fructus inde vberrimos referamus.
Calefaciat obsecro cor nostrum amore tuo
sanctissimo ignita vis virtutis tuæ, quæ olim
Luc: 24. 32. corda discipulorũ in Emaus inflam̃auit; con-
coquat granũ hoc in nobis libidinem, & omnẽ
malũ humorem; pellat frigidam ad res diuinas
pigritiã; propulset antiqui serpentis venena-
tas suggestiones; purget cerebrum nostrum,
ne velimus plus quam oportet sapere; imple-
at amaritudine os & linguam nostram, vt ab
ebrietate, epulis, detractionibus, maledicen-
tiis, murmurationibus, vaniloquiis sibi tem-
peret: conturbet & communiat omnes par-
tes sensuum nostrorum, ne *mors* per illos *in-*
Ier: 9. 21. *grediatur ad animam nostram*: In primis verò co-
piosas tũ doloris, ꝓ peccatis nostris; tum cõ-
passionis pro laboribus & passionibus tuis, ex
oculis nostris eliciat lachrymas. Ac deniq; gra-
nũ hoc sit nobis & medicina contra õnes mor-
bos spirituales, & cibus, ne in hac peregrinati-
one deficiamus, & condimentũ omniũ actionũ
nostrarũ, vt eas purè & syncerè sursum eleuare
valeamus, ad laudem & honorem nominis
tui, qui cũ patre in vnitate Spiritus San-
cti viuis & regnas Deus in æternũ.

A M E N.

ERRATA TYPOGRAPHICA
propter meam absentiã non pauca irrepserunt; præcipua sic corriges, & in marigine addes.

Pag: 39. Vers: 12. post virili *dele* tuo. *Pag:* 117. *Vers: 20.* sua *lege* tua. *Pag: 130. V: 16.* nostræ *lege* nomine. *Pag: 145. Vers: 24.* causauit *lege* causatus est. *Pag: 157. V: 24* nostræ *lege* naturæ. *Pag: 161. V. 9.* scripto, *lege*, scirpo: *Pag:* 197. *V: 8.* constientudi, *lege*, constituẽdi. *Pag: 209. Vers: 2.* sacramenrum *lege* Sacramentarii. *Pag: 212. V: 10.* sapientia *lege* sapiẽtem. *Pag: 226. V. 6.* peruaricatrix *lege* præuaricatrix. *Pag 247. V. 25.* mariri *lege* mirari. *Pag: 262. V: 11.* puerũ esse *lege* non esse *Pag: 344. V: 6.* quorum *lege* quocum. *Pag: 346. V: 8.* sibi si vobis *lege* tibi si voles. *P: 358. V:* 3. inter, *lege*, istæ. *Pag: 400. V: 24.* caullis, *lege* cauillis. *Pag 409. V: 21.* conãtur *adde* inducere. *Pag: 429. V: 23.* rem *lege* eam. *Pag: 449. Vers: 2.* consortio vi *lege* cõsortiũ qui. *Pag. 456. V: 11. post* aliorũ, *adde ommissa:* p̃fertur, & ita præfertur,, vt occasione illius Christus contra. *Pag: 464. Vers: 4.* facti, *lege* fracti. *Pag: 468. Vers.* 1. p̃mittuntur *lege* promittuntur. *Pag:* 476. *V:* 4. à Deo, *lege*, adeò. *Ibid: Ver:* 10. versamini *lege*, auersamini. *Pag: 477. Vers: 4. post* q̃uo *adde* ablata. *Pag:* 478. *V: 5.* q̃ in vasiteos *lege* quæ inuasit eos. *Ibid: V: 21.* laudamus *lege* claudamus. *Pag. 579. V: 24.* eiusq; *lege* eousq;. *Pag: 632. V; 1.* ædem *lege* cædem. *Pag: 659. V. 1.* superdendum *lege* sup̃sedendũ. *Pag 703. Vers: 18.* vt *lege* ne. *Pag: 705. V: 12.* mẽtẽ *lege* mentũ. *Pag: 714. Vers: 23.* viuas *lege* iuuas. *Pag: 729. V: 5.* in omnia *lege* in anima. *Pag: 760. Ver: 16.* q̃uo *lege* quam. *Pag: 764. V: 11.* docere *lege* nocere. *Pag: 788. V: 16.* dotis *lege* dotibus. *Pag 807. V: 19.* vtrumq; *lege* vtcunq;. *Pag: 816. Vers: 3.* obseruantur *lege* obuersantur.

